

Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



Digitized by Google

6. Θ. 240.

2449.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. GVILIELMI BERGERI

ORATIONES LECTIORES

VARII ARGVMENTI



VITEMBERGAE
SVMPTV AVCTORIS
LIPSIAE APVD BERNH. CHRISTOPH. BREITKOPF
1749

Digitized by Google



Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DN. CHRISTIANO GOTTLIEB

SACRI ROMANI IMPERII COMITI

AB HOLZENDORF

DYNASTAE BAERENSTENI STRASSGRAEBGENAE ET ROTHVVERMSDORFFI

POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS AC SERENISSIMI PR. ELECTORIS SAXONIAE ADMINISTRO ET CONSILIARIO INTIMO PRAESIDI SENATVS IN SAXONIA SACRA SVMMI

EMINENTISSIMO

HEROI IN TOGA STATORI LITERARVM REFVGIO ERVDITORVM MVSIS EXOPTATISSIMO

DOMINO SVO PERINDVLGENTI

L. M. Q.

D. D. D.

IO. GVILIELMVS BERGERVS

Digitized by Google

Digitized by Google



Publicus quidem, ac fidelis, antiquae, et ſummae, qua Te, Comes Illuſtriſſime, Domine Excellentiſſime, colo, obſeruantiae teſtis eſt Stromateus meus. Hunc enim, abhinc annos aliquot, Tibi potiſſimum inſcribere auſus ſum, cum, eodem tempore, eiuſdem libri dedicatione, Ampliſſimo Senatui,

Digitized by Google

cui magna cum auctoritate praees, reuerentiae, tantis in me meritis deuinctae, officium praeſtarem

Mea tamen mihi erga Te, Excellentiſſime Domine, pietate nondum ſatiſfeciſſe, neque unquam ſatiſfacturus, uideor, niſi nouum ingenii monimentum condam, quod ſeparatim, nomine Tuo Illuſtriſſimo inſignitum, edam. Cum enim ſingulari me gratia, cuius nullam partem aſſequi poſſim, complectaris, cur, Te, tanta dignitate, tanta meritorum gloria, florentem, mihi honore ſingulari proſequendum, non ducam. Fuerit autem, quando aliud pluſque non poſſum, honos ille, ut duplici ſcripto eximiam Tuam in me benignitatem mandem, atque hanc non

uiuus

Digitized by Google

uiuus modo uiuis praedicem, ſed mortuus etiam poſteris narrem, ſi qui forte ex his ea, quae nunc, et nuper, ſcripſimus, legere uelint. Hanc in ſententiam Pietas eadem illa, quam ſupra nominaui, et cuius adhuc ſtimulos ſentio, ſaepe multumque me admonuit, ut cogitarem, quam diu, quam praeclare, mereri de me conſueuiſſes, quam ſemper uoluntatem, in me propenſam, auxiſſes, quanto literis noſtris praeſidio fuiſſes, quantum laboribus, a me in uario ſtudiorum genere ſuſceptis, fauiſſes. Quae quidem, atque alia, abs Te, Domine Excellentiſſime, in me cumulatiſſime profecta, ſi mecum reputo, compluribus certe, grauibus, certiſque, argumentis doceor, talem mihi Maecenatem fato quodam proſpero obtigiſſe, qualem multi optauerint, pauci

Digitized by Google

ſint adepti. Haec ita, animaduerto, eſſe uera, ita mihi feliciter eueniſſe, ut, quantum in eis ſolatii reperiam, tantum ex eiſdem multiplicis ac mirificae, uoluptatis capiam

At uero, quantum publica priuatis antiſtant, tanto magis illa ſunt ſpectanda, quae, in Rempublicam collata, latiſſime manant, in eoque Te, Domine Excellentiſſime, gradu locant, ut omnium, recte ſentientium, oculi in Te coniiciantur. Quid melius, ſanctius, ad publici priuatique ſtatus felicitatem praeſtantius, eſt, quam talem Reipublicae curam gerere, ut ſacra pie inuiolateque ſeruentur, ut diſciplinae ſanctitas in coetu pio conſtituatur, ut ſcholis et Academiis recte proſpiciatur, et, ſalutari hominum inſtitutione, bona iuuenum

Digitized by Google

num educatione, ſeuera morum emendatione, boni utileſque ciues exiſtant. Quid ſplendidius, magnificentius, illuſtrius, quam in REGIS MAXIMI comitatu uerſari, in ſanctius ab eo conſilium adhiberi, ad deliberationes maximarum rerum aduocari, quibus Saxoniae totius dignitas conſeruetur; ipſaque ſalus eius procuretur

His, et aliis, Tu, Domine Excellentiſſime, cumulatus honoribus, in luce clariſſima Patriae uerſaris, cuius, prudentia, uigilantia, auctoritate, inter tot Purpuratos, et Amicos REGIS SAPIENTISSIMI, adiuuandae, quo frequentiorem ac propiorem habes occaſionem, eo cupidius animo conniteris, omni labore contendis, ut quamplurimum adiumenti

Digitized by Google

ti afferas, ad omnes Reipublicae partes, multis commodis ornamentisque amplificandas. Haec ad communes utilitates cum pertineant, ea quidem nemini sunt ignota, propterea, quod cuiuis ante oculos obuersantur. Itaque, cum et plurima sint et maxima, ea complures alii iam pridem commemorarunt, sed hi non potuerunt id nobis non relinquere, quod proxime nos soli uidimus, admiratique coram sumus. Venisti enim ad nos, ab Rege, ad inspiciendas Academiae res, delegatus, una cum uiris, summa dignitate, prudentia, auctoritate, praeditis. Habere uidebaris, quod, praesidio Tuo splendidissimo, diu multumque ageres, etiamsi multum temporis, ad rem conficiendam, nactus fuisses. Nulla enim Respublica est, tam praeclare constitu-

Digitized by Google

ſtituta, quae non, inter tot caſus temporum, tantas rerum commutationes, multa ſuſcipiat grauiaque incommoda, ut ad ea, deinceps amouenda repellendaque, multum conſilii, multum operae, ſit opus. Quid ergo mirum erat, ſi, tanto interuallo, per tantam rerum temporumque uarietatem, multa noſtram in ciuitatem immigrarent mala, quorum grauitas non ante noſceretur, quam ea conualuiſſent, hiſque iam medendum foret. Tum demum, quam celeris egeremus auxilii, quam difficilis eſſet medicina, cognoſcebamus, tum, conſideratis rerum difficultatibus, ſatis habebamus, ſi maiore leuaremur earum parte. At, Herculem quendam Muſagetem tecum, Excellentiſſime Domine, peroptato nobis aduentaſſe, uidebamus, qui Muſis noſtris ſubueniret, quicquid inueniret monſtrorum,

Digitized by Google

propulſaret, omnique ratione curaret, uti cuncta in meliorem redirent priſtinumque ſtatum. Hunc, quem dixi, Herculem, ferunt, lingua catenas aureas proieciſſe, atque his aures menteſque uinctas tenuiſſe, ut, quacunque libuerit, homines traxerit. Sic eloquentiae, quae uerſet audientes in omnem partem, uim demonſtrant in heroe diſerto, et, Herculem eundem Muſagetem, addunt, dictis potius, quam lacertis, oratione magis, quam robore, res maximas peregiſſe. Hoc autem, de Hercule quod legimus, quod in eo miramur, idem in Te, Domine Excellentiſſime, uidimus, et coram abundeque ſumus experti. Quanta enim Eloquentia, graui nimirum, cordata, generoſa, ornatiſſimaque, nos, ad accipienda Regiae uoluntatis iuſſa, in unum congregatos, publice affatus es. quam ingenti igitur fre-

Digitized by Google

frequentique motu ſenſus omnium pertracta-
ſti. Quantos nobis omnibus aculeos, opere,
cuius gratia acceſſeras, egregie facto, hinc ma-
gna cum gloria diſceſſurus, reliquiſti, cum no-
bis perinde, ac pater filiis, uoce Seruatoris,
pacis, et concordiae, inter nos colendae, ſtu-
dium amantiſſime commendaſti. His ſapien-
tiſſime dictis, quis eſt noſtrum, quem obſe-
quii religione non impleueris, quem ad offi-
cium, ſumma deinde cura perſequendum,
non excitaueris, quem admiratione oris Tui,
ad efficiendum in animis, quicquid uolueris,
tam pollentis, non commoueris, flexeris, non
obſtrinxeris denique, ad decora Tua, tam ex-
imia, ſermonibus, literis, omni ueneratione,
in perpetuum celebranda. Sed facta dictis
adiungis, extra omnem dilationem poſitus,
uigore animi acerrimus, labore inuictus, mi-

Digitized by Google

ra celeritate fortiter exequendi, quo prudenter aggressus sis, ubique notus, ubique probatus. Itaque ea res, quam, nomine Regio mandatam, apud nos curabas, quam singulari prudentia, cura, diligentia, uigilantiaque, gereretur, quis nostrum satis admirari potuit. quis ergo hoc ipsum satis iam digne praedicabit. Prima enim luce, solito maturius, conuentus agebatur, nox diei, quanquam adhuc longiori, iungebatur, spretisque temporis Verni deliciis, quas pomeridianis horis semper aequissimus quisque concedit, urgebatur labos, instabatur operi, nec prius in hoc cessabatur, quam, pertentatis, exploratis, cognitis, omnibus, quorum inuestigationem res postularet, correctis, quae abolenda uiderentur, constitutis, quae sancienda, nihil restaret, quod moram afferret. Nec uero, hac animi constantia, ali-

quae

Digitized by Google

quae modo partes ſanabantur mali publici, quod in Remp. noſtram inuaſerat, ſed ipſe etiam fons eius exhauriebatur, ut nihil iam ſit commodorum, quod ab hac Academicae rei emendatione, publice tam ſalutari, nobis expectandum non uideatur. Atque haec quidem grauiſſimarum rerum procuratio, abs Te, Domine Excellentiſſime, Tuiſque, ex Mandato Regali, Sociis, Illuſtribus atque Ampliſſimis, ſtrenue feliciterque geſta, tanto maiorem commouit admirationem, quanto promptior illa expeditiorque fuit, quippe cum totum adminiſtrationis huius, publice commiſſae, negotium multo ante ſit confectum, quam tempus ceſſerit, ei rei a Principe datum. Hoc beneficium, quod in nos collatum eſt, ingratiſimus, niſi poſteris ea prodamus reuerentia, qua accepimus. Sed quanto plura ſunt ac

Digitized by Google

maiora, quae latiſſime patent, ac Tibi quamplurimos deuinciunt, ſumma uoluntatum conſenſione. Ea uero, in alios humaniſſime profecta, omnes, qui patriae ducuntur caritate, uſque eo mouent, ut hi magnis Te laudibus extollant, in oculis ferant, conſpectu Tui, ubicunque oblato, ubique recreentur, Te ſaluum florentiſſimumque uelint, atque id a Deo immortali certatim, ac religioſe, precentur

Hoc idem ego, una cum optimo quoque, eo ſtudioſius factitare ſoleo, quo pluribus priuatis, grauioribuſque, beneficiorum cauſſis, quas commemorare longum eſt, Tibi teneor, adeo quidem, uti, rebus Tuis proſperis et ad uoluntatem Tuam fluentibus, nullam mihi non fortunae acceſſionem iam eſſe

Digitized by Google

esse factam, existimem. Tua enim salute meam contineri, nunquam ego non ratus sum, ac, praeclare omnino mecum agi, arbitratus, si eo iudicii Tui honore me digneris, uti me literasque meas, pristinas clientes Tuas, ope et auctoritate Tua porro constanterque tuearis. Ea me spe, longe exploratissima ac iucundissima, toties erigo, toties sustento, quoties, inter multas rerum difficultates, Tuae erga me benignitatis magnitudinem recordor, omni tempore cognitam, ac semper adauctam. Hoc igitur uolumine, quod offero submisse, in clientelam Tuam, una cum studiis fortunisque meis, dicato, obsequentissimi cultus mei fidem Tibi denuo nunc obstringo. Gratia denique Tua, Comes Illustrissime, Domine Excellentissime, semper integra,

Digitized by Google

gra, si deinceps mihi, quoad uixero, gloriari liceat, amplissimum sane laborum uigiliarumque, et omnis uitae meae, fructum tulisse mihi uidebor

Supereſt, ut uehementer gaudeam nouo insignique incremento Domus Tuae Illustrissimae quod in mente atque indole generosissima, Friderici Gottlieb, Comitis ab Holtzendorff, Filii, tanto Parente digni, quotidie magis ac magis efflorescit. Hunc in sinu Tuo, inter instructissima omnis doctrinae exquisitae praesidia, quibus abundas, educasti, hunc consiliis, monitis, curaque omni Paterna, formasti, hunc denique, in Academicam disciplinam, quae tum Iuuenis, tam nobilis, studium deceret, traditum, omni scientiae pulcher-

Digitized by Google

cherrimae cultu expoliuiſti. Eum igitur Muſae, quam diu iam, quantum, quam merito, amarunt, ab eo prius ita amatae, ut, exemplo ſpectatiſſimo Scipionis illius Aemiliani, a puero ſibi iucundiſſimum putaret, ſemper inter ſtudia et arma uerſari. Scit Lipſia, quanto hic politiſſimi cuiuſque ſtudio ſit expetitus Sodalitatibus, inter eruditos ibi florentibus, quanta eas ingenii elegantia, quam lecta decoraque ſcientia, ornauerit, in ſuſceptis doctrinae certaminibus ſaepe uictor, eaque potitus artis praeſtitae palma, quae, in medio poſita, digniſſimo, id eſt, elegantiſſimo ac probatiſſimo, daretur. Iamque altiorem, hic idem, militaris honoris, in pedeſtri exercitu Regio, gradum, quem iamdudum merebatur, aſſecutus, tanta locum ſuum uirtute bel-

lica

Digitized by Google

lica tenet, tam eleganter interualla negotiorum otio nobiliſſimo diſpungit, ſemper belli togaeque ſeruiens artibus, ut, quanto eum decori fortuna deſtinauerit, intelligi facile poſſit. Quod quidem Ornamentum, dignitatis gloriaeque plenum, ut breui, ſaluus laetuſque, uideas, ea pietate, Comes Illuſtriſſime, precor, qua, Tibi Tuiſque omnia ex ſententia ſuccedere, uolo,

ILLVSTRISSIMAE EXCELLENTIAE TVAE

Vitembergae
XIII Cal. Septembres,
A. cIↃ IↃ CCXLVIII

Cultus perpetui, obſequii paratiſſimi, antiqua ac religioſa fide,

cliens,

IO. GVILIELMVS BERGERVS
LECTO-

Digitized by Google

LECTORI

Inter C. Plinium Caecilium Secundum, ac me, nimium quantum intereſt. Quid enim ego ad hunc amicum Traiani, eaque quondam ingenii fama Romae florentem, ut, ſi quando doctus ſine nomine diceretur, tunc Plinius, aut Corn. Tacitus, intelligeretur

Sed, in tanto tamen rerum omnium interuallo, quod inter Secundum noſque interiicitur, factum eſt, neſcio quo caſu, ut idem fere mihi, quod Plinio, eueniret. Hunc Septitius frequenter hortatus eſt, ut epiſtolas, ſi quas paullo accuratius ſcripſiſſet, colligeret, atque ederet in lucem, itaque fecit ille. Pari modo amici complures, praeſentes abſenteſque, honoratiores etiam, identidem me cohortati ſunt, ut, ſi minus Epiſtolas, quas, ad uiros eruditos ſcriptas, adhuc in ſcriniis aſſeruarem, Orationes tamen, in unum collatas, emitterem, ex quibus plures ſuperiore iam tempore exiſſent. His ego,

a me

Digitized by Google

me peramanter, uel grauiter etiam, pro auctoritate ſua, admonentibus, dicto audiens fui. Collegi in hoc genere, quae ſeparatis temporibus diuulgaueram, eiſque alia, longe plura, ex ſchedis meis adiunxi, quae nondum lucem aſpexiſſent

Conquirit autem Plinius epiſtolas ſuas, non ſeruato temporis ordine, neque enim hiſtoriam componit, ſed, ut quaeque in manus uenerat. Itaque neque tempus, neque locum, ſcriptarum notat. Hoc idem ſcriptis noſtris, nuper editis, accidit, ut diximus in Stromateo, hoc Orationibus, nunc edendis. Quo plures enim, tot annos, quos in Academico munere tranſegi, habueram, eas dico, quae et temporum ſpatiis, et argumentis rerum, diſiungerentur, eo facilius fuit, eaſdem illas inter ſe diſtrahi, praeſertim cum de editione illarum nondum cogitarem. Quare, cum ad eas in corpus quoddam conflandas, animum adiicerem, has, uidi, uarie, multas in partes, ut fit in rerum neglectarum diſſipatione, diſperſas eſſe, atque ex latebris, ubi

tamdiu

Digitized by Google

tamdiu delituerant, nunc extrahendas. Tum uero mihi in mentem uenit, id negotii a me non ſuſcipi, ut Annales contexerem, ob eamque cauſſam nulla me neceſſitate aſtringi annorum ſeriem conſeruandi. Hac utens libertate, ex his commentationibus meis eas arripui, in quas inciderem, ex eiſque delegi, quas aliquanto magis probaſſem

Sed Plinius optat, ut epiſtolis, quarum clauſtra Septitius efflagitatione ſua fregiſſet, a legentibus faueatur, ne uel illum conſilii, uel ſe, poeniteat, obſequii. Ita futurum, ait, ut eas, quae adhuc neglectae iaceant, requirat, et, ſi quas addiderit, non ſupprimat. Quid Plinio, hoc loco, non licuerit, et, pro modeſtia ſua, optare, et pro magnitudine nominis, ſperare. Quid magis poſteri uellent, quam a tanto uiro, neque contento eloquentia ſaeculi ſui, nihil, quod ipſe ille mandauerit, neque neglectum, neque ſuppreſſum, fuiſſe, nec denique quidquam eius, quod idem timauerit atque in lucem edi ſierit, amiſſum. Sed quantum

Digitized by Google

nos abſumus non modo a praeſtantia tanti uiri, uerum etiam ab eius praeſtantiae umbra, quanquam eum non minus amamus, quam docti ſolebant aetatis eius, ut ipſe teſtatur. Quo magis optandum nobis eſt, ne ſuus in nos amor eos fallat, qui nobis auctores fuere, tanto quidem frequentiores, quanto magis cunctari uidebamur, ut opus praeſens inſtitueremus. Suppetunt quidem adhuc nobis, aut latebris ſuis excuti poſſunt, orationes non paucae, quas pluribus decoriſque de rebus, in uario doctrinarum genere, quondam confecimus, tot per annos. At, eae an dignae poſſint eſſe, quae in aſpectum lucemque proferantur aliquando, iudicare, noſtrum non eſt, ſed illorum, has, in manus hominum nunc datas, legere qui uelint

Eoſdem illos, neceſſe habeo, ſummonere, ne, quod in titulo libri uident, hoc mihi ſuperbiae tribuant. Orationes dico Lectiores, nulla ingenii, cuius mihi nihil arrogo, fiducia, quaſi, eas aliis aliorum anteferendas, putem. Ab hac ego confidentia et temeritate abhorreo, qui ne mihi

Digitized by Google

mihi quidem satisfaciam, nedum aliis me, aliqua uirium opinione, uenditare ausim. Plinius, cum inter Romanos summa dicendi gloria excellit, Nunc demum, inquit, quid praestare debeat Orator, adhuc tamen per caliginem, uideo. Quid M. Tullius. Si quaerimus, ait, quid unum excellat, docto oratori palma danda est. Vides excellentiam rei. Idemque, alio loco, *Nihil in* hominum genere, inquit, rarius, perfecto oratore, inueniri potest. Vides difficultatem rei. Denique idem, Vix, singulis aetatibus, ait, singulos tolerabiles oratores inueniri. Quid ergo mihi iam animi, quid spei, sit, ut aliquo disertorum numero ducar. Ego uero, Lectiores appellans Orationes meas, me cum aliis haud comparo, nedum me cum eis exaequem, sed intra me consisto, et, respectans ad alias Orationes meas, has, ex eis quas expromo, Lectiores uoco. Hoc enim nomen eis postulare uidebatur uel argumentorum, quae tractarentur, dignitas, uel scribendi cura, paullo felicior, quae tamen artis et elegantiae certamen cum aliis suscipere non auderet

Sed

Digitized by Google

Sed erunt fortaſſe, quibus Orationes hae noſtrae iuſto longiores interdum uideantur. Horum bona cum uenia dixero, a me nunc, eis in locis, non auditores amplius, ſed lectores, expectari. Multum enim inter utroſque differt. Cum nihil magis oratorem deceat, quam reuerentia erga publicum, utique illi prouidendum eſt, ne qua orationis immodica longitudine audientis uel humanitatem, uel patientiam, offendat. At lectoris prudentis aequitas plus concedit. Namque hic, uel habet otium legendi, quae libro noſtro mandantur, uel quoddam etiam ſtudium haec plenius cognoſcendi, quae, eodem in libro, latius, de materia quadam inſigniore, differantur. Nulla unquam tenetur neceſſitate ſui temporis uoluntati alienae impertiendi, ſed aliorum ſcripta, quae ſumit in manus, arbitratu ſuo poteſt euoluere, quantum, et quoties, uelit. Eadem licet ei de manu deponere, cum minus uacauerit, licet ei reſumere, et, ſi quid bonae frugis in illis repererit, hoc diutius contemplari. Sed haec agendi, ut libeat, facultas, audienti tantum, cuipiam non datur. Hic

enim,

Digitized by Google

enim, ſi uerum integrumque audiendi officium, ſine fuga, praeſtare uelit, pendet ex arbitrio conſilioque recitantis, cuius ſit, decernere, breuiorne uelit eſſe, an longior. Sic oratio, longius producta, uel defatigare poteſt audientem, uel eum abſtrahere a negotiis ſuis, eique querimoniam exprimere, haud iniquam. At nihil huius lector habet, de quo aeque queratur, ſui ſemper iuris retinens, in ſtatuendo legendi modo. Quod ſi, auditoribus plane omiſſis, ex indole ſua ſpectetur oratio, haec quidem nullam recipit legem, certam definitamque, qua fines magnitudinis ſuae regat. Tantum ab hiſtoria, quae res geſtas narrat, a Dialecticis, quae docent duntaxat, atque ab alia ſcripturae forma, quae uaria eſt, eo differt, quod dirigitur ad facultatem perſuadendi, adhibitis non modo docendi, ſed etiam delectandi, atque mouendi, ſubſidiis. Hoc eius rei diſciplina, quam Rhetores tradunt, conſtat, hoc auctoritatibus uetuſtis, atque claris. Sunt enim ueteris aetatis orationes, modo breuiores, modo longiores, aliquando longiſſimae. Oratoribus enim tantum orandi

Digitized by Google

ſpatium dari ſolebat, ut nonnulli quatriduum conſumerent in una atque eadem cauſſa. Ipſae quidem leges longiſſima tempora largiebantur, nec breuitatem dicentibus, ſed copiam, hoc eſt, diligentiam, ſuadebant, quam praeſtare, niſi in anguſtiſſimis cauſſis, breuitas non poſſet, ut Plinius auctor eſt. Quin etiam ſemper licuit hominibus diſertis, Orationes ſuas retractare, limare, dilatare. Hac mente recitationes inſtitutae ſunt, ut, exploratis audientium iudiciis, ea, quae ſcripta recitarentur, fierent meliora. Adde emendationem, quae ab amicis eruditis cupidiſſime ſolebat expeti, etiam flagitari uehementer. Vtrumque Secundus, quem ſaepius nomino, planum facit, utroque ſaepenumero uſus, ut alios taceam. Quibus rebus non potuit non fieri, ut, quae ab Oratoribus erant conſcripta, in nouam quaſi figuram habitumque formarentur. Cum enim alia interſcriberentur, alia reſcriberentur, et noua uelut membra peracto corpori intexerentur, nec tamen priora turbarentur; Orationes refingebantur multis modis. Oratores igitur antiqui commutarunt uarie

Digitized by Google

rie commentationes ſuas. Interdum enim ex Orationibus plurium dierum fecerunt unam, his, quae copioſius ac latius dixerant, in unum volumen, nec paruum illud, ſed grande, coarctatis. Indicio eſt Oratio pro C. Cornelio, maieſtatis reo, cuius fragmenta profert Aſconius Pedianus, hanc, annotans, cauſſam a Cicerone quatriduo actam fuiſſe. Haec actio per tot dies latius patuit, pluribus actionibus comprehenſa, ſed eas Tullius, multis reciſis, in unam coegit, quae tamen haberet libri inſtar. Aliquando oratores, quae preſſius dixerant atque aſtrictius, multis partibus amplificarunt, adeo nonnunquam, ut, hac commutatione, Orationes in libros exirent. Argumento eſt Panegyricus Plinii, in aliam longe formam, atque habebat principio, uerſus. Hiç enim, quae in ſenatu, ad rationem et loci, et temporis, accommodata, breuius dixerat, eadem poſt illa ſpatioſius, et uberius, uolumine complecti uoluit, ut ipſe ad Seuerum ſcribit. Denique Plinius, ubi de breuitate, contra doctum quendam et peritum diſputat, quanquam ipſe breuitati ſtudere ſolet,

Digitized by Google

Orationes tamen longas haud improbat, ſed eas laudat, in eiſque dignitatem ponit, non exiguam. Statuas, ſigna, picturas, hominum, multorumque animalium, formas, arborum etiam; ſi modo ſint decorae, nulla re magis, oſtendit, quam amplitudine, commendari. Mox, Idem, inquit, Orationibus euenit, quin etiam uoluminibus ipſis auctoritatem quandam, et pulchritudinem, adiicit magnitudo. Haec ille. Circumciſis ac breuibus Orationibus, quae ei obiiciebantur, ex Graecis, Lyſiae, Demoſthenem, Aeſchinem, Hyperidem, multoſque praeterea, Gracchorum, de Latinis, et Catonis, Pollionem, Caeſarem, Coelium, in primis M. Tullium, opponit, atque, huius orationem, teſtatur, dici optimam, quae maxima ſit. Quo breuitati, a uulgo non ſatis intellectae, plus detrahat, Vt aliae bonae res, ita bonus liber melior eſt, ait, quiſque, quo maior. Cum ei occurritur ab eodem diſputatore contentioſo, gratiorem multis eſſe actionem breuem, Eſt quidem, inquit, ſed inertibus, quorum delicias deſidiamque, quaſi iudicium, reſpicere, ridiculum eſt. Nam ſi hos in

conſilio

Digitized by Google

consilio habeas, non solum satius est, breuiter dicere, sed omnino non dicere. Haec ille. Scribit autem ad Corn. Tacitum, qui breuitatis studio, ut liquet ex Annalibus, delectari solebat, Thucydidem, Sallustiumque, aemulatus. At Plinius, si dissentiret ab se Tacitus, epistolam eius expectat longissimam, qua contrariae sententiae rationes exponantur. Adeo suo de breuitate iudicio fidit. Nec uero nos caussam habemus, quare huic iudicio diffidamus

Vix attingendum, duco, id, quod nemo non uidet. Magno complurium annorum spatio diffunduntur Orationes hae nostrae. Magnae, ut fit, rerum commutationes, domi foriſque, factae sunt. Conflata sunt bella, his compositis, icta rursus foedera, nouis mox turbis diuersa partium studia extiterunt, ex his uarii motus animorum, uti res dederunt sese. Ab his, quis miretur, si quando colorem ipsa ducit oratio, in ea praesertim caussa, ubi rationes publicae priuatas trahunt, atque has obsequii fide tenent. Sed, pace inter Principes reconciliata, apud hos,

Digitized by Google

ut mentibus generoſis ſolitum eſt, ex ira fit amoris redintegratio, eorumque conſilia, et ſtudia, ſequuntur ciues. Reditur in gratiam, uoluntates, paullo ante diſtractae, denuo iunguntur, obliuio rerum praeteritarum ſancitur. Nec uero ideo Acta publica abolentur, ſed, undique collecta, ſeruantur, annorum ſerie digeſta, in Bibliothecis, ipſiſque Tabulariis, conduntur, eduntur quoque, ut, contexta ex eis, hiſtoria poſteris tradatur. Haec eo magis probatur, quo minus ab Actorum Publicorum fide diſcedit. Id omne ſi, cunctis prudentiſſimorum ſuffragiis, concedi ſolet Tabulis commentariiſque pragmaticis, in quibus tamen ſaepe Anticatones, Philippicae, lites cruentae, feruent, quis iam operae pretium putet, animum uel leuiter attendere, ubi uoculae quaedam exciderint Oratori, ſuorum conditioni temporum, una cum pleriſque, ſeſe accommodanti. Cuncta, ut facta, ſic dicta, quae, ſublata diſſenſione, diſplicere ulla ex parte poſſint, iſtis relinquuntur turbis ſuperioribus, quarum iucunda nunc eſt obliuio, recuperata quiete, ſedato omni diſſidio

Statu-

Digitized by Google

Statueram quaedam, ut ſoleo, ad limam reuocare. Sed modus nunc adhibendus eſt, praeſertim cum ſatis cònſtet, ne ipſos quidem ueteres ſatiſfeciſſe ſibi, in limandis operibus ſuis. Audi Plinium Caecilium, Nihil curae meae ſatis eſt. Hinc laudant olim φροντίδας δευτέρας. Scio Analogiam, uideo exempla clarorum hominum, lego iudicia Lexicorum, ipſius etiam Fabriani, recens aucti, quod cunctis antefero. Deleri tamen, malim, τὸ Ipſemet, quoties excipientis errore irrepſit, et, ſcribi rectius, puto, ſine adiectione ſyllabica, Ipſe. Cetera, mendoſe excuſa, quae identidem animaduerti, Lectoris emendationi relinquere cogor, quantoque plus eius aequitati, atque humanitati, tribuo, tanto maiorem in ſpem ueniae, ab eo impetrandae, adducor

Poſtremo has Orationes meas neque in diſtinctas generum affinium claſſes deſcribo, neque eas, pro diuerſo hominum gradu, diſpono. Cum enim in eis, undique eruendis atque congerendis, fortunae me commiſerim, inuentas illas

ita

Digitized by Google

ita colloco, ut hae mihi ſeſe obtulerunt. Sic nemini debet eſſe fraudi locus, ubicunque compareat quiſque, ſalua utique omni dignitate ſua. Ipſe quidem CHRISTVS, ſic enim materiae, coniunctim nobis occurſantes, dabant ſeſe, ultimum uoluminis huius locum tenet. At aeternae Huius gloriae quodnam Maieſtatis ullius faſtigium uelit anteponi. Ita praeterea illud percommode fit, uti Seruator hominum nobis quoque ſit A et Ω, et, cuius a cultu ſumus exorſi, in eodem Illo omnis ſcriptio noſtra terminetur. Qui quidem nobis hoc immortale beneficium cum dederit, uti nos, hoc in opere conficiendo occupatos, numine atque ope diuina adiuuerit, ſuoque defenſos praeſidio, ad ipſum denique exitum optatum, inter tantas rerum temporumque turbidorum procellas, prouexerit, tum uero a nobis Religio poſtulat, ut Nomen eius ſanctiſſimum grata, ac perpetua, laudum praedicatione, proſequamur

INDEX

Digitized by Google

INDEX ORATIONVM QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR

I De Solatio Mortis, ex Morte Chriſti pag. 1

II De Spiritu Sancto, Fonte Solatii Humani, 51

III Panegyricus in Carolum Sextum, Imperatorem Auguſtum 147

IIII Panegyricus, Honori ſupremo Friderici Auguſti, Regis Poloniae,

Digitized by Google

Pr. Electoris Saxoniae, publico nomine dictus, in Aede Academica, pridie Eid. Martias, A° cIↃ IↃ CC XXXIII *pag. 312*

V Panegyricus, in Solemne Cracouiense, quo rex Poloniae, Augustus Tertius, inauguratur, publico nomine dictus, in Templo Academico XV Calendas Martias, A° cIↃ IↃ CC XXXIIII *358*

VI Panegyricus, in Felicem ex Italia Reditum Friderici Christiani, Poloniarum Principis Regii, iussu publico dictus, in Templo Academico, *XVII*

Digitized by Google

XVII Calend. Octobris, A. cIↃ IↃ CCXL *pag. 403*

VII Oratio de Praestantia Vitae Eruditae, habita in Solemni Philosophiae, cuius Magistri creabantur Vnus, et quinquaginta, XVI Calend. Nouembres, A. cIↃ IↃCCXXXIX *439*

VIII In Excessum Io. Henrici, Nobilis Domini de Berger, A. cIↃ IↃ CC XXXIII, VII Cal. Decembres *630*

IX In Obitum Io. Georgii Abichtii,

Digitized by Google

Doctoris, ac Professoris, Theologi pag. 671

X *De Vera Rectoris Academici Prudentia, Bonae Memoriae Io. Godofredi Krausii, Iureconsulti, Rectoris Academiae, A. cIↃ IↃ CC XXXIX, VIII Eid. Septembres* 715

XI *De Meritis Augustanae Confessionis in Rempublicam, totumque Imperium. In altera eiusdem Confessionis Sacro Saeculari, A. cIↃ IↃ CC XXX, VII Cal. Quinctiles, in Aede Academica* 741

XII

Digitized by Google

XII De Christo, placabilitatis exemplo pag. 828

XIII De Prisca Saxonum Maiestate, A. cIↃ IↃCCXXI 837

XIV Panegyricus in Sacrum Duplex Connubiale, quod Dresenae, et Monaci, in utraque Domo Augusta, apparatur, Festo Eid. Iuniarum die, A. cIↃ IↃCCXLVII, publico nomine in Templo Acad. dictus 983

XV Panegyricus in Solemne Nuptiale Serenissimi Franciae Delphini, Ludouici, et Mariae Iosephae, ex Augusta Saxonum Stirpe, in Aula Dresenen-

Digitized by Google

ſenenſi Regia, IIII Eid. Ianuarias, A. cIↃ IↃ CCXLVII, ſplendidiſſime factum, publico nomine in Aede Academica, dictus, XVIII Cal. Ianuarias, A. cIↃ IↃ CCXLVII pag. 1015

XVI In Obitum Io. Gothofredi Bergeri, A. cIↃ IↃ CCXXXVI, XV Cal. Nouembres, de ſtatione Rectoris Academici cum decederetur 1032

XVII De Latere Chriſti Aperto, 1106

XVIII De Corona Chriſti Spinea 1119

XIX De Myſteriis duobus contrariis, in curanda hominum Salute 1129

Digitized by Google

IO. GVILIELMI BERGERI

ORATIONES LECTIORES

Digitized by Google

Digitized by Google

I

DE

SOLATIO MORTIS

EX

MORTE CHRISTI

Quanto effrenatior est libido, qua genus humanum, per ultimorum parentum scelus, a Procreatore suo, Optimo Maximo, descisscit, quantoque iustior ira Dei, pergrauiter uiolati, quae ad ultionem perfidiae tam insignis exardescit, tanto praesentius est discrimen, quo perduelles deueniunt, tantoque mirabilius auxilium, quod diuinitus, desperatis hominum rebus, affertur

Homo conditur ad imaginem Dei. Quid a Deo maius dari potest. Homo conditione tam praeclara generatur, uti cunctis, eisque perfectis, animi corporisque bonis excellat.

Digitized by Google

Quid ab homine praeſtabilius optari poteſt. Sic idem, praeſtantia uirtutum, quibus ornatur, ueram dignitatem obtinet, iuſtus, ſanctus, integer, ſapiens, ad exemplar illud imaginis diuinae, ſumma morum, motuum animi, ſtudiorum, conſenſione cum lege diuina, expreſſus. Sic non minus uitae iucunditate, quam ſecuritate, perfruitur, cum nihil in corpore uitioſum ac deforme, nihil mortale atque imbecillum, gerit, formoſus, robuſtus, ſanus, uegetus, nullo morbi mortiſue metu. Sic rebus ſecundis uſque eo floret, ut nihil in fortuna, uitae commodis, deliciis, deſiderare poſſit, omnium rerum copiis abundans, omni florum, fructuum, herbarum, ſuauitate affluens, hortum, a Deo conſitum, magna cum animi uoluptate, nulla laboris moleſtia, colens, terra marique dominans, et feras, piſces, animalia cetera, tenens imperio, quod ferocitas animantium nulla detrectet. Habetis, Auditores, hominem, tantis a Deo beneficiis ornamentiſque affectum, ut nihil, quod aequum piumque ſit exoptare, ſupra poſſit eſſe

Sed, ut ingratum ſe praebet homo, ut indignum tanta Dei munificentia, quae benignitatis

Digitized by Google

tatis ſuae uires in eum largiſſime profudit. Neque enim contentus eſt rebus magnis, quibus auctus eſt a Deo, ſed maiores concupiſcit, excelſitatis ac diuinitatis appetens, neſcio cuius. Mauult Draconi, qui deficiens a Deo e coelo detruditur, quam Deo, a quo uitam ampliſſimaſque facultates accepit, obtemperare, iſtius blanditiis, quam huius reuerentia, moueri, iſtius fraudi, quam huius caritati, ſe dare. Quo fit, ut, exultante animi libidine, obedientiam abiiciat, excuſſo rationis freno, cupiditate rapiatur, et, quod omnium malorum caput eſt, contempta Dei uetantis ac minitantis uoce, praeceps in nefas, ſibi peſtiferum ac ſtirpi ſuae, feratur. Itaque, ſuis ſe ſpolians opibus natiuorum decorum, nudus inopſque relinquitur, ſui eum pudet, pudore deformitatis ſuae frondes ficulneas ſubligaculis aſſumit, arborum latebras ſceleri ſuo circunſpicit, ſed nullas reperit. Nam trepidantem fugientemque Deus inclamans inſequitur, mulieris blande perſuadentis, ſerpentis uerſute decipientis, nomen culpae ſuae praetexenti, inſtat, delicti magnitudinem demonſtrans, poenae grauitatem oſtendens, metu perterritum, conſcientia exanimatum, reddit. Merito Deus, ſumma iniuria affectus, ira excandeſcit, merito,

Digitized by Google

pro iuſtitia ſua, ſummum ius perſequitur, merito facinoroſos amandat ad inferos, quos, iſti, ipſos optimo ſanctiſſimoque Conditori ſuo anteferre, non dubitauerint. Adeo perditis hominum rebus, praeter languentem ſpiritum, iamque deficientem, nihil eſt ſuper. Sed hoc ipſum quoque nimium putes, nec temere ſperandum, ſi cogites facinus hominis, Deo bellum indicentis, quem, demirandum potius eſt, e ueſtigio, indignatione Dei iuſtiſſima, conſumptum non fuiſſe

Quod quidem ne fiat, conſilio non minus mirifico arcanoque prouidetur. Diuinae enim iuſtitiae, quae nefas admiſſum ulciſci ardet, miſericordia ſe interponit, nihil penitus de iuſtitia derogans, ſed ei ſatiſfactionem, quae magnitudine laeſionis aequetur, et quaerens, et inueniens. Ipſum enim, humani generis ſtudioſiſſimum, arripit, ipſum, nihil repugnantem, ac potius calamitoſis ſuccurrentem, tenet, Filium Dei, unicum et unice dilectum, quem ut facile permouet ad opitulandum mortalibus, ita eundem ad eam rem longe paratiſſimum oſtendit. Hic igitur de coelo deſcendit, ut hominibus, ſuſcepta eorum cauſſa, ferat opem. Naſcitur egens omnium rerum, educatur humili cultu.

Egreſ-

Digitized by Google

Egreſſus domo, terras obit docendi cauſſa, ueritatem, e ſinu Paterno depromptam, effert in uulgus, lateque promulgat, coarguens errores, recta praecipiens, in eo acerrime occupatus, nullum ut ſalutis, cunctis annuntiandae, cunctis dandae, locum munuſque praetermittat. Itaque in ciuitatibus, in uicis, in agris, et ubicunque poteſt, concionatur, incredibili horum concurſu, qui ad eum confluunt audiendum, cum aliis lenius agit, cum aliis ſeuerius, prout res tempuſque poſtulat, uociferatur etiam in ſolemnibus Hieroſolymorum ſacris, in conferta infinitaque admirantium turba. Sanat inſanabiles, liberat obſeſſos, afflictos erigit, errantibus uiam monſtrat in coelum, oraculis, miraculis, benefactis, populos implet, quos accedit, ſuique fama multis ex gentibus euocat miſeros, quorum morbis periculoſiſſimis, et corporis et animi, medeatur. Permulta ſunt huius generis, quae admirari ſatis pro dignitate non poſſis, ſacris literis prodita. Sed, oſtendit diuinus Ioannes, ſi cetera ſingula, quae fecerit Chriſtus, explicentur, horum tantam fore multitudinem, ut ne ipſe quidem mundus, ſcribendos hac de re, libros capere poſſit. Tantum operae ſumit Chriſtus, ut ſalutari doctrina erudiat homines, ſalu-

Digitized by Google

ſalutis ſuae ignaros, ut eos, ad Deum reductos, in coelum reuocet, ut bene de iis promereatur multis modis, et uerum ſe generis humani Reſtitutorem, dictis factiſque mirificis, probet

Sed, quo amiciorem ſe ac beneficentiorem praeſtat hominibus, eo peius ab eis accipitur. Non enim reperit homines, ea uirtute praeditos, qua Adam ad imaginem Dei conditus erat, ſed inquinatos iſta labe, qua ſtirpem ſui ſimilem Adam procreauerat, prauitate lapſus. Itaque cum multis multorum odiis, inſidiis, obtrectatione maleuolentiſſima, conflictatur, eo potiſſimum tempore, quo plurimum beneficii plurimis dedit, in eis quoque locis, in quibus clariſſima multiplicis beneficentiae monimenta fecit. Ad extremum furor hominum profligatiſſimorum eo prolabitur, ut, neque mala ſua intelligere, neque malorum remedia pati, uelint. Facto igitur conſenſionis globo, coniurant contra Chriſtum, eius de medio tollendi conſilium ſaepe multumque ineunt, et, quod nulla iuris ſpecie perficere poſſunt, aſtu, calumniis, mercede, ui denique ac minis, quibus ipſum frangunt iudicem, experiuntur. Curant enim, ut prodatur ab ipſo diſcipulo, proditum

Digitized by Google

ditum comprehendunt, uinctum in ius rapiunt, illuſum, uerberatum, crudeliter exagitatum, in crucem agunt, et, omni contumelia atque acerbitate laceratum, necant. Quo tandem impetu incitati, ad interitum ruitis uoluntarium, mortales. Quantas uobis ſolicitudinum tenebras offunditis, inſania ueſtra communis ſolatii lumen extinguentes. Vobis enim, Deo non placato, moerentibus, nulla diuinae gratiae lux oboriri poteſt, quia, praeter Chriſtum, nullum perfugium eſt, nullum ſalutis praeſidium

Quae quidem ſecum reputet nemo, quin eum ſtupor opprimat, modo quid habeat bonae mentis, ipſiuſque ſenſus. Ego certe, iſta mecum conſiderans, incidere mihi uideor in horribilem quandam noctem, et huius formidoloſum inſolitumque caſum. Rerum enim nouarum cogitatione perturbor, ut ſi ſedes ipſa ſceleratorum, repagulis ſubito perfractis, pateat, nec retinere peſtes ſuas capitales terribileſque poſſit, quin eae portis ſe foras erumpant. Nam, uelut effuſo malorum ingentium agmine, hinc prodire uidentur, angor, terror, deſperatio, illinc ira Dei, ultio, cruciatus, ipſa denique pernicies, eas dolorum faces

Digitized by Google

ſceleſtis intentans, quarum ardorem nulla temporis longinquitas reſtinguat. Ita multae multorum generum facies apparent, tam dirae truceſque, ut ſui conſpectu ferociſſimum quemque terreant. Hoc communiter nos, ſi ſapimus, niti ſolemus mortales, hoc uotis expetere, ut, animi tranquillitate fulti, bene beateque uiuamus. Sed, malae, nos, mentis conſcientia torti atque excruciati, nihil habemus in ſenſu noſtro, quod tranquillum placidumque ſit. Vt iaceres, plaga graui perculſus atque abiectus, his tamen ipſis in malis excitari poſſes memoria dextrae, quam Deus ſupplices manus tendentibus porrigere, qua afflictos, ſeque flagitantes opem, erigere, ſolet. Quis autem tibi pateat aditus ad Deum, uindicem malefactorum ſeueriſſimum, quem tibi ipſe, malitia tua, intercluſeris. Fueris coopertus miſeriis, ut neſcias, ubi, quando, quo pacto, e tantis te malis emergas, mors tamen aerumnarum requies eſt. Mors enim cuncta mortalium, non impiorum, mala diſſoluit, eoſdem ſempiternae felicitatis ſpe conſolatur. Sed quidnam eſt huius tantae felicitatis, quod expectare poſſit occaſus improborum. His enim, in uincula inferorum coniiciendis, conſtituuntur ſupplicia;

ſine

sine modo, in perpetuum, nulla spe liberationis ullius. Atque hi quidem sunt fines malorum, quae uel praesens haec caducaque uita, uel futura ista atque aeterna, recipiat. Tanto peius se res habet, quod horum onus malorum parricidae, insontis Christi tortores, suo sibi exitiali furore, hodierno die, imponunt. Ita uero se, eiusque posteros, omni solatio priuare, pro libidine sua, uidentur

Sed, ut mirabilia sunt atque abstrusa Dei consilia, ut incredibilis est Seruatoris in homines amor, sic nec opinato accidit, ut ibi solatium nascatur, ubi uidebatur interisse. Rei, cuius ratio humana nullam partem assequitur, optimus, atque certissimus, interpres est ipse Christus. Hic, gentibus, ad cruciatum necemque, se traditum iri, demonstrat. Hic Pilato, potestate sua, condemnandi absoluendique, glorianti, penes eum, ostendit, nullam fuisse in se potestatem futuram, nisi ea diuinitus facta sit. Hic, recepto iam spiritu, sic fieri, praedicat, oportuisse, ut prius, quam potiretur gloria sua, ea perpeteretur, quae perpessus sit. Itaque Christus iniquissima sententia condemnatur, ut homines, iustissimo Dei iudicio damnatos,

Digitized by Google

liberet, ducitur ad mortem, ut homines ab interitu uindicet, morte multatur, ut mortis noſtrae poenam capite ſuo luat innocentiſſimo. Haec res in auguſto arcanoque ſacroſanctae Triados conſilio decernitur, animo promptiſſimo a Chriſto ſuſcipitur, adminiſtratur, perficitur, ac tantae mortalibus eſt ſaluti, ut, qui cum Chriſto mori, firma in eum ac ſtabili fide nixi, didicerint, hi quidem, moleſtiis huius uitae perfuncti, perpetuam cum Chriſto aetatem degant, eiuſque participes coeleſtis gloriae fiant

Qua quidem in morte Chriſti quoniam praecipuum ſalutis noſtrae momentum eſt poſitum, in primis elaborandum eſt, ut ea mors ſemper in oculis ac mentibus inhaereat, eamque, plurimum refert, hodierno potiſſimum die nauiter expendi. Nullum enim, ut opinor, neque grauius, neque huic tempori aptius, dicendi argumentum ueſtra, Auditores, religio a me, uel expectauerit, uel poſtulauerit. Dicam igitur de SOLATIO MORTIS, capiendo EX MORTE CHRISTI, ſed dicam, nulla audiendi uenia, uel timide ac diffidenter, uel quia ſic moris eſt, exorata. In ueſtra pietate innitor, quae, deuincta Chriſto deuotaque, uos, ſedibus ueſtris

Digitized by Google

ſtris exciuit, ut, relictis rebus omnibus, ad memoriam bonitatemque Seruatoris ueſtri, mitiſſimi ac patientiſſimi, publice celebrandam, properantes, hunc in locum, conueniretis

Solatium Mortis, quod ex Morte Chriſti capitur, clarius apparebit, ſi diſtinctius ea de re loquamur. Duplicem igitur Mortis aſpectum uobis propono, Auditores, alterum quidem in Chriſto moriente, alterum in Morte ipſa. Vterque aſpectus lugubris eſt, uterque plenus horroris, ſed poſterioris triſtitia, prioris contemplatione religioſa, mitigatur

Ordiamur a Chriſto moriente. Pendet, horreſco referens, ex infelici arbore Dei Filius, pendet medius inter duo latrones, ex his etiam alterius conuiciis laceratur, ne quid nouae, et incredibilis, inſaniae deſit. Suſpenſum, clauis trabalibus confixum, plagis contuſum, flagris ſaucium, cruore manantem toto corpore, anhelantem, turba aduerſariorum nequiſſimorum, ac maledicentiſſimorum, ſanguinaria circunſiſtit, probris eum ac maledictis exagitat, et omni ludibrio petulantiaque inſectatur. Cui quidem proiectae licentiae, ac dirae cuiuſdam carnificinae, ſpectaculo, poſt homines natos funeſtiſſi-

Digitized by Google

ſtiſſimo, nihil ſimile tulit aetas ulla. Omni humanitatis ſenſu, quem crudelitas in animis conſceleratiſſimis oppreſſit, penitus deleto, ipſa rerum natura commouetur, uehementerque perturbatur, ut ſi, aſpectu noui ignotique ſceleris, obſtupeſcat, et hominum furorem, omni diritate atque immanitate teterrimum, ferre non poſſit. Nunc enim primum mirabili caſu cognoſcitur id, quod fieri non poſſe, uox omnis memoriae pronuntiat, meridie non lucere, cum, ipſo meridiano tempore, orbe praeſertim Lunae pleno, Soli, ex oculis erepto, tantae obducuntur tenebrae, uti media dies in noctem uertat horarum plurium. Quid autem Sol eos, ut luce dignos, aſpiciat, qui, mortis atrocitate, Soli Iuſtitiae ſempiternas tenebras offundere ſtuduerunt. Quid Solis ſplendor iſtis luceat, qui, terrae ac tenebrarum filii, Veram mundi hominumque Lucem perpeti noluerunt

Haec, et alia, quae eodem tempore uſu ueniunt, ſi uobiſcum commentemini, Auditores, non poteritis mecum, ut arbitror, horrore non perſtringi. Vnum tamen illud, quoties in mentem uenit, me tenet in primis attonitum, cum Seruator hominum, cruci ſuffixus, contenta

Digitized by Google

tenta uoce, qua coelum terramque puto contremuisse, exclamat, *Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti.* Est quidem haec uox mandata iam literis a Dauide, qui omnes Christi cruciatus cecinit, ut Regius diuinusque uates. Sed eadem uox tanto plus habet in recessu, quanto studiosius id egit Deus, ut ea, sacris monimentis consignata, posteris, horumque ruminationi quotidianae, traderetur. Non audiendos, iudico, qui opinentur, Christum a Deo libidini hostium, omnis in eum uirus acerbitatis euomentium, relinqui duntaxat, idque Seruatorem, his iniuriis fessum, hoc queri loco, non aliud. Audesne tibi Christum fingere iniuriis defessum, qualis tu possis esse. Longe aliter sentias, necesse est, si dicta Christi, facta, uitamque omnem, recorderis. Videbis eum, atrociſſimis, ac frequentiſſimis, peruicacium iniuriis diuexatum, eisdem defatigatum, nedum infractum, nunquam uidebis. Reperies in illo uirum humili fortuna, nec maioris tamen in terris appetentem, eoque se gerentem summiſſius, quo superior est dignitate, uere diuina. At uero nihil anguſtum, nihil timidum, nihil abiectum, cadit in Christum, sed in eo ampla, erecta, excelsa, inuictaque, sunt omnia.

Digitized by Google

mnia. Hunc enim gerit animum, in omni uita, omni tempore, aequabilem, ut et perpetuam conſtantiam cunctis praeſtet caſibus, et ipſis doctrinis ſuis uere excellentes animos faciat, humanaque contemnentes. Nulla enim uera animi magnitudo, nulla ſtabilitas non ſimulata, neque eſt uſquam, neque poteſt eſſe, niſi in mente Chriſtiana. Atque etiam ab illa caritate incredibili, qua Chriſtus humanum genus complectitur, penitus abhorret, iram Dei aduerſus ſaeuos intolerandoſque hoſtes ſuppliciter ab eo flebiliterque prouocari, qui Patrem Coeleſtem, ut aduerſariorum infeſtiſſimorum ignoſceret imprudentiae, palam, in ipſo Crucis ſupplicio, obſecrauit. Nihilo plus aſſentior eis, qui clamorem Chriſti, de ſui derelictione conqueſti, referant ad Seruatorem, cum deſperatione luctantem. Chriſtum, aiunt, deſperatione prope confectum fuiſſe. idcirco uocem effudiſſe, non meditatam, ſed ui doloris ingentis expreſſam, quam tamen mox correxerit alia, magis deliberata. hoc autem fieri ſimiliter, ac nos cuncta pariter uidere non poſſimus, oculis caligine obductis. Haec talia de homine noſtrae humilitatis ſi dicas, intelligo ſatis, quid fragilitas communis naturae noſtrae ferat. Sin de homi-

Digitized by Google

homine loquaris, tam mirabilis unicique exempli, ut is homo Deusque iuxta sit, hoc est, Θεάνθρωπος, in hunc, equidem nego, cadere tantum infirmitatis uitium, uti uis ulla eius mentem, dolorum intolerantia debilitatam fractamque, de statu deiicere possit. Sed, istos denique grauius repellendos, arbitror, ac procul habendos, qui, illam Christi uocem, contendant, fuisse, non solum luctantis cum desperatione, sed etiam uere desperantis. Christum, nugantur, reuera desperasse, nec aliter ab eo, qui desperationis nostrae uim poenamque subierit, fieri tum potuisse. Hoc non modo temerarium est, sed etiam manifesto impium. Quasi uero Christus sui tam sit oblitus, ut Deo confidere non potuerit. Si Deo confisus non est, quid est, quod Deum exclamet, bis eadem uoce appellans eum atque implorans, *Deus mi, Deus mi.* Sin confugit ad Deum in grauissimis angoribus, cur dicitur hic desperasse

Omne quidem salutaris perpessionis tempus aerumnis, doloribus, summis omnium rerum angustiis, obseptum est. Itaque Christus nostra caussa miserias ita magnas pertulit, ut eas nemo, non dicam enarrare, sed cogitando

Digitized by Google

conſequi, poſſit. Sed in eo tempore duo potiſſimum reperiuntur Agones Chriſti, qui praecipua quadam rerum difficultate laborant. Agonas dico, non certamina quaedam ueterum populorum ludicra, in quibus de palma exercitationum uariarum contendatur, ſed, in rebus ſeueriſſimis, exquiſitiſſimos ſenſus dolorum, quibuſcum tanta animi contentione decertandum ſit, ut, re ad mortem prope deducta, de uita actum eſſe uideatur. De duobus his Agonibus unus in προπαθεία Chriſti, hoc eſt, ineunte Perpeſſione, in horto, ſecreto religioſoque Chriſti ſeceſſu, exiſtit, cum Seruator hominum tam incredibili dolore angitur, ut ſanguinis grumos ſudet, naturae humanae inſolitos. Alter Agon in Cruce animaduertitur, ubi, magna et miſerabili uoce, Chriſtus, a Deo ſe, clamitat, derelictum. Quod ſi duo hos Agonas, conferas inter ſe, priore quidem, ut initio cruciatuum, acriorem eſſe poſteriorem, cognoſcas. Vterque tamen, in genere ſuo, aſperrimus eſt, uterque Chriſto tam acerbus, ut neutrius uim, quam expertus eſt Chriſtus, cuiuſquam mens aut cogitatio capere poſſit. Ac prior quidem Agon, quem Chriſtus in horto, ſub radicibus montis Oliuarum, tolerat, ſubitis eum grauiſſimiſque angoribus affligit, ut eis conſumendus

Digitized by Google

dus fere uideatur. Haec enim mala ſunt eo grauiora, quod ea nullis adhuc telis hoſtium lacertiſque inferuntur, ſed interioribus ac reconditis ſtimulis excitantur. Inſident enim in uiſceribus, incluſa ſunt in medullis, ſuccum paene ipſum ſanguinemque conficiunt, pectus ipſum pungunt aculeis ſuis atque effodiunt, totum corpus tanto iactant aeſtu, ut ſudore guttas cruentas excutiant. Hic nimirum praeceps ille ac uehemens eſt impetus irae diuinae, quae, hominum maleficio commota, incitatur in Chriſtum, praedem mancipemque pro mortalibus factum, eumque pluribus, atque acerrimis, multorum generum tormentis adoritur. Ea uero tormenta adhibent, crimen expiandum, quod Chriſto onus humanum iniungit, lex uiolata, cui ſatiſfaciendum eſt, mors ſcelere arceſſita, qua poena ſempiterna perſoluitur, inferi accuſatores, qui damnandos ſibi ſuiſque ergaſtulis expoſcunt, et, quod maximum eſt, iuſtitia Dei, quae Sponſorem, ſeuere appellatum, ad liberandam ſponſionis ſuae fidem, compellit. Sic malorum, quibus obnoxii ſunt homines, tota moles deuoluitur in Chriſtum, qui ſuis eam humeris amantiſſime ſuſcipit, ſed eius grauitate adeo premitur, ut, corpore proiecto, Deo

Digitized by Google

ter ſupplicans, in grauiſſimo cruciatu; ingemiſcat, in primis irati Dei tanto permouetur terrore, ut horreat animo, corpore tremat. Perterrefacit enim eum, uehementerque diſcruciat, memoria perduellionis, ab hominibus in Deum commiſſae, cuius, in ſe tranſlatae, poena mox ipſi luenda ſit. Conſiderat hic iram immenſam, qua Deus, in perfidos incenſus, ultionem, diuinae ac ſeueriſſimae iuſtitiae conſentaneam infinitamque, poſtulet, iamque reis intentet. Quapropter Chriſtus, Dei numen ſupplicio ſuo mox expiaturus, tantis iam torquetur angoribus, ut eo irae diuinae poculo conficiendus fere uideatur, a quo, pro culpa hominum mox exhauriendo, non poteſt non abhorrere. Et, quoniam terrore tantorum percellitur malorum, de coelo Genius ſubſidio mittitur, ad erigendum eum atque confirmandum. Omnium certe dolorum, quos deinde Chriſtus corpore lacerato excepturus erat, quantacunque ſui acerbitate atque ignominia, nihil eum mouebat hoc tempore, quo neque quicquam perceperat horum dolorum, necdum hoſtibus erat deditus. Nec uero exterreri poterat ullis periculis, quae deinceps eſſent adeunda, cum foret expers omnis peccati, quo mortalium,

Digitized by Google

um, ut corpora, sic animi, debilitantur, cum ideo maximi esset animi, firmissimi, penitusque inuicti, nec uirtute modo cunctis hominibus praestaret, sed ipso etiam robore naturali, et corporis uigore, cuius a sanitate omnis cruenti sudoris aegritudo excluderetur. Illene uero ab ullo cruciatu corporis sibi timeat, qui eo excellat animo, contra ipsam quoque mortem obfirmato, ut, mortem despiciens, discipulos suos hortetur, ne sibi metuant ab istis, qui corpus, non animum, necare possint. Nihil huius, quicquid est, extimescit Christus, summus constantiae magister, rebus factisque suis probatae. Longe maius quiddam suberat, Seruatori quod exprimeret sudorem sanguineum, nec uero aliud, quam indignationis diuinae, in humanum lapsus exardescentis, sensus, primo nunc gustu praeceptus, qui nihilo secius feruore suo effidebat, ut ex ipso Christi corpore, uehementissime commoto, cruor inauditus exaestuaret

[illegible]

[illegible] Agon in extremum fere Perpessio[illegible] incidit, editis iam in Seruatorem [illegible]uissimorum cruciatuum exemplis, ut [illegible] supplicio, paullo post exanimetur. Hoc [illegible] tempore furor hominum, in Christo ex-

cruciando, exhauſtus paene eſt, cum ſubito nouum in eum flagrantiſſimumque incendium irae diuinae cooritur, quo totus ardet, ut eo prope uideatur conflagrare. Rurſus enim ultricis illius iraé, quam ſcelus humanum conciuerat, impetus, cum uniuerſa inferorum ſaeuitia, in Chriſtum effunditur. Hic ardor torrens, qui Chriſtum amburit, maieſtatem Dei, ab hominibus laeſam, aeſtu tanto uindicat, uti dolores infiniti, quibus afficitur Chriſtus, pectore contineri non poſſint, atque in gemitus queſtuſque manifeſtos erumpant. Nam, qui ſemper unicus cariſſimuſque Patris aeterni Filius fuit, hic iam, a Deo ſe deſertum, quaſique abiectum, uehementer ac miſerabiliter uociferans, lamentatur, in circunfuſa hoſtium frementium exultantiumque turba. Cuius quidem derelictionis diuinae uis qualis et quanta fuerit, cum Deus a Deo deſeritur, nulla cuiuſquam ratio aſſequitur, nihilo magis, quam, Deum carne potuiſſe tegi. Sed iniuſtitia tam capitalis eſt peccatum, quo maieſtas Dei minuitur, idemque malum tam inſanum, nihil ut rerum conditarum tanti ualuerit, quantum ſatis eſſet ad pretium humanae culpae perſoluendum. Vt peccatum fuit infinitum malum, ſic expiari debuit infinita ſui poena,

Digitized by Google

ra, cuius mensuram implere nemo potuit, praeter Christum. Namque ira Dei, in perfidos inflammati, non potuit alio, quam Filii Dei, pignore, nec alia tamen re, quam huius ipsius internecione, sedari. Videmus, quot, et quantae, genus humanum miseriae peruagentur, bella, tyrannides, pestilentia, eluuio, uastitas, aliaeque innumerabiles aerumnae, quarum metu exhorrescimus. Sed haec, aliaque, mala, quae merito nobis grauissima uideri debent, fuerunt, ad iram Dei leniendam, leuia prorsus, nullum praeterea grauius tanti mali remedium in rebus humanis repertum est, sola mors, quam oppeteret Filius Dei, sustinuit tantae rei pondus. Sic enim, ut supra significauimus, mirabili misericordiae et iustitiae temperamento, in salutari ac prouidentissimo sacrosanctae Triados Senatu constituitur, uti Filius Dei illa fiat hostia, qua, humanae expiationis caussa, perlitetur. Quid igitur iam Christo, uadi generis humani, indignationis diuinae piaculo, quod quidem esse ipse summa benignitate uoluit, expectandum fuit. Illud uidelicet ipsum, quod nunc euenit, sed antiquitus iam ab Esaia praedictum erat, diuinitus instincto. Hic enim, quasi coram, re in conspectu posita, Christum,

Digitized by Google

ostendit, propter crimen nostrum percuti, eundem, in poenam scelerum nostrorum, a Deo conteri, eundem denique illum esse, in quem, uelut obtundendum, Deus molem transmoueat delictorum nostrorum, ui summa impulsam. Sic pluribus illustribusque notis illa declaratur concitatio, qua fertur ira diuina, efferuescens in Christum, sponsione pro mortalibus obligatum, neque deferuescens ante, quam ille plagam, nostrae contumaciae infligendam, accipiat, et, oneribus nostris oppressus atque obtritus, cadat. Sed, a casu fortior mox uirtute sua resurgens, secum nos iacentes erigit, in ueteremque gratiam restitutos, in coelum reducit

Quanto atrocius autem atque intolerabilius est, iram Dei degustare, a Deo percuti, cum indignatione diuina conflictari, tanto afflictior est ipse Christus, cui, nostra caussa, importatur, quicquid horum est malorum. Haec etsi tam ingentia sunt, ut nulla ratione possint enarrari, si quid tamen horum, uelut per umbram, noscere studeamus, cum ira Dei gratiam Dei contendamus. Quid laetius est atque optabilius, gratia Dei. Hac, in aspectu eius beatissimo, qui perfruuntur, ii nimirum hoc ipso, summo Coeli-

Digitized by Google

Coelitum bono, beati ſunt. Quid triſtius, e contrario, ac terribilius, ira Dei. Huius ſcintillulam, ex ui coeleſtis ignis, omnia comburentis, qui ſenſerint, his uidelicet deflagrandum fuerit omnibus, niſi Deus poenas, propter Filium, mitigauerit. Itaque, cum Chriſtus Numinis ab hominibus ſpreti poenam, in ſe traiectam, morte ſua, iam diu oppignerata, pendere nunc conſtituerit, tum uero Deus, pro iuſtitia ſua, ad ulciſcendum facinus iſtud infandum ira permotus, Chriſtum, non familiari iam paternoque, ut antea, ſed alieniſſimo minacique ultoris rigidi, uultu aſpicit. Hic, altius rem ſi cogites, ille ſeuerus atque triſtis Dei, a mortalibus alienati, aſpectus eſt, quem coelum ipſum adeo refugit atque reformidat, ut lumen eius clariſſimum, Sol, craſſis tenebris obtuatur. In eo tam horrido rerum omnium ſqualore, Chriſtus uadimonium pro mortalibus ſiſtit, ac iudicio tenetur tam graui, ut ipſa tenebrarum poteſtas, ex Orci faucibus profuſa, contra eum ueniat, ac neglecti reos mandati diuini ad ſupplicia ſempiterna depoſcat, horumque Sponſorem ſummis undique uiribus oppugnet. Huic, conclamatur una ac furiali uoce, dependendum eſſe capite ſuo, quod pro mortalibus

deſponderit. Vultus igitur Dei, minime ſerenus, inſolita ſui mutatione Chriſtum tremefacit, ut, ſolicitudinis anxiae plenus, omnibus artubus contremiſcat, et acerbiſſimo moerore compleatur. Laborat enim ipſa Chriſti conſcientia, ſed noſtri delicti angore, ſui nullo. Noſtrum enim iugum ſucceſſit, noſtris oneratur in Deum iniuriis, nullis plane ſuis. Ipſe igitur, aſpectus infeſti tanquam fulmine ictus, iram Dei, hominibus debitam, ſuffert, quaſi culpae ſuae mercedem. Sed ea uis eſt, hoc robur, in duarum naturarum, diuinae humanaeque, copulatione arctiſſima, ut, quod humana ſeparatim atque ſola perferre non poſſit, id, communicata ſecum diuinae naturae potentia, ſuſtentet. Patitur ergo Chriſtus aequiſſimo animo, quicquid ei malorum grauiſſimorum iratus Dei aſpectus infert, ſed aerumnis his non ſuccumbit, nec eis ullo languore cedit. Conſtat ſibi perpetuo in amore Dei, in fiducia Dei, et, laboribus periculiſque perfunctus, magna uoce, quae ipſa uires diuinas oſtendit, in manus Patris ſui ſpiritum, ſua ſponte editum, deponit

Hoc morientis Chriſti ſpectaculum quantam,

Digitized by Google

tam, neceſſe eſt, moeſtitiae materiam nobis praebeat, ſiue dolores, ab ipſo ſuſceptos noſtra cauſſa, ſiue rabiem hoſtium, ipſi inſultantium, conſideremus. Ipſa quidem rerum natura, quae paullo ante Solis Orbem obſcurauerat, iam Chriſti mortem nouis moeret miriſque prodigiis. Terra mouet, ſaxa conuelluntur, uelum Templi rumpitur, et mox ipſa ſepulchrorum clauſtra refringuntur. Quid. Nonne hi naturae agitatae trepidantiſque motus tantum ualeant, ut nobis ſingulares prorſus animorum commotiones excitent, niſi, nos noſtri, uelimus, immemores eſſe. In quanto enim ſqualore luctuque iacebimus, ſi meminerimus, noſtra tantum id culpa fieri, ut Seruator ſanctiſſimus innocentiſſimuſque mortem acerbiſſimam, et contumelioſiſſimam, occumbat. Habetis aſpectum Chriſti Morientis lugubrem miſerabilemque, Auditores.

[redacted]er ille mortis ipſius aſpectus quan[redacted]nis, quantum terroris, incutit mi[redacted]; de morte cogitantibus, cuius di[redacted]s nox, appetat. Quid, uita, [redacted]auius. Quid ergo, morte, triſti[redacted]erbius. Mors enim iſtud malum [redacted]ominum noxa, punitore Deo, in [redacted]

Digitized by Google

uitam inuaſit, ut mortale fieret corpus, quod datum fuerat immortale. Deus enim morte multat eos, quorum tanta peruerſitas erat, ut diuini ſeuerique praecepti negligentes, mortem ſceleratam atque infelicem uitae innocenti ac beatae praeferrent. Quo fit, uti mors, rerum inter homines potita, ſuas eis quoque det leges multo aſperrimas, quorum potentia legibus humanis ſoluitur, et, infinitae poteſtatis imperium nacta, ſexus, aetatis, ordinis, fortunae, aliudque, diſcrimen omne tollat. Hanc tantam mortis tyrannidem lenire dicto ſuo uolunt, qui, mortuos, aiunt, naturae debitum reddere, ut doceant, humo excitatis in humum eſſe redeundum. Sed minus animaduertunt, non ea hominem mente a Deo fingi ex terrae puluere, ut mortalis ſit, cum mors teneat locum poenae, quam Deus humanae contumaciae ſanciat. Sic mortales nos fimus, quales dicimur, ſed culpa noſtra, eamque merito deploramus. Hac enim culpa, intelligimus, fieri, ut illa, longe praeſtantiſſima, naturae humanae fabrica morte diſturbetur, qua nos ipſi conſtamus, quam nemo ſapiens, nemo frugi ſatis pro dignitate miretur. In ea, uideas, duas res, animum atque corpus, arctiſſime copulari,

pulari, ita diuerſas inter ſe, ut ſimile nihil habeant. Corpus enim ex materia conſtruitur, eiuſque partes, ſolidae ac liquidae, ſub aſpectum tactumque cadunt. Animus autem ab omni mole et concretione mortali ſegregatus eſt, eiſque facultatibus inſtruitur, quae neque oculis cerni, neque manu tangi, poſſunt. Has tamen animi uires intelligi, licet, ex rebus, quas eae uires peragunt, et muneribus, quibus funguntur. Duo igitur illa, quae animus atque corpus dicuntur, quo contineantur inter ſe uinculo, multi explicare conati ſunt, ſed potuit adhuc nemo. Vere ergo praedices, eius copulae, tam mirabilis, ſcientiam ſibi Deum ſoli reſeruaſſe, ut homines admoneantur imbecillitatis ſuae, qui rei, ſibi proximae et coniunctiſſimae, uerum perſpicere non poſſint. Corpus autem, ſenſu ſpirituque imbutum, mouetur atque uiget, quoad animo iunctum eſt, cum eoque illud habet commercium, ut mutui motus, in utraque parte compoſitionis humanae, exiſtant. Sed idem corpus, animo excedente, iacet ſine motu. Seruit animo, dum ſanitas uireſque ſinunt, uirtutibus etiam bonae mentis, continentia maxime, qua turbulentae commotiones declinantur, ac frugalitate, uirtutum genitrice,

Digitized by Google

robur accipit atque conſeruat, ſed affectum ac languidum, praeter moleſtias, multam animo moram atque impedimentum infert. Artificioſiſſima autem conſtructione, qua contextum eſt, uſuque ſingularum partium ſingulari, tantum reconditae ac diuinae oſtendit ſapientiae, ut, quo ſtudioſius incredibilis huius fabricae receſſus homines docti ſcrutantur, eo plus nouae cognitionis inueniant. At uero animus, rector corporis imperatorque, cuius uis cogitando exercetur, mirabili cogitationum et celeritate, et diſſimilitudine, ualet. Puncto temporis terrarum percurrit orbem, retruſas terrae latebras excutit, adyta naturae ueſtigat. Ipſum in coelum aſcendit, et ſidera ſtellaſque explorat. Orbium coeleſtium motu tempora metitur, et quadripartitam tempeſtatum uarietatem cauſſis effectiſque ſuis diſtinguit. Praeterita, ad colligendam prudentiam, recordatur, de inſtantibus, ad recte agendum, iudicat, de futuris, ad praeparandas res neceſſarias, coniicit, et, expedita ratiocinandi facultate, praeclarum quid atque diuinum probat. Deum ex operibus eius, nec minus ex ipſa fabricatione hominis, cognoſcit, et, ſi facit officium ſuum, omnium maxime Deum colit, ſocietatem huma-

Digitized by Google

humanam officiis tuetur, ſuum cuique tribuens, ſui expolitionem appetit, et, ſi bonus eſt, eam, uirtutis atque ingenii ſtudio, quaerere laborat. Ea uero diſciplina ſatiſfacit rationi ſuae, et humanae naturae dignitatem obtinet, hominesque reddit idoneos, ad conſulendum, tum ſuis cuiuſque rebus, tum in commune. Si Chriſtianus eſt animus, hoc utitur beneficio diuino, uti Templum fiat Spiritus Sancti, totiuſque Triados ſacroſanctae. Ac pulcherrimus quidem animus ornatur ſaepe pulchro corpore, eaque decoris utriuſque coniunctione opificium extruitur, quod, a ſui praeſtantia, Chriſtianorum eloquentiſſimi Opificium Dei eximie nominant. Sed opus, tam mirificum, quod rerum aſpectabilium tenet principatum, ui impetuque mortis facile diſſoluitur. Itaque, euolante ex uinculis animo, corpus mortuum pro cadauere proiicitur, tumulo foetorique traditur, humandum, uermibus corrodendum, redigendum in puluerem. Ab hac uiolentia mortis natura tantum abhorret, quantum ab ipſa ſui corruptione. Rationi igitur, ita ſuis relictae tenebris, ut altius ei lumen non praeferatur, omnium omnino rerum, quarum perfundimur horrore, nihil terribilius eſt, morte. Qui tamen mortis horror

tum

Digitized by Google

tum demum ingraueſcit, cum perſtringit homines, quibus nulla ſpes ſupereſt, uel reuiuiſcendi, cum uitam amiſerint; uel potiundae ſalutis aeternae, cum reuixerint. Hos, ut naufragos illos Troianos, crudelis ubique luctus obſidet, hos ubique pauor agitat, hos plurima mortis imago terret. O miſerum, horrendumque, mortis aſpectum

At quantum nihilo ſecius notae lucis in tenebris his, quibus mortis, ex pallore ac liuore oris uultuſque humani ſpectatae, commentatio circunfunditur, iam nobis offertur, cum mentem, a nobis ipſis abductam, in Chriſti, morientis pro nobis, caritatem bonitatemque ſingularem conuertimus. Hoc enim loco aperiendi ſunt religionis fideique oculi, atque acriter in Morte, a Chriſto obita, defigendi. Neque enim Chriſtus uel naſcitur ſibi, uel moritur, cum ſibi ſit aeternus, ſed utriuſque huius rei, quam corporatus ſubit, ſummum nobis beneficium impertit

Omnino totum Salutis recuperandae Myſterium ſub imagine Crucis latet, in quam ſublatus eſt Chriſtus. Videſne duo latrones? Sed quid aliud hic, quaeſo, uides, ſi religionem cogitationi adhibes, quam, ex eadem Cruce, una

Digitized by Google

na cum duobus his latronibus, pendens, totum genus humanum, cuius imagines hi duo latrones adumbrant. Impius enim latro partem hominum impiam ſignat, ſed pius latro, piam. Quanquam enim omne hominum genus, ultimorum progenitorum, qui generis humani perſonam gerebant, prolapſione, in idem ruit nefas, eademque, communi et hereditaria, impietate in Deum, officium deſerit, tamen, cum partim *Meſſiae* promiſſi gratiam amplecterentur, partim eam repudiarent, euenit, ut, ea de cauſſa, duo hominum genera, alterum impium, alterum pium, exorirentur. Quod quidem hominum diſcrimen poſtea, quam Chriſtus uerſari coepit inter homines, manſit, et manet adhuc, manebitque, quoad terras colent homines. Ex his igitur partim pii ſunt, quos religio ad Chriſtum adducit, partim impii, quos ab eo improbitas auertit. Hos in latrone impio cernis, illos in pio. Sed uterque latro cum pendet ex Cruce, conditionem poenamque totius generis humani demonſtrat. Quod quidem totum, quantumcunque eſt, ob ſcelus admiſſum, iudicio mortis condemnatum erat, quod minatus erat Deus ipſe. Ergo, qui ſe ſaluos uolunt, his imitandus eſt latro pius. Cuius quidem infamiae ſi quem for-

Digitized by Google

te pudeat, ille uero neſcit, hunc latronem, afflatu diuino, factum iam eſſe Apoſtolum, eumque magnanimum, cum hic idem, diffugientibus Apoſtolis, aut ſilentibus certe, ac trementibus, incipiat in ipſa Cruce concionari. Hic autem Latro, mirabiliter Theologus, quid agit. Dicam tibi uerbis Chriſtianae ſimplicitatis, quae, infelix eſt M. Tullius, quod neque intelligere potuit, nec ſaepius uſurpare. Poenitentiam agit, quia habet Contritionem, et Fidem. Hoc autem in primis agendum eſſe piis, ipſe Chriſtus ita praecipit, ut inde ipſum docendi initium capiat. Agite, inquit, poenitentiam, et credite Euangelio. O quantum doloris oſtendit Latro, cum, ſcelus ſuum confeſſus, Chriſti iuſtitiam ita defendit a ſocii ſui conuiciis, eum ut ſolum iuſtum praedicet. Quantum item fidei expromit illa uoce religioſiſſima, Domine, memento mei, cum ueneris in Regnum tuum. Vidit, audiuitque cuncta, in Chriſtum quae ſtatuta ſunt crudeliſſime, cum inſignis ignominiae nota. Videt adhuc turbam, effrenate tumultuantem, audit iſtos, qui, frendentes, ingenti fremitu conclamantes undique, inuehuntur in Chriſtum, acerbiſſime deluſum, quod uideri uoluerit haberique Rex Iudaeorum. Videt Chriſtum, lateri

ſuo

Digitized by Google

ſuo in Cruce appoſitum, et probris ipſius ſodalis ſui ferociſſimi diuexatum. Videt hunc eundem, multo peius, quam ſe ſociumque ſuum, ab ludaeis habitum, et cruentatum, cum facie illa deformata, quam Eſaias deſcribit, languentem, moribundum, iamque expirantem paene uidet. Neque eo ſecius, quaſi Regem cultu fortunaque regali, ſtipatum comitatu purpuratorum, conſpiciat, uenerabundus ei ſupplicat, ut ſui meminerit, in Regnum ſuum reuerſus. Tum uero Chriſtus, ut exemplum manſuetudinis ac benignitatis ſuae incredibilis edat, quod latiſſime pateat, Hoc tibi confirmo, inquit, te hodie fore mecum in Paradiſo. Adſunt igitur inſtrumenta ſalutis, et uera haec ſanctiſſimaque adſunt. Ne uero ſalutis auctor deſit, ipſe ſimul Chriſtus adeſt, in medio inter latronem utrumque loco. Paradiſum promittit emendato Latroni, eaque hic fide confirmatus, a morte nihil ueritus, ad incolumitatem peruenit, quam optimus quiſque ſibi precetur

Haec imago ſuperandae mortis omnibus a Deo propoſita eſt, qui ſolatium mortis, uerum ſolidumque, petunt a morte Chriſti. Nam moriendum erat hominibus, Numinis deſertoribus,

Digitized by Google

ſalutis ſuae proditoribus, nec moriendum modo fuiſſet eis, uerum in perpetuum etiam intereundum, niſi his tantis eorum miſeriis Chriſti miſeratio interceſſiſſet. Hic enim, exitii noſtri miſericordia captus, et ſummo in genus humanum amore impulſus, ſua ſponte, ut oſtendimus, ſe uictimam obtulit ſaluti noſtrae aſſerendae. Ac primo quidem obedientia ſua, omnibus officii numeris perfecta, legem diuinam in priſtinam reſtituit dignitatem, quam infidelitas parentum noſtrorum infregerat, cruciamenta deinde mortemque ipſam, qua nos eramus afficiendi, ſuſtinuit, ut liberaremur poena, qua tenebamur. Inſtabat hominibus, Deo infidelibus, mors, huius ſociae, tot peſtes reorum, accuſator perpetuus, idemque fraudator antiquus, cuncta manus inferna, ut perfidioſos, uoragine ſua hauſtos, in profundum iactos, aeternis compedibus uincirent. Sed caput malorum erat Dei ab hominibus alienatio, ira tanta in infidos perciti, ut, quanquam Filium Pater in oculis ferre ſolebat, hiç tamen, niſi morte Filii, placidus reddi non poſſet. Hanc Chriſtus iram obſequio ſuo, uſque ad mortem paratiſſimo, ipſaque morte innocentiſſima, hodierno demum die, atque hac ipſa hora fatali, lenit. Placato Deo,

Digitized by Google

Deo, redintegratur huius amor ille, quo procreatum eſt genus humanum, huicque et praeſidium ſalutis datur, et calamitatis perfugium. Sed, eius rei haud inſcientes, humani generis hoſtes, qui ex clauſtris inferorum prorumpunt, tanto furioſius omni in Chriſtum impetu incurrunt, ſi qua eum ui depellere poſſint a praeſidio, quod mortalibus ferat. Imitantur enim beſtias, quarum morſus, iam morientium, acerrimi ſolent eſſe. Haec tamen arma, quae contra ferunt, hae uires, quarum terrorem inferunt, hi tam feroces animi, quibus homines, duce eorum interempto, funditus delere parant, minae ſunt inermes. Etenim nihilo plus ualent, quam agitationes inanes anguium, iam eliſorum, qui obtrito capite, poſtremum cauda minentur. Cadit Chriſtus pro liberandis hominibus, ſed ipſe neci, qua Deo, mortalibus ſuccenſenti, ſatiſfiat, ſe dedit, eoque caſu ſuo, qui nihil diuini roboris ei detrahit, et dominationem mortis opprimit, et omnes ſuos humanaeque ſalutis comminuit hoſtes

Euulſo igitur retuſoque mortis ſtimulo, quem mortalibus peccandi licentia infixerat, morti nihil relinquitur, praeter minitabundum

Digitized by Google

trucemque uultum, nullarum plane uirium. Atque haec quidem mors eſt aeterna illa, qua hominum et animo, et corpori, intereundum fuiſſet in perpetuum, niſi Chriſtus eis ſua morte ſubueniſſet. Supereſt mors temporaria, quae tantum corpus hominum, eorum culpa mortale, perimit, nec tamen hoc ita delere poteſt, quin idem, etiamſi uel cremetur, uel, alio modo confectum, diſſipetur, ex ipſis cineribus ac puluere redintegratum, ab omni labe uitioque purgatum, nouae lucis claritate ſplendeſcens, ad perfruendas ſempiternae uitae ſuauitates, diuino Chriſti beneficio, reſurgat. Immo uero, qui, Chriſto perpetua animi religione iuncti, in eius amplexu animam efflant, hi certe, non tam moriuntur, quam acquieſcunt a laboribus ac moleſtiis, quibus perfuncti ſunt. Nam ſomno quaſi ſopiuntur placidiſſimo, ſpe futuri, ac felicis, in uitam reditus exploratiſſima ſuſtentati. Hanc enim nobis ſpem Chriſtus ipſe peperit morte ſua, quam pro nobis oppetiit, hunc idem reditum in uitam facile nobis dabit, propterea, quod ipſe Reſurrectio eſt, ipſe Vita. Quid autem eſt, quod ab hominum conſeruatore, humanae ſalutis cuſtode, tantis uiribus praedito, expectare, uel non debeas, uel non queas

Digitized by Google

At iſte Leo rugiens, qui, rictu aperto, oculis uibrantibus, caedem anhelans, dies noctesque nos circuit, nunc multo cupidius in eos irruerit, quos deſertos uiderit, hoſque citius deuorauerit, quibus nihil praeſidii ſit. Homines enim perditiſſimi ſuo ſe propugnatore ſpoliaſſe uidentur, cuius auxilio et res ſuas fortunaſque recuperare potuerint, et libertatem ab omni impetu prohibere. Miſeros nos, quibus, in peſſima cauſſa, de ſceleris ſocietate confitendum ſit, quod negare non poſſimus. Sed ille tamen Leo ex tribu Iuda, qui nihilo ſecius a nobis ſtat, quanto robuſtior eſt ac ualentior, cui ſe nihil auſit obiicere, quin proſternatur ab eo atque proteratur. Hic, uim ſuam diuinam cohibens aliquandiu atque abſcondens, Agni ſimplicitatem ac patientiam induit, ſeque, pro uictima terrarum orbis caedendum, obtulit, coeleſti portans robore, quicquid oneris grauiſſimi delicta hominum ſibi impoſuiſſent. In magno carnificum tumultu obmuteſcens, truculentae factionis libidini ſe permiſit, atque aras, ad quas adductus eſt, ſanguine ſuo reſperſit. Sed mactari uoluit, ut morte ſua omnes Inferorum rugitus rictuſque comprimeret, ac nos, ex Orci faucibus ereptos, omni metu periculoque liberaret.

Digitized by Google

ret. Suo igitur ſilentio Leonis infenſi fremitum compeſcuit, uictorque Inferorum, in coelum tranſlatus eſt, in ſolio maieſtatis diuinae collocatus. Hic tantam conſequitur dignitatem, ut beatarum mentium, ante Thronum eius procumbentium, adoratione colatur, earundem epiniciis, cum ſumma meritorum laude cantatis, denique coeli ac terrae, totiuſque rerum uniuerſitatis, ueneratione, qua Agni poteſtas, diuitiae, ſapientia, uis, honor, gloria, imperium in ſempiterna ſaecula, praedicetur. Sic Agno patientiſſimo cedit Leo ferociſſimus, quoniam ſub Agno Leonis Diuini robur latet, quo frangitur, quicquid eſt Inferorum, piis ſanctiſque infeſtum, aut ulla ſui ſpecie metuendum

Sed tibi tutum quid putes, ſi tute abs te tutus eſſe non poſſis. Gliſcit enim in nobis malum, eo certe grauius, quod inteſtinum eſt. Labes enim, quae genus hominum praecipitans contaminauit, permanauit ad poſteros, in horum medullas influxit, in nobis adhuc haerens, fecundam culpae libidinem fouet. Tánto altius memoria Chriſti morientis in animo ſenſuque intimo infigenda eſt. Tanto ſaepius

in

Digitized by Google

in oculis noſtris habenda imago ſupplicii crudeliſſimi, quod Chriſtus pro nobis ſuſtinet, manibus perfoſſus, pedibus tranſfixus, latere perforatus, uultu ac toto corpore cruentatus, miſerandum in modum. Hac effigie funeſtiſſima tot tantorumque cruciatuum, quis, ſi quid ſanitatis habet, non commoueatur. Hac cogitatione dolorum, tot exquiſitiſſimorum, quos Chriſtus pro nobis excepit, quis angi non poſſit, *niſi* hominem ex homine exuerit. Ergo diligens, ac religioſa, recordatio Chriſti, tam indigna, tam crudelia, pro nobis perpeſſi, permultum ualet ad refrenandas cupiditates prauas, et repentinas animi tempeſtates procellaſque ſedandas. Ne quid autem opis diuinae, in tanta hominum infirmitate, deſideres, ecquando numen Chriſti praeſentius tibi fore, putaueris, quam ſi eum per immenſos cruciatus ſuos oraueris, ut eadem tibi benignitate, ad ſeditionem animi reprimendam, ſubueniat, qua ceteros coercuerit hoſtes ſalutis tuae. Ita ſua, ac Spiritus Sancti, uirtute nos, indole noſtra ad uitium procliues, corriget atque confirmabit, ut, appetitu in ordinem redacto, illecebris corruptae uoluntatis obſiſtere poſſimus, et, ſi quid humana deliquerimus incuria, hoc cumulate obſequii ſui

Digitized by Google

perfectiſſimi ſanctitate compenſabit. Quicquid peccauimus, quicquid, pro infirmitate noſtra, peccabimus, id quidem nobis uehementer dolendum eſt, erratique uenia ſuppliciter a Deo petenda. Nullius tamen delicti tam foedas ſordes collegeris, quas, facti uere ſerioque poenitens, ſanguine Ieſu Chriſti, terra coeloque praepotenti, eluere non poſſis

Nihilne autem, aut parumne forte, eſt peccatorum, quod nos, ad rem noſtram quamlibet attentos, quotidie fallat, tum praeſertim, cum optime uidemur egiſſe, ac nobis ea de cauſſa maxime placemus. Cum enim non ſolum manifeſta ſint peccata, ſed etiam occulta, quae nos ipſi ignoremus, utroque certe eorum genere Deus grauiter offendi poteſt. Quidni uero Deus offendatur eis rebus, quae uel fiunt inique, uel omittuntur, ab hominibus, in exquirendo officio ſuo ſegnibus adeo, ut neſciant, quid ſe deceat in utramque partem. Quanquam tectiora ſunt peccata, ſuum tamen retinent uitium, cum ab iis admittantur, qui delinquunt ignorantes, ſed ignorationem hanc ſuam cognoſcendi diligentia ſuperare, et potuiſſent, et debuiſſent. Atque hi quidem nullum locum habent excuſandi

Digitized by Google

di ſui. Verum alia quoque praue fiunt, quae neque ſciunt homines, nec ſcire ſibi uidentur poſſe, ullo modo. Haec iſti neſciunt, deprauata iam ſui natura. At ſcire eadem, et potuiſſent, et debuiſſent, niſi culpa ſua ſcientiam, ſibi cognatam, una cum ſanctitate, perdidiſſent. Itaque ſubtilius quidem peccant, quoniam eorum uitia minus in oculos incurrunt, peccant nihilo ſecius. At, quicquid horum eſt peccatorum, uel conſpectiorum, uel tectiorum, id omne aufert atque delet idem Agnus diuini roboris, qui tollit portatque peccata mundi totius. Si mundi totius, ergo peccata, tum nota, tum ignota. Chriſtus enim moriens ideo diuinae illius irae, quam nos commerueramus, uim omnem uertit in ſe, et pondere grauitatis huius immenſae obrui quaſique conquaſſari uoluit, ut coeleſti nos leuaret onere, quod ferre non poſſemus. Itaque nos, Deo reconciliati per Chriſtum, huiuſque deprecatoris gratia freti, Deum, ut inexorabilem iudicem, non metuimus, ſed, ut mitiſſimum amantiſſimumque Patrem, ueremur, ea quidem pietate, quae filios deceat. Sic, afflicti noſtro caſu, Chriſti beneficio excitamur, eiuſque meritum, nobis partum, ſi uera ſtabilique fide amplectimur, habemus pretium, omni

Digitized by Google

par ſolutioni, quo perſoluamus abunde, quicquid ullorum nomine peccatorum debeamus

Hoc religionis munimento fulcitur atque firmatur conſtantia Chriſtiana, eaque mente tutam ſe reddit. Sed quantum leuitatis humanae ſubeſt mentibus noſtris, ut, in magna rerum difficultate, quae circunſtare nos ſolet, ſaepius noſtri meminerimus, quam Chriſti. Ita, reſpectantes nos, in quibus nihil ſtabilitatis, nihil praeſidii, ineſt, titubamus facileque concidimus, quos a Chriſto oculos nunquam deiicere oporteret, ut, eius diuino, ſemperque praeſenti, auxilio ſtaremus non uacillantes, labentes etiam rurſus erigeremur. Quis autem tam robuſto excelſoque eſt animo, qui, ſi quod extremum iudicium expectauerit, eius cogitatione nihil moueatur. O quam ſaucia hic eſt multis uulneribus honeſtiſſimi cuiuſque conſcientia, ut facile multos, in hac uita, magnus timor inceſſat, ne, in magno illo atque cenſorio die, cum factorum, conſiliorum, dictorum quoque ſingulorum, reddenda fuerit ratio, ſententiae iuſtiſſimi ac ſeueriſſimi iudicis ſuccumbendum ſit. Hoc, nemo dubitet, quin futurum ſit, nemo, quin aliter fieri non poſſit, ſi quidem homo, ſua uirtu-

Digitized by Google

uirtute fidens, ſua ſeſe innocentia tutari uelit. Sed, immortali Dei beneficio, ſupremo huic iudicio praeeſt ipſe Chriſtus, qui, pro tribunali ſedens, ac diuina maieſtate fulgens, frequentiſſima cingetur corona ſtipatorum coeleſtium, uti ſuum cuique ius dicat, ea poteſtate ac ſeueritate, qua deſtinatus fuerat a Deo uiuorum mortuorumque iudex. Quanquam impiis tam ingentem terrorem iniiciet, eius ut uultum aſpectumque ferre non poſſint, pios tamen tanta conſolatione permulcebit, ut eius in conſpectu memoriam omnis doloris priſtini deponant. Hunc enim, norunt, illum eſſe, qui, ſuſcepta hominum cauſſa, inſons ipſe atque ſanctus, condemnari, excruciari, confodi, mori, in uitam redire, in coelum tolli, uoluerit, ut ſuo mortales expiaret ſupplicio, eoſque, ab interitu retractos, ſecum in coelum traduceret, et munere donatos aeternae ſalutis, ac participes gloriae ſuae factos, ſincera perpetuae felicitatis uoluptate perfunderet. Plus animi, plus ſolatii, piis accedet, ſi Chriſtus eis ueſtigia clauorum, quibus hominum cauſſa affixus eſt Cruci, ſi uulnera, quae accepit, in corpore ſuo glorioſo oſtendet, ut Theologis quibuſdam inſignibus placet. Cuncti profecto, qui ſolum Chriſti latus

Digitized by Google

perfoſſum religioſe cogitant, in eo, uident, ſibi Aſylum aperiri, receptum monſtrari, quo confugiant, ubi muniti ſint aduerſus quantaſuis formidines, nullamque Inferorum uim, in exitu uitae, pertimeſcant.

Morte igitur Chriſti, quae ſola nobis, tum aliam ſolicitudinem omnem, tum poſtremi potiſſimum iudicii metum, demit, mortis noſtrae atrocitas leuatur atque euaneſcit. Hoc enim domitore, mors aeterna ſubigitur, hoc liberatore, ſempiterna nobis uita comparatur. Quid ergo magis laetabile, quam aſpectus ille mortis elangueſcentis, proſtratae, ac iacentis. Huius certe hoſtilis et optatiſſimae cladis ſpectaculo non poterimus non recreari, ſi, quotieſcunque mortis, mali ſuapte natura maxime terrifici, cogitatione permouebimur, non exanguem luridamque mortis faciem inſpiciamus, ſed in mortis ſtrage Chriſti, pro nobis animam deponentis ac recipientis, potentiam uictoriamque conſideremus. Fallit, hoc in genere, opinionem expectationemque credulorum Conſolatio Philoſophiae, quae artem mortis contemnendae multis argumentis oſtentat, ſed uanis atque irritis. Vera ſolidaque mortis ſolatia, religioſo

Digitized by Google

ſo Chriſti morientis aſpectu, eiuſque reuiuiſcentis ac reſurgentis memoria, ad ſalutem noſtram conuerſa, pariuntur nobis atque confirmantur. Hic fidei ſanctae clypeus eſt, hoc beatae ſpei fundamentum, hoc conſtantiae Chriſtianae robur, hoc libidinis ſeſe efferentis frenum, hoc aegritudinis leuamentum, haec mentis medicina, quae cunctis animi morbis, ipſiſque mortiferis conſcientiae uulneribus, medetur.

Nos autem, DOMINE IESV, princeps reſtitutorque ſalutis noſtrae, nos malefactorum noſtrorum conſcientia torquemur, cum te, ex cruce pendentem, atrociſſimis iniuriis obrutum, doloribus ſupplicioque confectum, intuemur. Quicquid enim malorum tot incredibilium tu, ſanctus per omnia atque innocens, toleras, id uero nobis erat, noſtriſque delictis, infligendum. Sed, quoniam oneri, tam graui, ferundo nec noſtrae ceruices erant, nec ullae omnino, propterea tu, miſericordia noſtri permotus, caritate in nos immenſa ductus, noſtrum locum ſubire, noſtrum onus humeris tuis excipere, uoluiſti, ac ſuſtinere. Criminibus enim noſtris te pro nobis reum ſupponis, noſtris miſeriis ſubiici premique uis, acerbitatem poenae,

nae, nobis luendae, corpore animoque tuo ſacroſancto experiri paratus es, diuinum denique ſanguinem tuum, ſupremum quoque ſpiritum, profundere haud recuſas, uti tua morte nos, a morte redemptos, ad priſtinam reuoces ſempiternamque libertatem. Ea uero re, qua nobis, penitus deſperatis, ſola diuinitus ſubueniri poterat, tantam nobis conſolationem affers, ut, ſublata exitii noſtri cauſſa, ipſi nobis redditi uideamur. A te conſeruati, a te ſuſcepti, nihil amplius ueremur, ne calamitatibus uitae huius aerumnoſae opprimamur, neue abiiciamur, perculſi in primis terrore mortis, illiuſque decretorii iudicii, quod, repentino iudicis aduentu inſtructum, facta mortalium iuſte ſeuereque diſceptabit. Mortis enim, quam pro nobis obiiſti, memoria erigimur, refectiſque uiribus, et animum, auxilii tui praeſentia, confirmamus, et optimam ex ea ſpem concipimus, quae non huius modo uitae, ſed etiam futurae, quam maxima certiſſimaque ſolatia oſtendat

Agimus igitur tibi, Soter Optime Maxime, gratias immortales, qui tantis, tamque diuinis, beneficiis nos, ope tua conſeruatos, cumulaueris. Tua enim unius bonitate conſecuti

ti ſumus, ut, cum antea nos, rebus fortuniſque noſtris euerſi, nihil in nobis, nihil in ulla re condita, nihil ipſis in mentibus coeleſtibus, ſpei facultatiſque ullius, ad detrimenta noſtra quoquo modo reconcinnanda, reperiremus, iam et gratia Dei, nobis placati, in terris gaudere poſſimus, et ſpe duci firmiſſima, gloriae, quandocunque deceſſerimus, inter coelites adipiſcendae

Sacerdos cum ſis, qui ſe ipſe noſtra cauſſa, pro mundi uictima, obtulerit, deprecare, quaeſumus, pro nobis Patrem tuum, ut propitius ſit nobis, ut benignus, ut paterna caritate in nos, filios quondam perditos, impetrata nunc uenia, in gratiam receptos. Propheta cum ſis ille magnus, qui uoluntatem Patris ſui ex ipſo ſinu paterno terris ediderit, inſtitue nos uerbo coeleſti tuo. Fac, animis ad doctrinam uitamque tuam compoſitis, nos bonitate tua, in nos effuſa infinitaque, quantum fert imbecillitas humana, dignos gerere ſtudeamus. Cum denique Rex ſis, non Iudaeorum modo, quanquam ea ex re ringuntur hoſtes tui, ſed Rex etiam Regum, Dominus dominatorum, rege, oramus te, Spiritu tuo Sancto coetum,

Digitized by Google

tibi delectum, hic ut ſancte integreque conſeruet Myſterium, quo Meriti tui ſacroſancti religio, noſtraeque incolumitatis atque omnis ſpei praeſidium, continetur. Rege ſanctitate tua mentes noſtras, ut eas in caſto ſinceroque cultu nominis tui, ſine quo ſalus hominum neſcitur, perpetuo defigamus. Fac maxime, nos, Mortis ac Reſurrectionis tuae uenerationem amplexi, tibi deſeruiamus, tibi deuinciamur, ut, Paulli tui, abs te in uia Damaſcena mirabiliter emendati, in tertio quoque coelo eruditi, exemplo inſtitutoque, nihil perinde uelimus ſcire, ac Ieſum Chriſtum Cruci affixum. Rege poſtremo res ſpeſque noſtras aſſidua cogitatione numinis tui praeſentiſſimi, uti nos, praeſidio tuo freti, in fide incorrupta ſtabilique maneamus, ut tua noſtri cura, tuaque pro nobis uigilantia, qua gregem tuum, bonus fiduſque paſtor, in gremio foues, confiſi, de fortunis communibus nunquam extimeſcamus, ut, in ueritate uocis tuae multo amantiſſimae, qua ſanctiſſimam tui ipſius in nobis manſionem polliceris, innixi, ſempiternae uitae gaudia, quae te ſemper et ubique proſequuntur, mente, in te fixa, in omni caſuum uarietate, praecipiamus. Ita nos uiui angoribus animi leuabimur, ab iniu-

riis

Digitized by Google

riis improborum defendemur, omni Inferorum metu liberabimur. Sic mortui fructum integerrimae felicitatis, ac boni ſine fuco ſummi, quod tua nobis morte comparaſti, inter triumphales coeleſtium myriadas, ſine ullo uiciſſitudinis periculo, capiemus

II

DE SPIRITV SANCTO FONTE SOLATII HVMANI

Solatio nobis peropus eſt, Auditores, ad aerumnas uitae miſerae, tam graues, tam multiplices omnium generum, ſufferendas, quibus nos, ſenes iuueneſque, in omni reipublicae ſtatu, omni ciuium ordine, omni dignitatum atque fortunarum amplitudine, premimur, et, undique laceſſiti oppugnatique, circunſidemur. Sed huius ſolatii robur, quod quidem perferendis communibus mortalium miſeriis uires ſufficiat, a nullis hominum uel inge-

Digitized by Google

niis, uel uiribus, ſumere poſſumus, totum certe hoc, quantumcunque eſt, a ſolo Deo, et expetere, debemus, et expectare. Cum enim, quicquid fortunae, in utramque partem, conditio mortalis recipit, a ſolo proficiſcatur Deo, ſine cuius numine nihil rerum humanarum agitur, huius ſane unius arbitrio ſpes opeſque noſtrae ſunt permittendae, qui ſolus nos, aduerſis caſibus oppreſſos, ſuſtentare, ſolus labentes excipere, ſolus iacentes erigere, et multis nos modis recreare, poſſit

Quis autem noſtrum, qui communi inueteratoque malo originis corruptae laboramus, ſua uirtute confiſus, hanc apud Deum iniſſet gratiam, ut, ſine deprecatore ac pacificatore Chriſto, in certam exploratamque auxilii diuini ſpem ingrederetur. Nimis longe nos ad unum omnes fidei uiolatae crimen, a maioribus ſuſceptum, ad poſteros traductum, ab amicitia Dei reiecerat, ut nobis, coelo, quod piis tantum patuerat, excluſis, ad inferos detrudendis, in perpetuum uideretur pereundum. Quo maioris fuit, hominum Seruatorem, pro nobis expiandis, Deoque placando, mori, noſtraque cauſſa, ſed uirtute ſua, excitatum, reuiuiſcere, et, ſublatum in coelum, ad Patrem coeleſtem, ea,

Digitized by Google

ea, quam induerat in terris, humana forma, ſed diuinitus illuſtrata, redire, ut uiam nobis in coelum aperiat, noſtra primorumque parentum culpa intercluſam

Sed huius ſolatii, quo nihil maius reminiſci poſſumus, nullum perciperemus fructum, niſi ſalutare Chriſti meritum caſta ſanctaque fide amplecteremur, in eoque innixi, fiduciam, in Chriſto collocatam, uſque ad ſupremum uitae tempus ita retineremus, ut ipſam denique animam, Chriſto in manum datam, poneremus. Hoc opus, hic labor eſt, quo ſtat ſalutis humanae ſumma. Sed ideo res haec in facultatibus noſtris ſita non eſt, quae ſaepe numero, in ipſis etiam naturalibus ciuilibuſque negotiis, deficiunt. Tota uero res illa, quantacunque eſt, unius Spiritus Sancti ſubſidio praeſidioque et geritur, et perficitur, Auditores. Neque enim Corinthiis ſolum, ſed nobis etiam cunctis, palam facit diuinus ille Paullus, a nemine poſſe Ieſum dici Dominum, niſi per Spiritum Sanctum. Vt multus eſt idem, ut grauis, in explicandis Spiritus Sancti beneficiis, quibus homines cumulentur. Hanc in ſententiam cum alia ſcribit ad Epheſios, tum illud, Spiritum

Digitized by Google

Sanctum esse firmamentum ac munimentum fidei nostrae. Hunc enim, ostendit, arrhabonem esse hereditatis nostrae coelestis, dum nos, a Deo in libertatem perfectam uindicati, eius gloriae, ut Dei filios decuerit, unice seruiamus

Proinde, quanquam diuini Spiritus numen semper colendum nobis est, idem tamen hodierno die praecipua quadam pietate celebrandum uidetur. Hoc enim die summe mirifica Spiritus Sancti dona in Apostolos, eosque audientem piorum concionem, effunduntur, et, insolito scholae sanctioris, quae uocibus tot, tamque dissonarum sermone, circunsonat gentium, spectaculo, ueritas doctrinae, proxime a Christo traditae, confirmatur. Audiunt enim Hierosolymis gentes, undique congregatae, illos, sua loquentes lingua, qui nunquam eam didicerant. Vident linguas dispertitas, ignique sacro flagrantes, quae, toto coenaculi spatio dispersae, non in ore hominum sanctorum, naturali linguarum sede, sed in eorum uertice, ubi nihil linguarum neque quaeras, neque inuenias, lumine mirabili emicant, tantumque Dei, in singulis capitibus insidentis, numen praesentiamque indicant, ut ipsis hominibus arde-re capita uideantur. Sentiunt hi populi, afflatu

Digitized by Google

tu diuino perculſi, ſe in partes religionis gaudiique communis trahi. Itaque, in tanta linguarum uarietate, mutuo ſe intelligentes, mutuo ſeſe excitantes, ſtudio collaudandi Deum, uenerandique noua eiuſdem miracula, inter ſe certant

Sic ipſae linguae dono Spiritus Sancti conſecrantur. Et, quoniam diuinae humanaeque *ſtudium ſapientiae* linguis continetur, ad nos *longa* temporum ſerie propagatis, ſine quibus res, literis earum linguarum mandatae, intelligi non poſſent, illud quoque apertum eſt, eodem Spiritus Sancti munere conſecrari ſimul, quicquid eſt artium bonarum. Hodiernus ergo dies nihilo minus eruditis feſtus eſt habendus, quam piis, et utriſque uertendus in rem ſuam. Eruditi uero mirabilibus eius diei euentis docentur, et ipſa ſui origine ſanctas eſſe liberales artes, neque ullam eruditionem recte adhiberi, ab animi ſanctimonia quae ſeiungatur

Quamuis igitur haud alienum foret ab hoc tempore locoque noſtro, de ipſa linguarum artiumque bonarum ſanctitate uerba facere, animaduerto tamen, Spiritum Sanctum, non a linguarum

Digitized by Google

guarum dono Panglottum, ſed a conſolationis munere Paracletum, in diuinis commentariis appellari. Inſtituam igitur dicere, ſed pie magis, quam ornate, de VNICO OMNIS VERI SOLIDIQVE SOLATII FONTE, Auditores. Quam quidem ad rem ut ueſtra in audiendo beneuolentia mihi adiumentum afferat, precibus omnibus flagitarem, niſi, eius rei gratia rogari uos nolle, ſatis ipſe ſcirem. Sola enim religio, qua mentes hodierni diei cogitatio imbuit, hunc in locum uos ire, iuſſit. Bene enim ſapienterque iudicaſtis, nullum neque ſanctius, neque magis neceſſarium, eſſe genus officii, quam Spiritui Sancto quod praeſtetur, ſine quo nihil ſanctum eſſe poſſit, nihil uera conſolatione tranquillum

Omnis conſolationis duplex eſt genus, Auditores, alterum diuinae, alterum humanae. Diuinam dico conſolationem, quam praebet, uel diuinum perfecte agendi praeceptum, quod Legem nominamus, uel diuinus gratiae, per Chriſtum mortalibus recuperatae, nuntius, quem laetum optatiſſimumque ſermonem Euangelium nuncupamus. Atque homines quidem fontem conſolationis uberrimum reperiſſent

Digitized by Google

ſent in ipſa Lege, ſi Legis religionem conſeruaſſent. Integra enim Dei gratia, nihil eis maximorum defuiſſet bonorum, quae uel in terris percipi potuiſſent, uel in coelo ſperari. Sed, quando priſtinam natiuamque Legis ſeruandae facultatem ingenii humani libido infregit, in Lege iam perfracta, quae iratum oſtendit Deum, nihil ſpei miſeris mortalibus reliquum fuit. Cum autem Chriſtus, officium Legis pro hominibus praeſtandi, negotium ſuſceperit, atque confecerit, huius ipſius Legis attenta contemplatio, ad fructum conſolationis Euangelicae capiendum, illud adiuuat, ut, ſuſcepta Paedagogi ſeueritate, et noſtra nobis peccata detegat, et mentes noſtras, irae ac poenae diuinae metu perterritas, ad poenitentiam, auxiliumque a Chriſto petendum, compellat

Humanam dico conſolationem, quae exiſtit ex ingenio humano, cuius intelligentiam ac uires excutere, cum Philoſophorum maxime ſit, eam quidem conſolationem, haud incommodum eſt, alio etiam nomine Philoſophicam uocari. Haec tametſi ex Lege, in hominum mentibus inſculpta, depromitur, quoniam tamen originis noſtrae morbum, huiuſque in Meſ-

Digitized by Google

ſia, diuinitus miſſo, remedium, non capit, idcirco expers eſt illius medicinae, qua malum generis humani hereditarium, auitumque uulnus, ſanatur. Itaque debilis eſt haec conſolatio, niſi firmamentum mutuetur ab Euangelica, huiuſque acceſſione ac uiribus, tum illuſtretur, tum roboretur. Ita uero duo hi conſolationis adhibendae modi, diuinus atque humanus, non minus dignitate, quam uiribus, permultum differunt. Quicquid tamen utrique habent firmi roboris, quod Philoſophicae conſolationi diximus ab Euangelica ſuppeditari, id quidem merito Spiritus Sancti, tanquam Conſolatoris, proprie, ab ipſoque ſingulari munere ſuo, dicti, beneficio referimus acceptum. Vtrumque genus conſolationis, diuinae et humanae, explicate tradendum, altiuſque repetendum, uidetur

Ac diuina quidem conſolatio profluit, uel ex Lege nondum uiolata, uel ex Euangelio, ita, uti demonſtrauimus. Per Legem intelligo Moralem illam, quae, omnium communis hominum, nihilo minus ad homines ceteros, quam ad Iudaeos, pertinet. Illud intereſt, quod haec Lex Iudaeis duntaxat in Tabulis diuinis promulgata eſt, uoce, quae audiretur, diuina, nec uero alia, quam ipſius Chriſti, cum Dei

Digitized by Google

Dei uerbum atque ſermo, et os coeleſte ad homines, ſit ipſe Chriſtus. Eſt enim haec Lex, ſuapte ui ſi expendatur, aeterna omnium temporum, eſt ipſa Dei ſapientia, eſt infixa mentibus hominum in prima eorum procreatione. Itaque una eademque Lex eſt, ſiue Lex naturae, ſiue Lex Moralis, ſiue Decalogus, uocetur. Nihilo ſane ſecius, quam unum eſt Euangelium inde uſque a promiſſione prima, quae editur in Paradiſo

Atque haec quidem Lex nobis, prima generis humani labe aſperſis, terrori eſt, cum noſtrae nos prauitatis accuſet, ſed eadem Adamo, adhuc integro, non potuit magnae uoluptati non eſſe. Habuit enim haec Lex eximiae dignitatis, cunctarumque princeps, atque parens, in ſe plurimum uerae delectationis, ſiue excellentia ſua, ſiue latoris ſui conſilio ſententiaque, ponderaretur. Eſt enim luculentum diuinae mentis exemplar, eis expreſſum uirtutibus, quas admiramur in Deo atque ueneramur, ac tanta Dei benignitate in animis hominum impreſſum, uti, eam per Legem, cognitio Dei, ex infinita perfectione ſua noſcendi, cum hominibus communicetur. Quod quidem natura ipſa docuit gentes

Digitized by Google

profanas, quarum ſapientiſſimi, ut Cicero diſſerit, in ea fuerunt ſententia, Legem, neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed Aeternum quiddam, quod uniuerſum mundum regat, imperandi prohibendique ſapientia. ita principem Legem illam, et ultimam, mentem eſſe, omnia ratione aut cogentis, aut uetantis, Dei. Quanquam igitur immenſum Dei numen ex uniuerſis naturae operibus, ſi animum paullo acrius intendas, cognoſci poteſt, idem tamen hac potiſſimum Lege, quae diuinitatis adumbratam imaginem manifeſtaſque notas habet, ſeſe prodit. Summa enim, qua praedita eſt, ſapientia, ſanctitate, iuſtitia, ceteraque omni uirtute, conditorem ſui ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, iuſtiſſimum, omnibus uirtutis numeris abſolutum, ac potius originem uirtutis, ipſamque uirtutem, indiciis argumentiſque clariſſimis, oſtendit. Quo fit, ut, quanta Legis huius, quamque uere diuina, ſit uirtus, tanta eiuſdem uera ſit pulchritudo, ueraque iucunditas. Nihil enim, uel pulchrius, uel amabilius, eſt, uirtute. Hinc ſcitum illud Platonis, ſi forma honeſti oculis cerneretur, fore, ut mirabiles ſui amores excitaret. Voluit autem Deus hanc Legem ſuam, quam inſigni

Digitized by Google

ſigni bonitate hominibus tribuit, eiſdem ſuauitate quadam ſingulari commendare, ut ea tanto libentius, ac diligentius, cuſtodiretur. Hos enim iuſtitia et ſanctitate uera, quae ſummam totius hominis perfectionem contineret, condidit, ut, uirtute eorum integerrima, purum caſtumque cultum, et maieſtate ſua coeleſti dignum, perpetuo in terris haberet. Qui quidem cultus ut perfectus eſſet, et uoluntati diuinae conſentaneus, hunc Deus ſua Lege ſanxit, cui ſi obedirent homines, cunctis rebus eſſent fortunati atque florentes. Huius ad Legis opus perfecte faciendum, Deus hominibus inſeuerat, quantum ſatis eſſet ſuperque lectiſſimarum facultatum. Eam autem Legem, longe optimam, non ſcriptam poſuit ante oculos, quos effugere multa ſolent, ſed in animo humano inſcripſit, ut pignus tam coeleſte, in penetralibus mentis humanae incluſum, in ſenſu intimo penitus affixum, et minus pateret oblitioni, et firmius intelligentia memoriaque teneretur. Tantum enim ſcimus, quantum memoria tenemus. Ita homo uacauit omni labore Legis huius, quam innatam habuit, atit eius ex Tabulis repetendae, quam intimam ſecum circuntulit, atque, ut erat ſanctus

natiua indole ſua, non potuit eiuſdem Legis ſanctitate non incredibiliter oblectari. Sic enim comparatum eſt hominum natura, ut, huic quae congruant maxime, his plurimum gaudeamus

Adamo autem, adhuc bono, etſi religioſa Legis diuinae contemplatio plurimum uoluptatis attulit, ſanctus tamen eiuſdem Legis uſus eum longe maiori gaudio cumulauit. Nam uirtus eius tanta fuit, ut illi Legi reſpondere, eiuſque praeſcripta ſeruare, poſſet. Eam enim Legem Adamus, in animo ingeneratam, habuit, eamque, uitae ducem, ſecutus, animo tranquilliſſimo laetiſſimoque fuit, atque in terris adhuc uere beatus. Cum enim ad imaginem ac ſimilitudinem Dei formatus eſſet, iuſtitia et ſanctitate inſigni fuit, ac penitus cum lege diuina conſenſit, non minus intelligentia, quam uoluntate, ipſoque appetitu. Vidit enim, cuncta, quae praecipiat haec Lex, ſapientiae ac uirtutis perfectae eſſe plena, quorum praeſtantia uim numenque declaret auctoris immenſi. His non poterat non gaudere, idque eo magis, quo altius bonorum tam coeleſtium dignitatem, pro ſapientia ſua, perſpexerat. Vidit, ſi obſeruentur ab ſe, quae Lex haec, et altera, huic

Digitized by Google

huic in Paradiſo adiecta, de fructu arboris uetito, dictitet, plurima inde bona, atque excellentiſſima, in ſe proficiſci, amorem gratiamque Dei, bonae mentis conſcientiam, animi tranquillitatem, perpetuam corporis ſanitatem, immortalitatem, uitam omnibus rerum copiis circumfluentem, poteſtatem ampliſſimam imperii in cunctas animantes, et alia, quibus potiora ne ipſe quidem poſſit fingere. Vidit, huius eiuſdem *Legis* cuſtodia, ſibi felicitatem conſeruari bene beateque uiuendi, in horto amoeniſſimo, in magna fructuum ubertate ac iucunditate, ſub coelo molli atque ſalubri, ſine ullis tempeſtatum nocentium iniuriis, nullis uitae moleſtiis, ſine ignauia quidem ac languore, ſed nullo laboris moleſti ſenſu. His Adamus beatae uitae *bonis* mirifice delectatur, quoniam, pro ſanctitate ſibi ingenita, delectatur Lege diuina, eiuſque officium facit. Sed, Legi diuinae, ad caſtum piumque Dei cultum, tota mente deditus, perpetuum animi ſui domicilium Spiritui Sancto praebet, qui hoc in domicilio Templum toti Sacroſanctae Triadi ſtruit, cuius numine quo magis impletur Adamus, eo ſanctior fit ac laetior, et integritate ſua, et felicitate. Fuit enim ſemper Spiritus Sanctus, erit-

eritque, ut uerae ſanctitatis, ſic uerae laetitiae, auctor, ipſa proprietate officii ita nominatus

Adamus autem, in hac naturae ſuae excellentia, non modo plenam conſenſionem cum uoluntate Dei habuit, ſed etiam uoluntatem liberam, ut Deo recte ſeruiret. Huius enim cultui erat factus, qui cultus liber eſſe debebat, haud ulla ſui parte coactus, quippe, cum moralis actus uim ſuam perdat, dempta libertate. Ea uero uoluntas Adami libera non modo plene cum uoluntate Dei congruebat, ſed etiam adiunctam habebat uim facultatemque arbitrii liberi, in utramque partem, ad bonum malumue. Atque animum quidem Adami liberum applicari ad partem deteriorem potuiſſe, caſus eius triſtiſſimo eſt argumento. Ne quid igitur libertatis huius cognatae recto deeſſet uſui, rector Adamo datur Spiritus Sanctus. Huius enim eſt, ciere ac moderari bonos animi motus. Ei quoad obtemperat Adamus, et frugi eſt, et felix. Deus autem, cum Adamum horto ſuo cuſtodem impoſuiſſet, ut eum coleret ac tueretur, illi nullius non arboris fructibus ueſcendi poteſtatem fecit. Vnam duntaxat arborem excepit, quam deguſtare uetuit, adiuncta

Digitized by Google

adiuncta simul mortis poena, nisi praeceptum suum diligentissime obseruaretur. Hoc Dei mandatum, tam seuerum, quanta obsequii religione curandum sit, ipsa Lex innata docuit Adamum, eoque etiam magis, quod nihil dum sapientiae suae eximiae deperdiderat, idemque illud luculenter adhuc natura, quamlibet deprauata, nos docet. Nimirum, si rationi, in actionibus humanis, parendum sit, multo magis parendum esse auctori rationis. Caussa enim potior est effecto, et propter quod aliquid tale est, illud magis est tale. Quod quidem si uerum est in ratiocinatione, quae regula naturae dirigitur, quid tibi iam, putes, faciundum, si quidem ipsum naturae auctorem audias praesentem, atque coram, rem quandam sua tibi uoce mandantem. Atqui Deus Adamo, quem, iam fictum e terra, in Paradiso collocat, ore suo praecipit id, quod Adamus auribus suis accipit, ne quid gustet, ex arboris uetitae fructu decerptum. Neque eo secius cibum uetitum sumit a muliere, obediens huic, Dei negligens. Quo facto, non solum singulare mandatum, ipsisque loquentis Dei uerbis editum, uiolat, sed etiam Legem naturalem, quae omnino ei necessitatem parendi imponebat, hac potissimum in re, quam

Deus uoce ſua iuſſerat, coram auditus. Videt Cicero, in Tuſculano ſuo diſputans, miram deprauationem animi humani, eiuſque medicinam quaerit. Optat id, quod fieri non poſſe arbitratur, tales nos natura generari, ut naturam ipſam intueri et perſpicere, eademque optima duce, curſum uitae conficere, poſſimus. Ita futurum, iudicat, uti neque quiſquam rationem ac doctrinam aliunde requireret, et ipſa nos ad beatam uitam natura perduceret. Nonne uero id, quod Tullius deſperat, habuit Adamus hoc tempore, quo in eo, ad imaginem diuinam facto, naturae, adhuc incorruptae; et tantis bonis ornatae, plenum lumen apparuit, quo item in Lege, menti ſuae indita, eiuſque ſapientia et ſanctitate, ipſam Dei, ex attributis ſuis cognoſcendi, tanquam formam faciemque, qualis cerni poſſit ab homine, haud obſcure ſpectat. Hunc etiam naturae effectorem, quem uirtutum maximarum datorem, et munificentiſſimum mentis exornatorem, habuerat initio, fideliſſimum poſtea magiſtrum nanciſcitur, quam idem ille, qui plurima, ac praeſtantiſſima, in Adamum decora congeſſiſſet, diligenter hunc grauiterque ſummonet, ut officii ſui memor ſit, caueatque, ne qua mandati accepti

ne-

Digitized by Google

negligentia et infidelitate uitam, et, huic quae coniuncta sunt, bona naturalia, scelerate perdat.

At ille nihilominus homo, oblitus Dei, suis se fortunis euertit, iamque ingentibus discit malis, quibus circumuenitur, quam beatus fuerit, dum Spiritui Sancto obtemperauerit, in se habitanti, quam miser sit calamitosusque factus, cum Serpentis Spiritui locum dederit. Videret ergo conspectum nuditatis suae, quod antea non solebat, pudore dedecoris sui [illegible] poenae diuinae latebris abditus, [illegible] inclamantis Dei uoce citatus, tanto [illegible] reuera ingentis miraculi loco [illegible] endum, eum, continuo exanimatum, [illegible] isse. Hoc initium fuit calamitatis humanae, quae secundissimis rebus successit, et [illegible] priſtinae uestigium memoriamque [illegible] error Legis, non solum il[illegible] separatim in Paradiso promulgatur, [illegible] ipsius Naturalis, ut maiestas diuina [illegible] homine, duplicis sacrilegii damnan[illegible] cum Adamo agitur, quod [illegible] solum corpori, quod interi[illegible] mortem infert, sed ipsas

Digitized by Google

etiam animi, insignibus facultatibus instructi, uires infringit, ut tantum pristinae sanctitatis haud retineat, quantum satis sit, uel ad expiandum perfidiae suae delictum, uel ad Legem Dei, quam in animo impressam gerit, inuiolate seruandam. Nullis uerbis assequi possis magnitudinem criminis, quod uno tempore, et Adamo, et cunctis eius posteris, et uniuerso hominum generi, cuius personam sustinet Adamus, caput eius atque stirps, summa diuinae bonitatis munera excutit. Adamus ergo, cum sui alienique sit prodigus, cum ingratissimus in Deum, cum, deserto officio suo, contumax imperiumque recusans, nihil eius solatii, quod ante id tempus senserat, ex Lege diuina capit, sed plurimum pauoris atque horroris, ac, metu exanguis, nihil in se leuamenti reperit, quo malae mentis conscientia dolorque leniatur. Cognoscit igitur, nullam in animo quietem, nullam solicitudinis leuationem, nedum uoluptatem, superiori similem, residere, ex quo Spiritus Sanctus excesserit

Reliquum erat, ut penitus his tantis conficeretur angoribus, nisi, infinita Dei benignitate, salutaris illa promissio Muliebris Seminis, quo

Digitized by Google

quo conterendum ſit caput Serpentis, praeter opinionem expectationemque omnem, interueniſſet. Hoc optatiſſimo ſalutis redditae nuntio erigitur, hoc animum renouat, hoc ſpem redintegrat, hoc religionem ſuam poſterorumque confirmat. Quid autem huius, quantumcunque eſt, quod certe in conſeruandis hominibus ſummum eſt atque unicum, quid huius, quaeſo, tum homines miſeri uel intelligere, uel ad ſe accommodare, ualuiſſent, niſi a Spiritu Sancto et inſtituti commonefactique fuiſſent, et gubernati. Hoc aeterni conſilii arcanum, quod admirabilem Dei bonitatem, incredibilemque in homines caritatem, reſpiciatur, Chriſtus quidem ipſe ex ſinu Paterno edit, ut deſperatis hominum rebus opituletur, eoſque, metu abiectos, noua conſolatione excitet. Sed paullo ante eiuſdem Chriſti, Dei ad homines Oratoris, uoce terribili, qualem ſceleris admiſſi indignitas atrocitaſque poſcebat, ſic erant perterriti atque attoniti, ut [illegible]fit, eos, quorum et corpus et mens ſtupuerit, audiendi ſenſum retinuiſſe. Itaque Spiritus Sancti munus erat, ſemianimes recreare, horrore ac frigore rigentes refouere, perturbatis mentem componere, titubantes firmare, ut

Digitized by Google

animum dictis aduertere, eaque percipere, poſſent. At uero, Deum pro homine ad ſupplicium dari, tanta erat res, tam alta, tam retruſa, nullius ut cogitatione comprehendi, tam improuiſa item atque inopinata, ut nihil huius mens humana ſuſpicari, poſſet. Rurſus ergo Spiritus Sanctus huic difficultati medetur, ſuaque ui mentes hominum debilitatas tangit, pertractat, uerſat, ut fidem uoci coeleſti habeant, ut inde fiduciam capiant, ut, huius fiduciae pleni, Seruatoris promiſſi conſolatione, tanquam ſalutis ancora, in turbido uitae ſalo, in tempeſtate maxima, teneantur. Sic plurimum ſolatii reperiunt in miſericordia Dei immenſa, cum nihil eius habent in Lege, prauitati ſuae infeſta; nihil ullis in uiribus ſuis, culpa ſua labefactatis, ſed, quicquid conſolationis percipiunt, hoc Spiritui Sancto, et docenti, et exuſcitanti, et corroboranti, merito debent

Quibus rebus fit, ut Lex naturae Adamum, pro duplici eius ſtatu, uarie afficiat, ſtantique multum gaudii afferat, nec minus triſtitiae lapſo. Lex tamen ipſa non mutatur. Vna manet eademque, poſtero etiam tempore, quanquam diuerſis nominibus appellatur.

Digitized by Google

illud duntaxat incommodi ad uſum huius Legis accedit, quod eius notitiae naturales, poſt hominis caſum, peruerſis iudiciis in mentibus obſcurantur, ſaepe etiam inſigni gentium prauitate uitiantur. Gentes enim, errore ſuperſtitionis occaecatae, multa contra Legem, in animis inſignitam, finxerunt, multos utique monſtroſoſque Deos, multiplicem Dei cultum et contaminatiſſimum. Receperunt libidinum confuſiones, frequentarunt immolationes hominum in ſacrificiis, alia inſtituerunt plura, quae a prima Legis naturalis impreſſione abhorrent. Legis Moralis praecepto ſanctitas matrimonii ſancitur, at, inſtituto Laconum, integrum fuit, cum marito de coniuge paciſci. Ex praeſcripto Legis Moralis nihil eſt foedius, inceſtu. Nulla tamen inceſtus ratio habetur a ueteribus Graecis, Syris, Aegyptiis, aliiſque Aſiae regibus, Regium contra putatur, fratrum ſororumque connubia iniri. Lex Moralis iubet, tantum abſtineri a libidinoſa hominum caede, ut ab hominibus, inique laceſſitis, iniuriae etiam propulſandae ſint. Sed Romani ludos gladiatorios multa feſtaque caerimonia faciunt, in quibus homines, per ludum iocumque, nec ſine praemiis uictorum, interficiantur. Immanitatem huius ſpectaculi perhorre-

horreſcunt in primis ueteres Chriſtianorum antiſtites, ſed idem exhibetur adhuc in ſtatuis, quae Romae in palatio Barbarino, hortis Pamphyliis, aliiſque locis, Florentiae, in Xyſto Mediceo, uiſuntur. Alia ſileo, peruerſis complurium populorum moribus recepta, publiceque commendata. Haec autem cuncta ipſius Legis naturalis, qualem Deus ſanctiſſimus mentibus hominum, uelut imaginem ex ſua expreſſam ſanctitate, indidit, caſtitatem perfectionemque corruperunt.

Sed, quoniam has Legis caſtiſſimae ac ſanctiſſimae corruptelas inuexit tanta peruerſitas hominum ac malitia, ut ipſae notiones, in animis informatae, quae poſt hominum prolapſionem manſerant, ſaepe multumque obſcurarentur atque deprauarentur, ideo Deus afflictiſſimo hominum generi ſtatuit opitulari. Integritatem enim huius Legis ſuae generalis illuſtrandam, duxit, et, quae prius innata tantummodo fuerat, eam literis iam monimentiſque Tabularum duarum, exiſtimauit, conſignandam, ac publice promulgandam, ut eadem iam uel lectitari poſſet, uel aliis recitari explicarique, et tanto plenius rectiuſque cognoſci. Itaque iuri non ſcripto, quod

Digitized by Google

quod in mentibus hominum ante id tempus incluſum fuerat, accedit iam ius ſcriptum, quod toti hominum generi propoſitum eſſe debeat, ex eoque manat fons ille diuini humanique iuris, unde poſtea omnes omnium gentium leges, ſi quid ſani habent, effluxerunt

Hoc autem ius Dei ſcriptum, quod Decalogum a decem praeceptis, cuncta hominum officia, ſumma imperandi prohibendique ſapientia, *complexis*, dicimus, hoc, inquam, ius Dei, *literis* proditum, cum priſtinam originis ſuae *integritatem* retineat, omnia certe, quibus hominum laſciuia magnas tenebras offuderat, luce quadam noua diuinaque perfudit. Sic euenit, ut, quid pie, iuſte, continenterque, agendum eſſet, in bono ac perfecto lumine collocaretur, et nulla ſanctitatis huius legitimae ignoratio dubitatioque relinqueretur. Nihil huc addi poterat, nihil hinc demi, quando Lex illa omnes officii humani numeros habebat. Vnum tantummodo illud erat neceſſarium, ut haec lex, moribus hominum regundis ſtatuta, in oculis omnium memoriaque haberetur, atque eadem caſtitate conſeruaretur, qua erat conſtituta. Haec igitur Lex Moralis, culta probis atque cuſtodita, in Dei ciuitate

Digitized by Google

manſit omni aetate. Quanquam in populo Iudaico, unde lux diuina ceteris gentibus affulſit, ipſe Codex Legis huius, Moyſis manu ſcriptus, aliquando in tanta omnium ignoratione iacuit, ut, temporibus demum Ioſiae in Templo repertus forte, Regique recitatus, incognita, neſcio quae, planeque noua, nuntiare uideretur. Ipſa uero Legis huius, quae in mentibus inſculpta erat, ſcientia prius etiam, quam eius tabulae conficerentur, in domeſtica diſciplina, ſacriſque familiaribus, priſcorum ſanctiſſimorumque procerum integra manſit, et liberis a parentibus fideliter explicata eſt, ſeuereque diſcentibus ingeſta. Atque haec quidem res eo ſanctius eſt geſta, quo maiori Deo curae fuit, ut coetum, ſibi delectum, Spiritus Sancti praeſidio regeret, ad doctrinam, quam maiores reliquerant, poſteris ſine detrimento prodendam. Magnum nihilo ſecius Dei fuit opus, quod, hac Lege promulgata, numen ſuum illuſtrius fecit, eaque promulgatione, tum ius faſque, omni hominum ſocietati colendum, tradidit, tum maieſtatem ſuam, ueram incorruptamque, a diis gentium profanarum commentitiis diſcreuit. Itaque, praecipuo quodam ſapientiae documento, Legem naturae, quae

Digitized by Google

latissime patebat, in breuem illam epitomen, quam Decalogum dicimus, contrahere, statuit, eandem, concinna atque accurata partium omnium distributione, ad usum discendi ac recordandi expeditiorem facere, atque adeo, apte dispositam, euidenterque definitam, omnium in conspectum dare

Haec tamen Lex, quae una semper fuit, illis tantum attulit solatium, ei perfecte qui possent obedire. Illis enim praemia uirtutis amplissima proposuit, adiectis tamen simul diris poenisque grauissimis, si quis ab eadem Lege transuersum unguem discessisset, ulla in re. Sic toti hominum generi, per infirmitatem suam, pereundum fuisset, nisi Christus caussam suscepisset mortalium, et omnes, oculis in auxilium salutaris huius Sponsoris Vadisque coniectis, interitus periculum effugissent, quotquot ad incolumitatem, ex omni saeculorum memoria, peruenerunt. Legem illam, de qua ante dictum est, inter tonitrua, scimus, et fulmina promulgari, in immani hominum audientium ac trementium turba, cui affuerint sexcenta millia uirorum armatorum, praeter senes, mulieres, pueros, Leuitas. Haec autem

Digitized by Google

multitudo, in terrorem coniecta, cum uocem Legis tonantis ſuſtinere non poteſt, quid aliud ea re, putes, indicari, quam, fragilitatem humanae et uitiatae iam naturae, Legi tam ſanctae, tam ſeuerae, non amplius ſufficere, ob eamque cauſſam homines, ſuae ſibi conſcios imbecillitatis, perterrefieri, ubi uoce Legis formidoloſiſſima compellentur

Sed, hic tantus Legis minacis terror cum inuadat animos, indignationis diuinae memoria perturbatos, quid inde tandem conſolationis in homines, ſuorum conſcientia flagitiorum anxios, redundare poteſt. Nihil, Auditores, nihil omnino. Nam, qui Legis obedientiam abiicit, huic non merces obſequii expectanda eſt, ſed contumaciae poena. Nihilne ergo Lex homini prodeſt. Multum uero. Speculum enim nobis porrigit, uti nos in eo contemplemur noſtraque uitia, quibus obruti, deformemur. His autem cognitis, nihil in uirtute noſtra ſolatii reperimus, plurimum terroris atque angoris, quem multiplex uitae noſtrae culpa nobis infert. Quo magis autem Lex poenae, quam malefactis noſtris commeruimus, grauitate nos exterret, eo uehementius nos adigit, ut confugia-

Digitized by Google

fugiamus ad Christum, eiusque nos obsequio, Legi pro nobis praestito, tegamus. Qua in re Paedagogum se nobis praebet, ut, ad Christum adducti, accipiamus ab eo, quod Lex a nobis exigit, sed uires nostrae non ferunt. Hac Christi liberatoris memoria nos ex timore recipimus, et ingens bonum reperimus in Lege, sed poenitentibus utile, qui praesidio Christi nitantur. Huius tamen boni solatium non Legi debetur, quae accuratam sui obseruantiam sine exceptione infirmitatis poscit, sed Spiritui Sancto, qui terrore Legis homines emendat. Est enim mentis humanae, hereditaria desidia marcentis, concitator, stimulator, agitator, arcanus atque sacrosanctus, ut in sensu medulliſque nostris tales cieat motus, qualis ipse est, et quales Lex ipsa desiderauerit. His diuini Spiritus igniculis atque aculeis ex ueterno auito expergefacti, contemplamur Legis, omnibus impositae, sanctitatem, ex eaque malefacta nostra ita cognoscimus, ut nostri iam nos poe- gratiam Christi in ueterem Dei gra- reſtitui, uelimus, ut uitae, obsequio nouo e- consilium ineamus. Quicquid huius est, id certe totum est Spiritus Sancti, sine quo nihil sancti uel mente concipere possumus, uel ore

ore proferre, uel opere ullo praeſtare. Neque enim uitio ſolum laboramus, ſed etiam ipſa uitioſitate tanta, ut quamcunque ad rem, ſancte gerendam, ſimus inepti. Nihil autem optatius homini, ad Deum reuocato, accidere poteſt, gratia Dei, uſque eo recuperata, ut hic ex ultore acerrimo fiat pater mitiſſimus, ut ſupplicium, nobis ad inferos ſine fine luendum, cum coeleſtis perpetuique gaudii fructu commutet. Quod quidem nulla fieri ratione poſſet, niſi Spiritus Sanctus, pia uiolatae Legis contemplatione, religioſas animi commotiones nobis excitaret, ac uirtute ſua efficientiaque arduum illud, quod ſegnitie noſtra naturali languet, opus noſtrae ad Deum reuerſionis expediret. Tali modo, quicquid conſolationis ex emendatione noſtri, inchoataque obedientia, qua legem proſequi cupimus, prouenit, hoc, oportet, non Legi, ſed Spiritus Sancti beneficio, tribuamus

Hoc nemo, pro eo ac par eſt, capit, niſi Chriſtianus, ac ne hic quidem, niſi recte de praeſenti uirium humanarum debilitate, recte de Spiritus Sancti benignitate ac potentia, ſentiat. Nihil ergo beati poſſunt acquirere ſibi Sapientes pro-

Digitized by Google

profani, ubicunque ſummum ſibi bonum fingant, cupideque quaerant. Ex his autem, qui de finibus bonorum et malorum inter ſe digladiantur, meliores utique cenſeas, qui primas dent ſtudio uirtutis, atque hoc rationis norma dirigant. Eam uero uiuendi agendique regulam modo rationem, modo naturam, modo dignitatem ſapientis, aliterque, dicunt, ſed pluribus uocibus unam deſignant eandemque Legem *naturae*. Hanc, in hominum mentibus ingeneratam, adhibent ducem actionum, cogitationum etiam, ſi cordatiores uelint atque ſanctiores uideri. Marcus enim Cicero, in tertio de Officiis contra minutos philoſophos diſputans, hunc nobis in lucem edit uirum bonum, cuius ſimiles, haud ſcias, quot uideas in Chriſtianis *ipſis*. Namque hunc oſtendit, qui, non modo facere, ſed ne cogitare quidem quidquam, audeat, quod non audeat praedicare. Itaque poenam turpitudinis, quam legum, longe acerbiorem putat. Eos autem totos ſceleratos iudicat et impios, qui deliberent, utrum id ſequantur, quod honeſtum eſſe uideant, an ſe ſcelere contaminent. in ipſa enim dubitatione facinus ineſſe, etiamſi ad id non peruenerint. ergo deliberanda omnino non eſſe, in quibus

bus ſit turpis ipſa deliberatio. atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi ſpem opinionemque remouendam. Satis enim, inquit, nobis, ſi modo in philoſophia aliquid profecimus, perſuaſum eſſe debet, ſi omnes deos homineſque celare poſſimus, nihil tamen auare, nihil iniuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter, eſſe faciendum. Haec Tullius, qui honeſtatem integritatemque cogitationum ipſarum, ad officium uitae atque decus, requirit. Solet autem philoſophari cum Platone ſuo. Ex quo perſpicuum eſt, principibus Graeciae Latiique ſapientibus idem, de conſeruanda cogitationum ipſarum innocentia, uiſum fuiſſe. Ita poſito ſic hominis officio, quid agunt porro ueteres ſapientiae magiſtri, quid praecipiunt. Legem naturalem proponunt hominibus, eique obtemperandum eſſe, cunctis edicunt, qui bene beateque uiuendi cupiditate flagrent. Hac enim ex Lege, hominum communi, optima diuini humanique iuris principia repetere ſibi uidentur. Hac in Lege, humanae naturae inſita, fontem ſtatuunt ipſius honeſti, ab hoc autem honeſto uirtutes plurium generum, tanquam totidem honeſti riuulos, ducunt. Deriuant inde officia omnis uitae humanae, quibus, beatum

Digitized by Google

tum exiſtimant ipſis in rebus aduerſis, qui ſemper et ubique fungatur. tum enim plus boni in uirtute reſidere, quam fortuna potuerit eripere, uiroſque uere magnos, uere beatos, non fortuna, ſed uirtute, pendi. Splendide ſane diſſerunt ac magnifice, ut, eos ſi audias, ex te beatus fieri poſſis. Ne uero credas, hanc iſtorum felicitatem his duntaxat anguſtiis, quas natura eis ad uiuendum dederit, claudi, alterius iam, multoque fortunatioris, uitae ſpatium dant. Addunt enim, his, qui pure integreque uixerint, praemia uirtutum decerni in diuino animorum concilio, quo proficiſcantur ex hac turba et colluuione. Ea ſi uera ſunt, quid illis beatius. Sed neſciunt humanae naturae corruptelam, neſciunt mortalium uires, in rebus diuinis proſtratas, neſciunt auxilium Chriſti, hominibus latum, quo niſi ex interitus periculo fuiſſent erepti, funditus perditi fuiſſent. Diuinae lucis, quae mentium corruptarum caliginem diſcutit, expertes, unam ſequuntur Legem naturae, ac ne hanc quidem integram, ſed fallacibus iudiciis ſuis obſcuratam. Hac tamen in Lege tantum pulchritudinis, tantum excellentiae, tantum quoque iucunditatis, adhuc reperiunt, ut, eius Legis ſtudio beneficioque, placidam ſibi felicemque uitam ef-

Digitized by Google

fici, putent. Quantum ergo felicitatis atque uoluptatis erat, quod rectus plenuſque eius Legis uſus, uel primis et integris adhuc ſtirpis humanae conditoribus afferre poſſet, uel eorum poſteris ſponderet, ſi quidem hi priſtinas ortus humani facultates retinerent, huius ut legis munus obire poſſent. Eius tantae rei conficiendae difficultatem ſapientes iſti ex ipſa origine mali humani cognitam non habent, eam nihilo ſecius ſentiunt, idque factis ſuis declarant ipſi. Quid enim eſt, quod ſapientem, ſua ſibi cogitatione informatum, non in ullo hominum coetu, ſed ſola in mente atque intelligentia ſua, collocent. Huic perfectum tribuunt officium, quod etiam rectum dicunt. Ab eo diſcernunt officium medium, quod item commune uocant. Hoc autem medium, non illud rectum, uitae humanae uindicant, ab eoque officia trahunt, quaſi ſecunda quaedam honeſta, quae non ſapientum modo propria ſint, ſed cum omni hominum genere communia. Quapropter hominum uitae dant Decios ac Scipiones, ut fortes uiros, Fabricios, et Ariſtides, ut iuſtos, Catones, Laelios, ut ſapientes, ſed haud ita perfectos, ut ab eis ipſius fortitudinis, iuſtitiae, ſapientiae, numeris omnibus abſolutae, petatur exem-

Digitized by Google

exemplum. Hos enim, aiunt, ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam ſpeciemque ſapientum geſſiſſe. Illud nihilo minus honeſtum, quod in noſtram intelligentiam cadat, tam tuendum eſſe conſeruandumque ſibi, ducunt, quam id, quod proprie dicatur, uereque ſit honeſtum ſapientibus, quanquam modum uirium ſuarum excedat. Quanti iam eſt uir bonus, quem non multitudo, ſed Socrates et Fimbria Romanus norunt, innumerabilia officia laudeſque complexum. Hunc talem, negant, uſquam eſſe, cuius uirtutes reperiant in nemine. Quas quidem uirtutes cum metiantur Lege naturali, hanc, ſignificant, exigere, quod ſupra hominem ſit. Ergo de infirmitate uirium ſuarum confitentur ipſi, eius autem ueram expeditamque cauſſam perſpicere non poſſunt. Neque tamen non, felicitati ſuae tanquam faſtigium imponi, arbitrantur, poſſe, ſi uirtutes exerceant, quarum eis copiam Lex naturae faciat. At, ſibi nimium blanditi, opinione uirium ſuarum decepti, miſerias ſuas non uident. Nam, uerae religionis ignari, non animaduertunt, quid quantumque interſit inter externas ciuileſque res, et interiores illas, quas pia uoce Spirituales uocamus. Externas res bene adminiſtrauerint,

Digitized by Google

ſi rationi congruenter agant, ſecundum id, quod Lex naturae iubet. Satis enim luminis naturalis adhuc habent, ſatis uirium, ut legibus humanis reſpondere uita moribuſque, ut reipublicae probari conſiliis factiſque, poſſint. In poſteriori autem genere ſanctitatis interioris nihil ualent, neque intellectu, qui caligine obductus eſt, nec uoluntate, quae in peccatis emortua, neque ullis uiribus ſuis, quibus ne facultas quidem relicta eſt, ut Apoſtolus gentium Corinthios docet, boni ullius cogitandi. Hoc rudimentis Chriſtianis tritum eſt, ſed idem ſapientes iſti, myſteriorum rudes, ignorant. Nihil ergo, quod ſine fuco beatum ſit, ultra terminos huius uitae ſperare poſſunt, et, ſi quas ſedes beatas piis manibus aſſignant, eas quidem in coniecturis ponunt, tam incertis ſane ac dubiis, ut ne ſtabilem quidem, de animi immortalitate, ſententiam teneant. Itaque minus conſtantiae, quam uenditare ſolent, rebus aſperis praebent, eamque affectant quidem animi magnitudinem, ne quando deſint oſtentationi praeſtantiae ſuae, ſed, doloris impatientes, mali grauitate ad deſperationem adducti, ſaepe mortem ſibi conſciſcunt, et hanc debilitationem atque abiectionem animi habent in numero fortitudinis cuiuſ-

dam

Digitized by Google

dam insignis. Quibus rebus fit, ut e suis falsisque bonorum finibus detrudantur in fines malorum, quia nullum Spiritus Sancti lumen habent, nullumque eius adiumentum. Christiani autem Legis eiusdem naturalis usum habent, sed longe salubriorem, multoque iucundiorem. Externas enim ciuilesque actiones suas non minus ea prudentia instruunt, ut cupiditates refrenent, rationi obsequantur, et officia societatis humanae colant. Sic naturae parent, quae uocat ad honeste uiuendum, et, recte agendo, multa uitae incommoda declinant, multa sibi commoda comparant, nec minora pauciorae consequuntur bona, quam sapientes isti, natura duce usi. Quicquid igitur solatii obseruantia Legis naturalis potest afferre uitae ciuili, hoc item capiunt Christiani, sed multo etiam amplius, propterea, quod auxilio Spiritus Sancti iuuantur. Hoc enim adiutore, malitiosas iuris naturalis interpretationes uitant, conscientiae potius, quam gloriae, seruiunt, neque honestati modo dant operam, sed etiam sanctitati non simulatae. Sic, Deo freti, diuinoque praesidio sustentati, inter ipsas multorum generum calamitates, tranquillius uiuunt, quam Sapientes isti. Nec tamen ullo iuris naturalis studio, ullaue tanta uirtute, quan-

Digitized by Google

tam Lex diuina exegerit, in officio ſanctitatis, efficere poſſunt, ut adipiſcantur id, quod optant in primis, quo proſpiciunt in terris, quo, ſumma deſideriorum ui, pro ſe quiſque, nituntur. Eſt enim Chriſtianorum, futura, non praeſentia, aeterna, non caduca, piis in coelo parata, non uanis in terris quaeſita, ſpectare. Quas quidem ad res, coeleſtis gloriae plenas, nos, priſco decore nudos, haud adiuuat Lex illa, quae olim progenitoribus ultimae aetatis, integra adhuc eorum ſanctitate, uiribus animi nondum labefactatis, magno utique ſolatio fuit. Haec Lex, quam fregit impietas hominum, ſuas in eos uires colligit, inſtat facinoroſis, ut capitali eorum poena expietur. Itaque territat eos ira Dei, legiſlatoris offenſi, ſacrilegis ſupplicium multis cum diris minatur, perditos in exitium uocat, ſempiternamque peſtem

Mortalibus igitur, deſperata iam ſalute, grauiter laborantibus, ſubuenit Euangelium, omnemque eorum ſedat metum. Aperit enim proximum conſolationis diuinae fontem, ac miſeris nobis ſemper adeundum. Eſt autem tanta conditum ſuauitate, ut generis humani ſolatium ac deliciae merito uocetur. Hoc Chriſtus, ex ſinu gremioque patris ſui depromptum,

Digitized by Google

ptum, hominibus, qui ſceleris ſui conſcientia trepidabant, a timore ac triſtitia deducendis, propoſuit, hoc omnis memoriae pios ex doloribus ſuis recreauit, hoc inſtauratae ſalutis humanae totum fecit opus. Nec uero aliud erat fidei praeſidium, quod reſpicerent, quo ſe reciperent, in quo collocarent ſeſe totos, qui cultus Leuitici inſtitutum intelligerent, eiuſque ſacrificiis, ut Chriſti Typis, uterentur. Caedes enim tot uictimarum haud ea fiebat mente, qua gentes, a uero Deo alienae, numina commentitia, hoſtiis mactandis, placare, cum pernicie ſua, conſueuerant. Sed myſterium recuperandae ſalutis illis ſymbolici cultus integumentis inuoluebatur, eorumque tractabatur religione, qui Meſſiae, antiquo Oraculo editi, atque hominibus ſponſi, fiducia tenerentur. Huius illi ſanguinem, pro genere humano profundendum, acri attentoque animo intuebantur, hunc, quaſi manantem iam e corpore ſanctiſſimo, expiationi ſuae fide religioſa accommodabant, eamque religionem ſuam cruentis uictimarum ſacrificiis, uelut externis notis, profiteri ſolebant. Sed piam hanc animi inductionem neque concipere, nec tenere, poterant, ſine auxilio Spiritus Sancti. Qui quidem ſanctos

in

Digitized by Google

in eis motus faciebat, ueram ſalutaremque fidem in eis excitabat, ac ſtabiliebat, ut Seruatoris promiſſi meritum, tanquam praeſens ipſaque morte iam partum, arriperent, hoc in oculis memoriaque haberent, in hoc toti et mente et animo inſiſterent, eiuſque uiribus fructum ſalutis, per muliebre ſemen oblatae, conſequerentur. Itaque Spiritus Sanctus, per ritus caeremoniaſque cultus huius externi, uim diuinam in animos exercet, eiſque, ſancta fide nixis, gratiam impertit, qualem ſacramenta Noui Foederis ſolent impertire. Hoc autem fit beneficio Euangelii, quod incolumitatem perditis mortalibus pollicetur, quod eis eandem concedit, ac ſuis continet theſauris, quicquid humanae ſpei reliquum eſt. Hortatur tamen ſimul hominem, ut Legem diuinam habeat in honore ſummo, eamque ſibi in oculis defigat, ac ducem uitae ſumat, ſed caueat, ne plus in eius obſeruantia uiribus ſuis tribuat, quam eae ferant. Hominem enim, docet, ad munus Legis huius explendum, quantum poſtuletur uirium, haud retinuiſſe, ſed, eis quod deſit uiribus, hoc ab infinita Chriſti iuſtitia ac ſatiſfactione repetendum eſſe, eaque fidei religione amplectendum, quaſi hominis ipſius ſit proprium. ſic perfectam Legi obtemperationem,

quam

Digitized by Google

quam Christus adhibuerit, nobis uindicari, nostramque duci, ut diuina, per et propter Christum, sententia absoluamur. hunc ad Filium Dei receptum Deo maxime probari, hunc ab eo quoque iuberi, et nouam, quae fidem e uestigio debeat consequi, obedientiam nostram Deo placere, quanquam haec inchoata modo sit, neque amplius, in hac naturae deprauatione, perfecta esse possit. Totum hoc, quantumcunque est, quod certe in salutis negotio maximum est, totum, inquam, est Spiritus Sancti. Hic enim, diuina uirtute sua, ac ministerio Verbi diuini, fidem nostram mouet, alit, roborat, animo prauum expellit, rectum inducit, libidines identidem pullulantes reprimit, sanctitatis ac probitatis studium incendit. Hac fide, tot bonis coelestibus instructa, quam excitat in nobis atque confirmat, nos reuocat ad Deum, cum eoque copulat, nos inserit Christo, ut palmites uiti uiuae, ipsamque imaginem diuinam Christi iustitia, nobis donata, instaurare nititur, quoad illa, in terris inchoata, in coelo perficiatur. Itaque Spiritus Sanctus in noua Pentecoste datur, ut fiat Lex ad illum Euangelicum modum, Christi iustitiam arripiendi, ac nobis accommodandi, eiusque rei causa Spiritus Sanctus in mente humana tales

Digitized by Google

efficit motus, quales Lex diuina poſtulat, et qualis eſt ipſe, ut, perpetua Chriſti fiducia, Legi ſatiſfaciamus, quod uiribus noſtris haud poſſimus. Tali benignitate cuſtodiaque noſtri, nobis, per nos infirmis, ſemper auxilio eſt, ipſamque Legis acerbitatem temperat Euangelii ſuauitate, qua nihil ad animos, conſolatione ſanandos, praeſtantius eſt. Huius enim Euangelii uox diuina Legis, ſuo in peccantes rigore adeo terribilis, ut eos occidione uelit occidere, aſperitatem manſuetudine ſua miſericordiaque mitigat, Chriſtum monſtrans, unicum generis humani Liberatorem, qui miſeros aduocet, afflictis receptum det, neminem, pie ad ſe confugientem, repellat. Vox haec, tam ſuauiter auxiliaris, in ſacris literis tam canora, per Aſſertorem ſalutis Chriſtum, execratione poenaque Legis ultricis nos liberat, nec tamen imminuit auctoritatem Legis huius, ſed, ei, noſtra cauſſa, ab hominum Conſeruatore, ſatiſfactum penitus eſſe, nobis acclamat. Hanc doctrinam coeleſtem Deus largitur hominibus, ut ipſe ex ea ſancte, et agnoſcatur, et colatur. Sed tanta eſt humani generis imbecillitas, inter horribiles tot hominum furores, tot immanes errorum confuſiones, ut, ſine ope diuina, ne in externa quidem

uita,

Digitized by Google

uita, nedum in obedientia interiori, satis à corruptelis plurium generum cauere nobis possimus. Itaque Spiritus Sanctus subsidio mittitur hominibus, per se infirmis, ut, eius auxilio, illa coelestis doctrina penetret in animos, quos, ad uirtutem segnes, Christus ui Spiritus Sancti commoueat. Hic enim mentes ad pietatem obsequiumque inclinat, hic gratiam, Christi morte recuperatam, nobis ostendit, eaque re nos alacriores facit ad Deum sincere colendum, eius bonitate fidendum, et optime sperandum. Magnum ergo Spiritus Sancti beneficium cernitur in Euangelio, rectis hominum studiis excipiendo, sanctis attentisque animis tractando, atque in salutem nostram conferendo, ut multis eius paratissimisque solatiis in omni uita sustentemur. Omnino Euangelium est diuinum illud munus, quo nihil bonis omnibus affluentius excogitari potest. Est enim fons quidam inexhaustus omnis consolationis efficacissimae, quae animos cura, metu, solicitudine omni, releuet, tantumque polleat, ut sine ea uanum sit atque inane, quicquid in solatiis duci solet. Sed tria potissimum consolationis Euangelicae capita uidentur esse, unum, de gratia culpae nostrae facta, aliud, de auxilio Dei in rebus aduersis praesentissimo,

Digitized by Google

mo, tertium, de futura certaque malorum leuatione. Namque Euangelii uox eſt, per et propter Chriſtum condonari peccata, cum Deoque in gratiam rediri, dummodo Chriſti meritum uera, ac ſtabili, fide amplectamur. Euangelii uox eſt, per et propter Chriſtum, fore Deum, ſemper praeſentem, cunctis auxilio, a quibus per et propter Chriſtum imploretur. Euangelii uox eſt, qui Deo per et propter Chriſtum reconciliati ſint, his, laboribus miſeriiſque huius uitae perfunctis, plenam eſſe aeternamque leuationem omnium malorum certo ſperandam. Triplex haec Euangelii uox nobis cunctis, qui ſacris Chriſtianis initiati ſumus, a paruulis tam nota eſt atque trita, nullius ut egeat probationis. Nec uero minus hoc, me quidem tacente, intelligitur, cum omnia, quae triplici uoce illa contineantur, ad meritum Chriſti praecipue referantur, hoc quoque loco alia quaedam requiri. Opus enim eſt uera diſtinctaque Chriſti notitia, ut, qualis ille ſit generis humani uindex, cognitum habeamus. Opus eſt aſſenſu pio, et uera ſtabilique fide, ut, quae Chriſtus noſtra cauſſa, tanquam uerus Deus ueruſque homo, mirabili atque unico Θεανθρώπου exemplo, ſupra hominem fecit, ea quidem omni demonſtratione explora-

Digitized by Google

ploratiora firmioraque ponamus, ac nobis adeo faciamus propria, ut ea conſtanti ac perpetua fide complectamur, uſque ad ſupremum uitae ſpiritum. Sed haec ipſa, quae accurata Chriſti cognitione nos imbuant, docere, cuius tandem fuerit, niſi Spiritus Sancti, quem, ueritatis aeternae doctorem, ſubſidio nobis Chriſtus ipſe, magno ſingularique meriti ſui beneficio, mittit. Cuius praeterea, cedo, fuerit, niſi Spiritus Sancti, mobilitatem humanae mentis atque leuitatem in tanto Chriſti obſequio continere, ut, et pie credantur illa, quae nulla intelligentia comprehendi poſſunt, et ſtabili fiducia teneantur. Hic enim, et cupiditatem Chriſti cognoſcendi nobis, ignauia ingenita marcentibus, iniicit, hic lumine ſuo coeleſti mentis noſtrae caliginem diſpellit, hic fidem noſtram communit, inuiolatamque conſeruat. Hoc cogitationum noſtrarum moderatore, cum uocem Euangelii ſuauiſſimam accipimus, tot, ſentimus, ſolatiis, ad commouendos animos pertractandoſque idoneis, nos refici, ut incredibili uoluptate compleamur, atque huius laetitiae ſenſu mortis ipſius acerbitatem mitigemus. Hactenus de Conſolatione diuina, Auditores, cuius nobis quantus, quam benignus munificuſque, auctor ſit

Digitized by Google

Spiritus Sanctus, uidetis, noſtis etiam, me tacente

Reſtat humana Conſolatio, quam alio nomine Philoſophicam dicebamus, eam quoque nonnulli Legalem dicunt. Legem enim illam, quam natura ſciſcit, ſecuta eſt Ratio, per ſe Chriſti ignara, niſi doctrina coeleſti erudiatur. Haec Ratio ex Legis, in hominum mentibus inſignitae, fontibus hauſit illud, quod ſapientes ueteres laudant, Honeſtum, totumque chorum earum uirtutum, a quibus trahitur officium, et omnem uitae honeſtatem, germanamque dignitatem, ipſum denique nomen uiri boni, propriumque decus. Eam uero Legem pluribus nominibus uocitant, modo Legem inſitam, modo Rationem ipſam, modo Mentem aeternam, modo Vocem Dei, modo ipſum denique Deum, appellantes. Huius Legis conſeruatae fomentis, ut aiunt, dolor omnis requieſcit, huius neglectae terroribus cruciatuque animum confici, putant. Ex hac Lege, quicquid in rebus aduerſis habent ſolatii, deſumunt. Neque enim originem calamitatis humanae habent cognitam, ſed aliquam tantummodo notitiam huius Legis, quae multis tamen partibus in eorum menti-

Digitized by Google

mentibus obſcurata eſt. Vt autem morbum originis humanae, qui per ſucceſſiones traditur, certis auctoribus compertum non habent, ſic ipſam eiuſdem mali medicinam neſciunt, quam diuinum Seruatoris meritum, eiuſque doctrina ſalutaris, et eiuſdem ad hominum ſalutem accommodatio, docet. Hic fons eſt ueri ſolatii, quem Spiritus Sanctus aperit in ſacris literis, afflatu ſuo excitans inflammanſque ſcriptores ſacros, uti uoces, ex mente diuina exceptas, in monimentis perſcribant. Hac ex penu ſapientiae, diuinitus patefactae, materia conſolandi depromenda eſt, quae neruos inſerat conſolationi Philoſophicae, huic ex altiori principio ut accedat, quod eius humilitati deeſt. Quicquid huius fuerit, id profecto uim beneficiumque Spiritus Sancti manifeſto declarauerit

Eam autem animi tranquillandi uiam in illa, de qua dixeramus, Conſolatione Philoſophica reperiamus. Haec rationem ſequitur ducem, eaque uitae magiſtra, caput rei conſtituit hanc in regula, ratio praeſit, appetitus obtemperet. Atqui ratio eam dat neceſſitatis legem, ut aequo feramus animo, quod mutari non poſſit, niſi uelimus, fruſtra repugnando, moleſtias augeri.

Digitized by Google

augeri. Communis haec eſt conſolatio, popularemque morem peruagari ſolita, ſed aegritudinis ſtirpem non elidit, quanquam nos adducit aliquantum, ut dolori reſiſtamus. Ratio praeſcribit, ut uirtutis dignitatem fortunae ac dolori anteferamus. Ergo, tantum dolori, non oportet, indulgeri, ut ideo contra uirtutem faciamus. Vincit haec conſolatio priorem ingenio atque doctrina. Nititur enim iudicio mentis inſtructioris atque erectioris, quae omnino uirtutem dolore potiorem ducit, eoque dolori praeferendam, et turpitudinem maxime uitandam. Quanquam igitur huius ordinis, quem ipſa ratio ſtabilit, cogitatio naturalis patientiae quid affert, haec tamen ipſa cogitatio, uel a paucioribus ac ſapientioribus tantum concipitur, uel, a melioribus concepta, ſaepe nihil efficit, cum animi moderatio aequitaſque doloris grauitati ſuccumbit. Ratio praecipit, idemque ſenſus ipſe docet, ubi rectae uoluntatis, rectorumque conſiliorum, conſcientia affuerit, ibi minus doloris intus capi, quamuis patiendum ſit foris. Angoribus, e contrario colligas, malae mentis grauius homines affligi, quam laceratione corporis externa. Haec uis naturae cum ſit, omnes boni, conſcientia bonae mentis, in periculis ac terroribus, ſe

Digitized by Google

ſe tueri ſolent. Atque etiam peſſimi, quibus alioqui libido, quam conſcientia, pluris eſt, conſcientia nihilo minus ſua fidunt, eiuſque propugnaculum accuſatoribus animoſe opponunt, ſimul ac crimine quodam compellantur inſontes. Valet ergo illa mentis honeſtae conſolatio multum, haud tantum tamen, ut in ea penitus acquieſcatur, niſi, ex diſciplina ſcientiae Chriſtianae, adiiciamus praeſentiam Dei auxiliatricem, ſpemque certam liberationis, ad extremum conſequendae. Ratio poſtulat, ut, aequalitatem ſortis humanae recordati, communes perferamus calamitates, ne qua elati arrogantia, potiores aliis adeo nos exiſtimemus, nullos ut uelimus communes uitae caſus ſubire. Itaque moueri ſolemus exemplis aliorum, praeſtantiorum praeſertim, quorum uel ſimili fortuna, uel etiam grauiore, lenire dolorem conſueuimus. Affert hoc argumentum conſolationis aliquid probis, eadem, cogitantibus, aut peiora etiam, melioribus euenisſe, affert etiam improbis atque efferatis, qui, publica ruina ſi occidant, communi ſe naufragio conſolantur. Sed, in exemplorum uel ueritate, uel accommodatione, multum ſolet excipere ratio, eaque dubitatione animum diſtringit. Admonet ratio, ipſius finis, quem

intueamur, cogitatione minuendos esse dolores, hosque aequiore sustinendos animo, quos efficiat causa quaedam bona. Sed, hoc etiam loco, in proposito potest errari, solatiumque comminui, si cognitum fuerit erratum. Exigit ratio, ut, cum uita hominum incommodis uacare non possit, commoda cum incommodis conferamus: Sic enim mala quaedam ipsorum similitudinem speciemque bonorum gerent, si cogitetur, ista nisi euenissent, accidere peiora potuisse, sique consideretur, modice ferenda esse incommoda praesentia, maiorum spe commodorum. At uero dolor hic leuior, grauioris cogitatione, mollitur potius aliquantum, quam exhauritur, ac spe plerumque incerta, temperatur potius aegritudo, quam penitus sedatur

Has ratio, siue Lex naturalis ratione fundata, tritas habet uias consolationis impertiendae. Nec uero repudianda plane sunt huiusmodi fomenta, quae ipsi etiam doctrinae sanctiori non nunquam inseruiant, propterea, quod ex communi Legis naturalis usu assumuntur. Sed, quicquid horum est in rebus aduersis remediorum, eo certe imminuitur potius non nihil moeror, quam adimitur, nedum certa quaedam expedi-

Digitized by Google

peditaque uia monſtretur, ex omnibus ſe malis emergendi. Pertinet huc, quicquid M. Tullius, de aegritudine minuenda, de tolerando dolore, de contemnenda morte, aliiſque locis, diſſerit, quicquid Seneca de conſolatione ad Heluiam matrem, ad Polybium, ad Marciam, alioſque, ſcribit, quicquid Boetius de Conſolatione Philoſophiae exponit, quicquid, his omnibus antiquior, Democritus de animi tranquillitate tradidit, quicquid denique alii ueteris memoriae, ſolatiis humanae uitae inuentum, ex fonte rationis, hauſerunt. Taceo Platonem, Plutarchum, Arrianum, Simplicium, tot alios Graecorum, qui complures Sapientum familias condiderunt, diuites quidem ſolatiis, ſed ſplendidis potius, quam neruoſis. Quicquid enim huius eſt artis, quae conſolandi ſtudium profitetur, parum certe pollet ad animos confirmandos, cum res adducitur in grauius diſcrimen, mortis praeſertim imminentis

[redacted] autem Sapientum libris etſi, quan[redacted]t ſolatii ſolidi, non habes, in eis ta[redacted]s multa ſcite praeclareque dicta. Nam [redacted]turae fragilitatem monſtrant, ad De[redacted]ac fortunae arbitrum, uocant, ad uir[redacted]nae mentis ſtudium perducunt, ad pa[redacted]

Digitized by Google

tientiam, aequitatem animi, conſtantiam, hortantur. Communes hominum miſerias, in eiſque commune perfugium ad Deum, oſtendunt, in tuis etiam uitiis calamitatis tuae cauſſam notant, ſpem fortunae melioris emendationi tuae faciunt, Dei praeſentis numen, bonitatem, opem, ad frugem ſe recipientibus in memoriam reuocant. Plura denique tam ſapienter pronuntiant, ut ea conſentire cum Religione noſtra uideantur. Haec tam bona cum ſint, ſi ponderentur ui ſua, eane, putes, qua ſint bona, poſſe a malo ſpiritu proficiſci. Patrem luminum Iacobus nobis oſtendit illum, a quo donum deſcendat omne bonum. Hoc ipſi Philoſophi ueteres dicunt, de quibus Simplicius, Epicteti explanator, illum, pronuntiat, Deum eſſe, qui cuncta illuſtret, fonſque ſit bonitatis ac luminis, hoc eſt, Pater luminis, ſi cum Iacobo loqui uelis. Sed illud inter hos duos intereſt. Iacobus dicit, omne bonum donum, omneque perfectum munus, ſuperne eſſe, quod a Patre luminum deſcendat. Sic duo bonorum genera profert, unum, quo fruamur in terris, alterum, idemque longe perfectius, ac multo perfectiſſimum, quod percepturi ſimus in futura coeleſtique uita. Huius autem nos potiri non poſſemus,

Digitized by Google

mus, niſi eius auctorem coleremus Chriſtum, qui coeleſtium bonorum nos, et ſpe exhilarat in terris, et fructu pleno in coelo recreabit. Eam felicitatem neque Simplicius, nec ſimiles eius, capere poſſunt, expertes Chriſti, ſummique beneficii, quod eius merito piis eſt partum. Ergo Simplicius ea modo bona reſpicit, quae praeſenti uitae tribuantur, eaque Deo refert accepta. Eis muneribus diuinis, quorum plena eſt terra, uſi ſunt Sapientes antiqui, atque hoc ipſum infitiari non poſſunt. Idcirco Simplicius, Bona, ait, omnia ad omnia prouenire a Deo, qui, ut auctor ſit omnium bonorum, ita mali nullius, ſicut multis ab ſe demonſtratum ſit. Ex bonis autem, quae cadunt in homines, excellunt illa, quibus animus ornatur. Quae quidem ſcriptis in libris ſi comparent, ea certe hoc magis Spiritus Sancti beneficio tribuenda fuerint, quo plus afferant bonae frugis. Probe enim Theologi duplicia Spiritus Sancti dona numerant, aliaque inhabitantia, alia ſanctificantia, dicunt. Haec iis dant, qui ſacris Chriſtianis initiati ſunt, iſta profanis etiam gentibus concedunt. Quanquam enim hae gentes ignorant uerum Deum, hic tamen, pro ſua in res ab ſe conditas bonitate, ut corporibus hominum alendis beneficentiam ſuam impertit,

pertit, ſic animis eorum multo minus deeſſe uult, ſapientia ſua corrigendis, atque ad ſe reuocandis. Itaque dedit eis notiones inſitas, cum eiſque notitiam ſui, et honeſtorum turpiumque diſcrimen, in humanis mentibus ingenerauit, ut, ipſa natura duce, Deus quaeratur, externaque diſciplina ſocietas humani generis et conſeruetur, et regatur. Hinc actiones bonae morali et ciuili honeſtate, quas Deus a cunctis populis exigit tuendae ſocietati, quam inſtituit, ob eamque cauſſam delinquentes punire, obedientes praemiis afficere, ſolet. Communes autem notiones illae, quas gerunt ingenitas mentes humanae, ſunt, uel contemplatiuae, uel actiuae, ut Paullus ipſe docet Romanos, et omnes, qui quidem eum attentius legant. Illae pertinent ad rerum cognitionem atque intelligentiam, iſtae, ad uitam bene honeſteque degendam, et mores recte gubernandos. Eas utriuſque generis notiones qui peruerſitate ſua opprimant, hos, idem Apoſtolus dicit, ueritatem in iniuſtitia detinere, et iram Dei conflare ſibi. In utriſque enim latet ueritas, cuius auctor cum ſit ipſe Deus, hic eas notitias in hominum animis incluſit, ut eae Paedagogicum quoddam faciant officium, homines, quaſi manu prehenſos, adducendi ad inueſtigatio-

nem

Digitized by Google

nem et cognitionem Dei ueri, eiuſque ſalutis, quae mortalibus propoſita eſt in Seruatore, diuinitus dato. His e notionibus, natura impreſſis, profluunt commendationes uirtutum, inſectationes uitiorum, officia denique illa, quae duci ſolent ab honeſto, philoſophorum diſputationibus explicato. Atque hae quidem ſunt illae doctrinae, quae, literis mandatae, adhibentur tum ingeniis erudiendis, tum animis componendis atque confirmandis. Longe ſane abſunt a robore diuino, quo ſacra pollent Oracula, multa tamen promunt apte dicta, ad prouidentiam Dei colendam, ad imbecillitatem rerum humanarum perſpiciendam, ad noſmet ipſos propius noſcendos, actioneſque noſtras rationi accommodandas. Haec dicta ſi tranſferantur ad uitam moreſque formandos, ex iis actiones exiſtunt, rationi, et, quae hanc ſequuntur, legibus humanis, conſentaneae, quibus, in ſocietate ciuili, diſciplina ordoque retinetur, licentia rerumque confuſio declinatur. Tales autem actiones, earum auctores ſi ſpectes, neque ſanctos efficiunt, neque Deo ſine pia ad eum conuerſione probatos, hae tamen actiones ipſae, ex ſe et indole ſua conſideratae, eo minus Deo diſplicere poſſunt, quo magis humanae ſocietati commodant,

Digitized by Google

dant, quam Deus conſtituit, uultque ſtabiliri. Cum igitur harum actionum ſapientia ex eis hauſta ſit libris, quorum doctrinae ad uitam ſint accommodatae, in promptu quidem eſt, hanc illorum librorum ſapientiam ex bono rationis naturalis uſu fluxiſſe, ſed huius, et omnis, ſapientiae fons ultimus in primis quaerendus eſt. Eſt autem hic Spiritus Sanctus, qui proprio nomine Spiritus Sapientiae ſacris literis uocatur. Vt igitur omne bonum uim facultatemque habet ſui cum aliis communicandi, ita Spiritus Sanctus, cum bonum ſit maximum atque infinitum, non poteſt non latiſſime dona ſua ſpargere, menſura tamen diſpari. Dona, inquam, quibus aliquas Sapientiae ſuae immenſae ſcintillas generi humano tradit. Itaque aliis plus, aliis minus, intelligentiae dat, prout ei uiſum eſt, eamque ſapientiae copiam facit hominibus, ut ea Dei gloriam illuſtrent, atque ad ueritatem quaerendam utantur. Haec dona in mentibus, diuina luce nondum colluſtratis, inhabitantia dicuntur, quoniam ipſamet in eis habitant modo ac morantur. Sunt autem iſta, quae dicuntur eſſe a Spiritu Sancto, ſed non cum Spiritu Sancto. At ipſe Spiritus Sanctus in pura tantum mente hominis, Deo reconciliati, ſedem ſuam figit. Talem enim mentem ſua ſibi ſancti-

Digitized by Google

tate parat, ac, praesentia gratiae suae consecratam, reuerentia ueri Dei, fide, spe, caritate, aliisque piis ac salutaribus donis, implet. Neque eo secius alia quoque dona generalia dispertit hominibus, uel numine suo conseruandis, uel ciuili uirtute, uariaque scientia, instruendis. Hic enim est diuinus ille summusque doctor, non modo coelestis, sed terrestris etiam, sapientiae, cunctarumque artium bonarum. Quare, etsi huiusmodi dona Spiritus Sancti profanis sanctitatem non afferunt, eis tamen aliquem sapientiae modum largiuntur. Eadem dona, ut diuinitus accepta, gentes ipsae praedicant, quanquam eorum praebitorem uerum haud norunt. Hinc illud Aeschyli, Non male sapere, maximum Dei donum est. Pindarus ait, Deorum munere dari, quicquid efficiant uirtutes humanae, quicquid sapientum, fortium, eloquentiumque, sit uirorum. Simonides negat, abs quoquam uirtutem capi sine Deo. Theocritus Ptolemaeo regi Iouem nominat, a quo uirtutem petat. Callimachus Iouem ipsum inuocat, ut et uirtutem det et opes. Hector Homericus Aiaci ostendit, magnitudinem, uires, atque prudentiam, dari a Deo. Apud eundem Poetam Iupiter uirtutem uiris auget, minuitue, arbitratu suo, ac Dei munera di-

Digitized by Google

cuntur, quibus, et alii praeſtantes homines, et ſapientes, fiant. Haec ſibi, et aliis, precantur ueteres, haec, impetrata, Deum ſuorum benignitati attribuunt, ſed, ueri largitoris ignari, uel Iouis largitatem praedicant, uel Apollinis etiam ac Mineruae, quos ſapientiae ac doctrinae praeſides eſſe cenſent. Superſtitioſe Tullius et putide Philoſophiam dicit Deorum donum, in ea tamen diuinum munus intelligit. Atque etiam alii munera diuina, quae reperiunt in ſe, cum ipſo Deo confundunt, eumque in ſe, dicunt, inſidere. Sextus Pythagoreus, In omni, quod bene agis, auctorem, puta, eſſe Deum. Sapientis mentem inhabitat Deus. Dixerat Seneca, Bonus uir ſine Deo nemo eſt. Addit iam, In unoquoque uirorum bonorum habitat Deus. Itemque alio loco. Deus ad homines uenit. Imo, quod propius eſt, in homines uenit. Nulla ſine Deo mens bona eſt. Haec iſti, ut in tantis tenebris erroris, et inſcientiae, quibus Verbi Diuini lumen deeſt. Nobis autem aperiunt literae ſacrae, Spiritus Sancti munus auguſtum atque diuinum eſſe, ut uirtutes ceteras, ſic ſapientiam, mortalibus dilargiri. Quod quidem etſi, in coetu ſancto, maioribus ſit aeterniſque bonis, haud nullis tamen donis idem fieri ſolet in populis ceteris, ut ſapientio-

Digitized by Google

tiorum quorundam auctoritate doctrinaque ciues excitentur, ad hominum societatem uirtutis ciuilis studio continendam. Sapientiores enim illi acriore iudicio, maiore uirtute, donantur, ut notiones, mentibus insitas, altius inspiciant, earumque uestigiis, et Dei cognitionem, et rerum expetendarum fugiendarumque rationem, indagent. Supereſt, ut ingeniis ſtatuatur modus ſuus, ac beneficio Spiritus Sancti, qui fons eſt omnis *ſapientiae*, aſſignanda ſit illa quoque ſapientia, *quae* ex antiquis Sapientum monimentis repetatur, ad homines, uel honeſtius inſtituendos, uel quoquo modo conſolandos

Hic locus deducit nos ad beneficium Dei, integumentis euoluendum, quibus illud error gentium, ueritatis negligens, obtexit. Nam Spiritus Sanctus eſt Spiritus Sapientiae, et unicus perenniſque fons omnis omnino ſapientiae, quod nemo bonus negat. Ergo, ſi communis hic perpetuuſque fons eſt uniuerſae ſapientiae, ab eodem fonte, neceſſe eſt, dimanet, quicquid ſapientiae reperitur, a ueteribus in ſcriptis relictum. Fatentur autem ipſi Sapientes hi, diuino ſibi munere dari, quicquid habeant ſapientiae. Hoc munus diuinum tribuere ſolent Diis, ut diximus,

Digitized by Google

quod uerum eius auctorem neſciunt. Quem ſi noſſent, Spiritus Sancti munus religioſe praedicaſſent. In ſapientia tamen, quam nacti ſunt, agnoſcunt beneficium diuinum, quanquam uerum eius largitorem ignorant. Huncne autem, dixerit quis, ignorent, qui diuini ſpiritus appellent Aeſchylum, Sophoclem, Euripidem. Ita, ſcimus quidem, Velleio Paterculo nominari Tragicos illos, ſed, admiratione mentis diuinioris, atque oris, magna ſonantis, ut Horatius Poetae ſui decus informat. Haec autem inflammatio animi, et afflatus quaſi furoris, quantumcunque effuderit ſapientiae, longiſſime tamen abeſt ab illa ſanctitate, qua Spiritus Sanctus mentes imbuat, numine ſuo inſeſſas. Neque eo ſecius ipſa, quae in Poetis illis cernitur, ſapientia, ſi pendatur origine ſua, ad Spiritus Sancti dona, donatariis ac beneficiariis ipſis ignota, merito reuocatur. Sed poſſis de modo dubitare, quo Spiritus Sanctus munera ſua uelit his profanis impertiri. Itaque memineris, homini rationem dari, ut ea uerum ſecernat a falſo, eidem legem naturae inſeri, ut honeſta turpiaque dignoſcat. Hinc notiones atque intelligentiae, in animis ingeneratae, ut Paedagogia ſint ad Deum. Quam quidem Paedagogian Spiritus Sanctus non poteſt

Digitized by Google

teſt ſuo immenſae beneficentiae ſtudio non adiuuare, cunctis in gentibus, quae motibus eius non reſiſtunt, in gratia praeueniente, quam Theologi dicunt. Pium enim coetum undique Deo colligere laborat, ut in eo celebretur honos diuinus, cui conditus eſt homo, et ipſe mundus. Quapropter in populis, ad Deum reducendis, ingenia parat, et pluribus ornat dotibus, ut capeſſant rationis cultum, ſtudiumque uirtutum, quas *natura* ratioque docet, uideant certe, quid aliter iudicandum ſit atque agendum, quam imperita multitudo opinetur. Cur ergo hi neque Deum inueniunt, neque Chriſtum, Seruatorem humano generi promiſſum. Motus animi, quos identidem Spiritus Sanctus bonitate ſua prouidentiſſima ciet, pertinacia ſua comprimunt, neque uolunt expergefieri, ut uiam quaerendae ſalutis ineant, aut in ſtudio inueſtigandi huius boni, uere ſummi, relangueſcunt. Propioribus, atque in medio ſitis, quae ſibi putent utilia, contenti, ad remotiora, quae ſalutaria poſſint eſſe, ſed explorandi curam requirant, nolunt pergere. Itaque, cum uiuant in ſocietate et ciuitate, externas modo ciuileſque uirtutes conſectantur, ut, quantum poſſint, bene beateque uitam degant. Cum Sapientes inter ſuos haberi uelint, literis

Digitized by Google

tradunt, quae, ad eandem fortunam aliis conciliandam, pertinere uideantur. Exscriptis autem suis facile, ut ingeniis, sic moribus, distingui possunt, prout meliora, horumque plura, scribunt. Sed, quae melius proferunt ac sapientius, ea totidem sunt argumenta beneficii, a Spiritu Sancto accepti, quo recte si uoluissent uti, longius certe progredi, ad indagandam ueritatem, potuissent. Horum igitur sapienter dictorum auctorem coelestem si respicias, ea sane per se profana neutiquam sunt, sed hominum uitio profana fiunt, cum transferuntur ad malos peruersosque usus. Itaque, ex indole sua, sunt dona Spiritus Sancti inhabitantia, ut supra significauimus, sed, eiusdem beneficio gratiaque praesentiore, per Verbum Diuinum sanctificantia fieri possunt, ut luculento Paulli exemplo docemur. Cum enim Athenienses, falsis religionibus fictorum numinum capti, omnem ueri Dei sensum ex animis deleſſe uiderentur, horum Paullus errores in medio Areopago coarguit Arati uoce, qui, Dei genus atque stirpem, dixerat, homines esse. Hanc uocem, ad refellendos Athenienses aptissimam, tanti facit Apostolus, ut, rationibus, ex ea confectis, ostendat, Athenienses ex hoc Poetae Graeci testimonio, et superstitiosi cultus uanitatem cognoscere

ſcere omnino potuiſſe, et meliorem Dei cultum ueſtigare. Quod ſi genus Dei ſumus, inquit, arbitrari non debemus, auro argentoque, aut lapidi, arte et induſtria humana caelato, diuinitatem eſſe ſimilem. Athenienſes igitur, Arato magiſtro, poterant intelligere futilitatem colendi plures Deos, cum Deus unus ſit hominum ſator. Itaque, cum Deus hic unus foret colendus, haud alii plures, oportebat iam Athenienſes *quaerere*, ecquis tandem ſit ille Deus unus, *et qualis*, et ubi noſcendus. Nam pudori fuerit liberis, nullam dare operam, ut patrem ſuum noſcant, quantum poſſint. Hoc autem noſſe, difficile non erat, ut Paullus ipſe praecipit. Deum enim, hominum parentem, demonſtrat, ab unoquoque noſtrum abeſſe haud longe, quippe, cum uiuamus in eo, et moueamur, et ſimus, ut Aratus ipſe ea uoce, quam promat, intellectum uelit. Dicit autem, Haud longe Deum abeſſe, id eſt, proximum eſſe, per figuram, Paullo uſitatam, cum minus dicitur, quam ſignificatur. Quod ſi unus eſt Deus, hominum pater communis, ut indicat Aratus, hic quidem generis humani progenitor, ſi magnitudine ſua uel ex ſolo aeſtimetur Arato, non poterat non eſſe Numen quoddam praepotens, atque immen-

menſum, quod templis, manu ſtructis, eorumque parietibus, cohiberi non poſſet, quod opum humanarum non egeret, cuius beneficio homines uiuerent, mouerentur, eſſent. Tale autem poteſtatis infinitae Numen ex operibus ſuis, mundoque condito, ex ipſa quoque naturali hominum intelligentia, cognoſci, et poſſe, et oportere, Romanos docet, alio loco, Paullus, caſtigata ſimul eorum negligentia. Hoc Aratus ipſe, cuius pauca delibat Paullus, dicit, plena Iouis eſſe compita, plenos hominum coetus, plenum mare, plenos portus, et Ioue nos ubique cunctos indigere, cuius progenies quoque ſimus. Idem illud Numen immenſum non ſolum Thales, Socrates, Plato, ſed etiam alii Graeciae Sapientes, agnouerunt, ab Epicureis cum diſceſſeris. Hactenus Athenienſes Aratus admonere poterat unius Dei, et quaerendi, et rectius noſcendi, ut Paullus oſtendit. Quae quidem res quanta ſit, nemo non animaduertit. Cum autem Paullus in illo Arati dicto nihil profani reperiat, ſed idoneum argumentum, refutandi publicam Athenienſium ſuperſtitionem, habes profecto in eadem Arati uoce donum quoddam Spiritus Sancti inhabitans, quo Paullus uti, in ipſa gentium

ad

Digitized by Google

ad Deum conuerſione, non dubitet. Sed eadem uox tum demum Spiritus Sancti donum fit ſanctificans, cum Athenienſibus emendandis adhibetur a Paullo, qui loquitur, huius Diuini Spiritus afflatu tactus. Itaque nonnulli, qui Paullum, ex Arato argumentantem, et inde ad ipſum myſterium ſalutis humanae tranſeuntem, audiunt, inſtincti diuinitus, adiungunt ſeſe Paullo, Dionyſius Areopagita, aliique plures. Ipſi Sapientes ueteres prae ſe ferunt, quicquid habeant boni, in cognitione ueri rectique, in ſtudio item cultuque uirtutum, hoc a Deo ſe accepiſſe. Sed neſciunt, ut diximus, hunc Deum eſſe Spiritum Sanctum, qui, pro ſua benignitate ſumma, cum omni hominum genere bona ſua communicet, ut homines ex ea, quam nanciſcuntur, rerum ſcientia conſilium capiant, Dei acriore cura quaerendi. Idcirco maius rationis lumen eis datur, ut ex principiis, uel natura inſitis, uel ſtudio quaeſitis, facilius ratiocinentur de Deo, pluribus modis inquirendo, eiuſque notitia, in aliquam lucem ueritatis euocanda. Sic exiſtunt, qui ſemina bonarum artium uirtutumque ſpargant, ad rudes populos diſciplina imbuendos, quae, tametſi erroribus opinionum non uacat, exſuſcitat tamen aliquos, ad melius utendum ra-

Digitized by Google

tione, uitamque honeſtius inſtituendam. Quicquid igitur bonae frugis in dictis ſcriptiſque ueterum Sapientum ineſt, quicquid inde ſolatii redundat in homines, hoc ipſum donis Spiritus Sancti inhabitantibus debetur. Atque hoc etiam pertinet ad illam ueritatem, quam Paullus commemorat, a Spiritu Sancto profectam illam quidem, ſed in hominum iniquitate detentam. Detinetur autem, quicquid huius eſt, in iſta hominum iniuſtitia, cum ueri cognitio falſis eorum opinionibus miſcetur atque implicatur. Ergo nullae ueteris aetatis literae, ubi uerum ſincerumque, et bonum aequumque, proferunt, ſanctius quiddam non habent. Hoc miſericordi quidem Spiritus Sancti munere donatur, ſed auctorum, qui communem uerumque ſapientiae datorem ignorant, peruerſitate multiplici ſaepe deprauatur

Haec igitur ſapientia eo non aſſurgit, ut lumen illud habeat, quod Spiritus Sanctus in ſacris monimentis accendit. Itaque minus et roboris habet, et ſolatii. Ipſi enim Sapientes inter ancipites anxiaſque cogitandi curas, ac turbulentos animi motus, fluctuant, nutant, uacillant. Nihil enim ſolatii reperiunt, niſi in ratiocina-

Digitized by Google

cinatione, naturalis ſcientiae uiribus nixa. Sino tot alios Graecos Romanoſque, qui, magna ſapientiae rerumque geſtarum gloria praediti, necem ſibi conſciſcunt, inopia ſolatii. Neque eo ſecius hanc deſperationem quidam iſtorum ſtolide, cum magno rationis dedecore, Summam Rationem uocant. Vnius recordemur Catonis illius Vticenſis, qui, Diis, quam hominibus, ſimilior habitus, lecto Platonis Phaedone, ne uultum Caeſaris aſpiciat, in mucronem incumbit. Secundum Platonem, praecipuus honeſti magiſter eſt Tullius, auctor conſtantiae commendatorque fortiſſimus, qui, ſtante republica, ſtat animo, ſi quiſquam, excelſo. At, illa cadente, cadit, iacente, iacet, in ſinu potiſſimum Attici ſui. Prius etiam, de obitu Tulliolae ſuae, integro libro, conſolari ſe, ipſemet inſtituit, ſed dolori ſuo mederi non poteſt. Literis enim, ad Atticum datis, Quod me, inquit, ab hoc moerore reuocare uis, facis, ut omnia. Sed, me mihi non defuiſſe, tu teſtis es. Nihil enim de moerore minuendo ſcriptum ab ullo eſt, quod ego domi tuae non legerim. Sed omnem conſolationem uincit dolor. Haec Cicero, confecta iam ſui conſolatione. Cuius ſimilem non extare, cum Attico memoret, neque eo magis con-

Digitized by Google

ſolari ſe poſſit, ut ait ipſe, oſtendit certe, imbecillum eſſe ad reſiſtendum dolori, quicquid uel ab aliis didicerit, uel ſuopte ingenio repererit. Ergo demus Lactantio, Ciceronem eo in loco, quo ſuperſtitionem cultus humani aperit, prae nimio luctu haud deliraſſe. Sed, ipſam ſui conſolationem a Tullio, poſt moerorem demum, uel temporis longitudine, uel alia ratione, mitigatum, fuiſſe ſcriptam, ipſe Cicero refellit, eadem ad Atticum epiſtola, et aliis inſequentibus, quibus ſe uirum ſatis effeminatum praebet. Acutior forte eſt Plinius Caecilius, eoque exercitatior, quod amicis conſolandis multum temporis dare ſolet. Imo uero hoc miſerior, quod non filiam unicam cariſſimamque amittit, ut Cicero, ſed amicum, Corellium Rufum, neque eo minus inſanabilis eius dolor eſt. Multa dolenter dicit, ea contra, quae ſolatio ſint, ut trita atque imbecilla, aſpernatur. Noua ſolatia atque magna a Caleſtrio Tirone fruſtra expectat, quae audierit nunquam, legerit nunquam. Nam, quae audiui, inquit, quae legi, ſponte ſuccurrunt, ſed tanto dolore ſuperantur. Adeo parum, tempore calamitoſo, ad exhauriendum dolorem, conſolatio Philoſophica ualet, etiamſi adhibeatur a doctiſſimis. Neque uero id mirum

Digitized by Google

rum uideri poteſt in homine, uerae religionis experte, quae ſola, in praeſidio Spiritus Sancti, germanae conſolationis et robur habet, et fontem. Quod enim ſola eſt ſancta, quod hos ſola, quotquot ei ſeſe dedunt, ſanctos efficit, quod eoſdem optima conſolatione reficit, hoc Spiritui Sancto debet. Namque hic ſuum Chriſto, Paſtori Bono Coeleſtique, gregem colligit in terris, eumque religione imbuit et continet, eum uerbi diuini doctrina ſacriſque myſteriis inſtituit et conſecrat, eum promiſſionibus diuinis, harumque et ui, et fide eis habita, erigit atque confirmat, ut nulla ſit tanta uitae calamitas, quae coeleſtis opis fiducia reuerentiaque non ſuperetur

Tanto praeclarius agitur cum religione noſtra, quae ſola ſolatiis, ad recreandos ſuſtentan-

[redacted]

P 3 ſen-

ſentiam Dei, ſemper et ubique agnoſcendam, ſpemque, non dubiam, liberationis, diuinitus obtinendae, utraſque diuinis promiſſionibus ſponſas atque ſtabilitas. Ac praeſentia quidem Dei, hominibus a Chriſto placati, magnas nobis animos faciat, neceſſe eſt. Quiſquis enim in Seruatoris meritum ſincera fide ac tota mente incubuerit, is habet nimirum, quod ſibi perſuadeat, uelle Deum et afflictis adeſſe, et poenitentibus gratiam delictorum facere, et inuocantibus ſe opem ferre. Multum quoque apud pios ualere debet ſpes non dubia, fore, ut, quibus Deus fidem ſanctiſſimam dederit, opitulandi atque ex periculis ſeruandi, hi, uel hac in uita, liberentur, inſtantibus malis, uel in altera certe cunctis. Sic enim animum inducimus, ut confidamus, cum Deus, numine ſuo ubique praeſens, uideat calamitates noſtras, cumque iis, qui confugiant ad eum, eiuſque auxilium flagitent, certo ſubuenire uelit, cum denique hanc ſuam auxiliandi uoluntatem religione manifeſtorum compluriumque promiſſorum aſtrinxerit, non poſſe eum non, miſericordia noſtri captum, fide ac ueritate ſua firmum, aut minuere noſtras miſerias, aut iis prorſus nos liberare, uel adhuc uiuos, uel euocatos in coelum. Quibus

Digitized by Google

bus ex rebus tam ſolida, et ſucci coeleſtis plena, naſcitur conſolatio, ut, cum omnis conſolatio bonum aliquod intueatur, huius conſolationis, quae ſanctius robur ſuppeditet, momentum eo maius ſit atque grauius, quo praeſtabilius illi atque conſtantius proponitur bonum uitae ipſius ſempiternae. Haec coeleſtis diſciplinae praeſidia conſolationi Philoſophicae ſi imponas, haud mediocre profecto componendi tranquillandique animi ſubſidium habueris, ſiue ex neceſſitate, quae uoluntatem Dei reſpiciat, ſiue ex uirtutis dignitate, quae dolori contra mandatum Dei nihil indulgeat, ſiue ex bonae mentis, quae Chriſtiana uirtute cenſeatur, conſcientia, ſiue ex collatione euentorum, quae ſoli prouidentiae diuinae, nulli fortunae temeritati, ſubiicias, ſiue aliunde, argumenteris. Cum tamen omnis hominum ſalus, in integrum reſtituta, magno ſalutarique pariatur opere liberationis humanae, quod Euangelium tradit, facile intellectu eſt, in excitandis firmandiſque animis noſtris, oportere, conſolationes Euangelicas maxime reſpici. Sed harum, quae ſacris literis mandantur, conſolationum uim atque efficientiam, ſine auxilio Spiritus Sancti, expectare, ecquid aliud fuerit, quam ignorare illum, cuius,

et

Digitized by Google

et impulsu scriptae sint sacrae literae, et uiribus harum literarum in animos uis, ac fides ex auditu percepta, exacuatur. Quo fit, ut, et operosissimum, et ualentissimum, et necessarium plane, sit auxilium Spiritus Sancti, siue amare uelimus Scripturam sacram, siue legere eam et intelligere, siue, ex huius praescripto, uel uiuere, uel ipsum Dèum precari, siue aliam quamcunque ex ea scriptura commoditatem consequi, ueram maxime consolationem. Adeo nihil proficitur, non solum in humana, sed etiam in diuina, consolatione, sine auxilio Spiritus Sancti. Ac de consolatione quidem dictum est, tum uniuersa, tum illa potissimum uberrima, quam Euangelium singulis, sui studiosis, impertit

Ipsam autem sedem Euangelii, et purum huius legitimumque usum, Ecclesia ostendit. Cur enim Ecclesiam Latine, cum Plinio Caecilio Secundo, non scribas. Cur Ecclesiam, de coetu pio, non dicas. Orator malit loqui cum Tullio, cui tacet haec uox. At non tacuisset ei, si Tullius fuisset Christianus. Itaque tacet ei magno illius malo, qui exspes sit, extra Ecclesiam, extra quam nulla sit salus. Nimirum populariter Cicero loquitur, agens cum ciuibus, ut

Digitized by Google

ut ab omnibus intelligi poſſit. Sed idem, de philoſophia diſputans, interdum uerba adhibet, ne philoſophis quidem intelligenda, niſi domeſticas ſingularum ſectarum uoces didicerint. Habent enim cunctae Sapientum familiae ſua, tum in placitis, tum in dictis. Habent etiam artes ſingulae uocabula ſua, nec liberales modo, ſed illiberales etiam. Quae quidem uerba ſi conferas in uitae communis uſum, reprehendaris ab eis, a quibus intelligi non poſſis. Eadem ſi uſurpes, crebrius etiam ingemines, cum diſſeras de rebus, ad artes aliquas pertinentibus, lauderis ab artificibus aliiſque peritis, ut proprie loquens et accurate. Sin huiuſmodi uerba negligas, eis in rerum argumentis, quae uoces requirant, certis diſciplinarum notionibus aſſignatas, aut corrigaris a doctioribus, ut ignarus iſtarum diſciplinarum, aut reprehenſionem incurras, affectatae cuiuſdam in loquendo elegantiae. Itaque, niſi malis obſcuritatem loquendi, qua nihil moleſtius, des, neceſſe eſt, doctoribus ſcriptoribuſque Chriſtianis, des oratoribus etiam, qui ſacros locos perſequantur, hanc ueniam, quae nemini ueterum ſuis in arcanis denegata eſt, ut inſtituta Chriſtiana uocibus formuliſque loquendi Chriſtianis explicent. Idem nobis, ut arbitror, o-

Digitized by Google

mnes, paullo aequiores, concedent, ut liceat interdum, uerba Chriſtiana fieri, quae breuitas, et perſpicuitas, deſiderauerint. Sed iam ad propoſitum reuertamur. Eccleſiam igitur Chriſtianam cum dicimus, eo nos nomine quiddam notamus multo auguſtius, quam Graecia, praeſertim Athenae, in publica concione uniuerſi populi, uidere potuerint, etiamſi, in eo ciuium conuentu, de rebus grauiſſimis, ipſaque rerum ſumma, deliberari ſoleret. Chriſtiana enim Eccleſia habet domicilium ueri Dei, hanc habitationem per Verbum ſuum incolentis, quem Graeca, Attica maxime, ſuperſtitio prorſus ignorat, cum fictis numinibus ſtudeat. Eo in domicilio diuino, cum alia ſanctitatis integerrimae Myſteria traduntur, tum, princeps horum, Euangelium, quod Graeca ſapientia non capit, eoque inſolenter repudiato, ipſamet in ſtultitiam uertit. Hoc igitur Euangelium, coeleſte munus longeque optatiſſimum, in pio Chriſtiani populi coetu habitat, magno ſtudio docetur, magno diſcitur. Humanae enim ſalutis, quaerendae, inueniendae, conſequendae, ſcientiam, facultatem, inſtrumenta ſubſidiaque cuncta, largiſſime ſubminiſtrat. Duo autem praecipua noſtrae ſalutis adminicula ſunt, quae ſuggerit Euange-

Digitized by Google

ángelium, Verbum Coeleſte, et Sacramenta. Eae res duae tanti ſunt, ut iis ipſa Dei Eccleſia conſtituatur. Haec enim illum coetum complectitur hominum, diuinitus aduocatorum, qui Verbum Dei colit, et ſacramentis ex Dei ſententia uti ſtudet. At Verbum illud Coeleſte Spiritus Sancti afflatu perſcribitur, qui ſanctos uiros impulſu ſuo excitat, ductu ſuo regit. Eſt igitur efficiens Scripturae Sacrae, quae ideo Sacra dicitur, ab hoc ſanctiſſimo auctore ſuo. Hoc autem Coeleſte Verbum proponitur hominibus, ut, eius doctrina ſtudioque, uerum Deum, uerumque eius cultum, cognoſcamus, atque adeo ad uitam aeternam inſtituamur. Quod quidem, niſi Spiritus Sancti iuuaremur ope, nihilo magis conſequeremur, quam Athenienſes, Paullum de uero Deo, eiuſque cultu, multa diſſerentem, audientes, nec tamen eo perducendi, ut diſcedant a ſuperſtitione ſua, Deorum multitudini dedita. At Spiritus Sanctus auctor eſt uerae ſanctitatis, qui, uirtute Diuini Verbi, quo ſacros mentium ciet motus, ſanctos efficit, ab eaque efficientia ſua Sanctus uocatur. Eſt etiam Spiritus Veritatis, qui praeit nobis ad omnem ueritatem, ut ipſe Chriſtus docet, eſt ipſa quoque Veritas, ut Ioannes. Diuinorum autem Sacramen-

Digitized by Google

torum duplex eſt genus, unum Baptiſmatis, alterum Euchariſtiae. Vtrumque pignus eſt diuinae gratiae, utrumque magnum ſummeque neceſſarium ſalutis inſtrumentum, ut Chriſtiana ſpes firmis praeſidiis, et fundetur, et ſtabiliatur. Ac ſacro quidem fonte ſordes eluuntur, quibus eluuies maiorum, ad poſteros decurrens, nos inquinauit. Hic enim fons conſecratur ſanctitate Chriſti, quam fide qui amplectuntur, ſibique attribuunt, horum in mentibus purum fit, quicquid impurum fuit. Renaſcuntur enim, qui concepti natique ſunt in peccatis, renouantur, qui nullam priſtinae uirtutis ſpeciem retinuerunt, in foedus gratiae diuinae recipiuntur, quos Deus oderat, ut hoſtes. Ea re, non habes, quod maius optatiuſque hominibus putes, ſed tanto diuinius eſt opus, quod, hoc in genere, Spiritus Sanctus peragit. Duplex enim res eſt, qua conſtat Baptiſma, altera terrena, quam Aqua conſtituit, altera coeleſtis, quam Spiritus Sanctus. Vtraque neceſſaria eſt, cum neget Chriſtus ipſe, ulli regnum Dei patere, niſi renato ex aqua et Spiritu. Sed aqua nihil ualet, niſi ei uis alia maiorque accedat. Hanc aquae uim adiicit Verbum Dei, aquae additum, ſed ita, ut uirtutem huius

Digitized by Google

huius uerbi Spiritus Sanctus in eorum mentibus exerceat, qui ſacro fonte tinguntur. Hic enim, cuius ui renaſcamur ac renouemur, fidem excitat, ut Verbo Dei credatur, facultatem dat, ut Chriſti meritum gratiaque diuina a credentibus fide arripiatur, atque accommodetur. Ita robore Spiritus Sancti Aqua fit ſalutaris, et Lauacrum nouae generationis in Spiritu Sancto, quod Paullus Tito laudat. Hoc primum fiunt Chriſtiani, Deoque per Chriſtum accepti, qui Deo naſcebantur inuiſi, hoc fiunt omnium omnino beneficiorum Chriſti, cuius ſtirpi inſeruntur, participes, ipſius quoque ſalutis aeternae, ac uitae, in perpetua coeli gloria degendae. Itaque Spiritus Sanctus, faciundis his myſteriis, primam ſalutis ianuam mortalibus initiatis aperit, eoſque, in gregem Chriſti receptos, in Ouili coeleſti, cuius ipſe ianitor cuſtoſque diuinus eſt, ab omni ui, quae poſſit inferri, tuetur. Hic eos, ſacro pabulo altos refectoſque, in officio ſtudioque ſanctitatis continet, ut paſtoris ſui coeleſtis, qui Chriſtus eſt ipſe, uocem ſequantur, ne quibus erroribus abrepti de uia ſalutis decedant, et incidant in pericula, unde non poſſint expediri. Sacro autem Epulo, quod Coena Dominica inſtruit, confirmantur, qui,

Digitized by Google

tametsi iam renati renouatique sunt, noui tamen roboris, in hac fragilitate communis naturae, identidem egent. Quantas enim labes, quamque crebras, nostra nobis imbecillitas aspergit, a quibus Christi sanguine purgandi sumus. Quam graues subitosque malorum ictus, in hoc perpetuo uitae militantis certamine, excipimus, ut facile, uel firmissimi, saepe labascant. Fides ergo nostra, ne concidat, quonam potius firmamento stabiliatur, quam Christi sanguine, cuius uim ne ipsae quidem inferorum portae infregerint. Hunc uitae nostrae succum, qui ex corpore Christi cruentato exhauritur, Christus incredibilis suae caritatis obsidem nobis dedit, ut eo minus dubitemus de gratia Dei, nobis per eum reconciliati, quo certius habemus, suis eum uulneribus Deum nobis placasse. Sed huius mysterii altitudo supra hominem est, cuius recessum, in ipso diuinitatis interiore consilio abstrusum, nulla uis ingenii humani perspicit, eum sola fides, ueneratione tacita religiosaque, recte colit. Duplex autem est materia huius sacramenti, una terrena, panis et uinum, altera coelestis, corpus et sanguis Christi, cum pane et uino. Ergo, ne rationi succumbat religio, quod nefas

sit,

Digitized by Google

ſit, ratio in ordinem, diuino mandato ſancitum, redigenda eſt, et religioni obſequioque Chriſti ſubiicienda. Quapropter fide opus eſt, ut, in re tanta, quam Chriſtus ipſe inſtituit grauiterque praecepit, Chriſto pie credas, et, quod ille dixit, exploratius iudices, omni demonſtratione, grauius, omni rationum pondere. Maneat enim ratumque ſit, Sacramenta ſine fide nihil prodeſſe. Hanc autem fidei, in mentibus hominum, tum excitandae, tum roborandae, uim a Spiritu Sancto repetas, oportet, cuius hoc utrumque proprium eſt perpetuumque munus

Dixi ſigillatim de utroque religionis noſtrae Sacramento, ut rei tantae dignitas poſtulare uidebatur. Sed, quantum in hoc utroque ſalutis humanae ſubſidio ualeat auxilium Spiritus Sancti, doctrina ſacra neminem certiorem non facit. Chriſtus enim, ut ſimus eius merito ſalui, cuncta perpeſſionis ſuae beneficia, per Spiritum Sanctum, adhibito Verbi Diuini Sacramentorumque uſu, nobis impertit, accommodat, obſignat. Vtraque haec Sacramenta coniunctim neruoſeque pronuntiat Paullus, ut in utriſque par Spiritus Sancti numen oſtendat. Vno, inquit,

quit, Spiritu nos omnes unum in corpus baptizati ſumus, et Iudaei et Graeci, et ſerui et liberi, omneſque potione refecti ſumus in unum Spiritum. Monſtrat enim, partim ſacrum Fontem, quo abluti, membra fiamus unius corporis, cuius caput eſt Chriſtus, partim ſacrum Poculum, ex quo Chriſti ſanguinem hauriamus, ut participes fiamus unius Spiritus, qui, membris cunctis infuſus, eorum compagem mutua caritate iungat. Tali modo, ut myſticum Chriſti corpus ex coetu pio conficiatur, Spiritus Sanctus corporis eius membra non ſolum colligit, tantoque operi aptiora reddit, ſed eadem etiam inter ſe amore deuincit, ut eius corporis pulchritudo, omnium partium conſenſione, creſcat. Haec Paullus Corinthiis exponit. Hinc unum corpus illud, et unus ille Spiritus, hoc corpus regens, in una ſpe ſalutari, quo uocatos eſſe Epheſios, Paullus idem Epheſiis ſcribit

Sed illa duo, quae modo dicta ſunt, ſalutis pignora ne quid uirium ſuarum, peruerſo hominum uſu, deperderent, ea Deus fidei commiſit Sacerdotii ſui. Quod quidem Chriſtiano more Miniſterium Eccleſiaſticum dicimus, in eoque

Digitized by Google

eoque reperimus Miniſtros Verbi Diuini, atque hos eo nomine longe honorificentius appellamus, quam Graeci ſuos Stephanephoros, Romani ſuos Pontifices Maximos, Flamineſque Diales, nominauerint. Hoc enim ſacerdotium duabus in rebus omnem curam ponit, ut, ex uoluntate diuina, Verbi Coeleſtis doctrina tradatur, et ſacramentorum ritus adminiſtrentur. Magna ſunt haec inſtrumenta ſalutis, ſed praeſentiſſimum deſiderant auxilium Spiritus Sancti, ut perficiant, quod animo nos intendimus, afferantque fructum, quem optamus. Spiritus enim Sanctus ſacerdotio praeſidet, quoniam regimen habet Miniſterii Sacri. Hoc Paullus, antiſtites conſtituens, Epheſiis coram oſtendit, hoc idem Corinthiis, primum dari Apoſtolos, deinde Vates, tertio Doctores, deinde poteſtates, ſanationum dotes, adminicula, gubernationes, genera linguarum. Ipſe Spiritus Sanctus praeſidii ſui curam, in Syris, Antiochiae, declarat, Barnabam Paullumque ſibi ſegregans, atque ad opus delegans, cui eos deſtinauerat. Hac adhuc mente Spiritus Sanctus, ad ſacerdotes in ſacris conuentibus rite inaugurandos, implorari ſolet hymno pio, quem a maioribus accepimus, Veni, Sancte Spiritus. Ipſum quoque Euangelium eſt miniſteri-

Digitized by Google

um Spiritus Sancti, ut Paullus Corinthios docet, id est, per quod Spiritus Sanctus conferatur. Sancto huic Ministerio datur potestas Clauium, cum soluendi atque ligandi iure. Habet enim Deus administros Verbi sui, qui suae curam Oeconomiae gerant, sintque dispensatores arcanorum diuinorum. Et, quoniam Dei domus est Ecclesia, his dispensatoribus sacris conuenerit, uidere, quosnam, Dominus eorum uelit, ad mysteria huius domus admitti, ut dignos, aut eis, ut indignos, excludi. Hoc ius non auctoritate humana sancitur, sed diuina, et ore ipsius Christi, qui discipulis suis dat facultatem, remittendi tenendique peccata. Sed prius, quam hoc praedicat Seruator, afflans, Accipite, inquit, Spiritum Sanctum. Ea re declarat, Spiritus Sancti numine munus, tantae dignitatis, sustentari, eumque huic muneri, summo cum imperio, praeesse, et uiribus ac beneficiis suis in hominibus efficere, quicquid in sacerdotio probe curetur. Quid autem, in omni uita, boni sperare possis, nisi noris locum diuinitus datum, ubi possis leuari mole peccatorum grauissima, qua nos cuncti laboramus, tam crebro scientes inscientesue peccantes

Quid dicam praeterea de multiplici genere

Digitized by Google

re tot tantorumque donorum, quibus Eccleſia Chriſtiana uel olim ſe praebuit admirabilem, uel adhuc inſtructa eſt. Horum Chariſmatum Paullus mentionem facit. Diſcrimina ſunt, inquit, donorum, cum ſit idem Spiritus. Datur autem cuique declaratio Spiritus, prout commodum eſt. Huic enim per Spiritum datur oratio ſapientiae, illi oratio ſcientiae ex eodem Spiritu, alii fides per eundem Spiritum, alii dona *ſanationum* per eundem Spiritum, alii poteſtatum effectiones, alii uaticinatio, alii ſpirituum *diiudicationes*, alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum. Haec gentium Doctor Corinthiis ſcribit. Ex quibus etſi perſpicuum eſt, dona tam inſignia proficiſci a Spiritu Sancto, ne quis tamen dubitandi locus relinquatur, idem Apoſtolus, Haec, adiicit, omnia unus idemque Spiritus efficit, diſpertiens priuatim cuique, ut uult. Quae quidem Spiritus Sancti munera, tam prolixe egregieque data, non ſolum ſingularia erant decora coetus pii, ſed etiam ſigna illuſtria uerae Religionis, a falſa internoſcendae, magnaque adiumenta doctrinae coeleſtis, et tradendae, et latius propagandae. Ex manifeſtis compluribuſque effectis, quae Spiritus Sancti beneficiis tenentur, conſidera iam mi-

Digitized by Google

hi arduum illud ſalutis opus, quo fit apud Deum, ut iuſti pronuntiemur nos, qui iuſtitiae nihil habeamus. Hoc opus fundat Chriſtus perficitque iuſtitia ſua, quam nobis donat, qua nos ornat, ut, lautiſſima eius ueſte nitentes, Deo placeamus. Hanc iuſtitiae tunicam, diuinitus iubemur, fide noſtra ſuſcipere, hanc induere, eaque nos penitus inuoluere, ut ſi fiat noſtri iuris, noſtraque tota reddatur. Sed uide, quam debilis ſit atque uacillans fidei noſtrae manus. Vt aegre prehendit, ut laxe tenet, quod prehendit. Nihil, in re tanta, ualet, languet torpetque, inciſis quaſi neruis. At, Spiritu Sancto, qui precibus aduocatur, ſubueniente, ſuaque ui diuina mentem ſubeunte, quantum roboris illa manus accipit, ut cupide Chriſti innocentiam apprehendit, ut arcte eam complectitur. Hoc, et alia, ſalutis noſtrae capita conſtant promiſſionibus diuinis, quas Verbum Coeleſte nobis offert, tot ſacris Oraculis editas, tanta religione aſſeuerationis diuinae obligatas. Quibus quidem cunctis, ut earum fructum capiamus, fides noſtra in ſacris literis exigitur, tanta iubendi ſeueritate, ut, ſicut promiſſiones illae praecipiunt, male agatur, peccatique loco ponatur, quicquid, ſuſceptum actumque, non pro-

Digitized by Google

proueniat ex fide. Sed fidei noſtrae, quae relangueſcit in nobis, ui diuina excitatae, origo, firmamentum, munimentumque, eſt Spiritus Sanctus, qui mentis humanae caliginem Verbi diuini luce diſpellit, ut uerum intelligamus, uoluntatem a prauo flectit in rectum, ut uere bonum appetamus, commotiones animi coercet, ne qua morum licentia in libidines profundamur. Ita nos in Chriſtum, ſine quo nihil poſſumus, ut ait ipſe, tanquam in totius Scripturae diuinae Scopum, omni cogitatione conuertit. In eius enim merito nos, per Euangelii promiſſiones mortalibus oblatas, conſtabilit, in ſumma eius innocentia nos penitus figit, eius ſatiſfactione, in nos tranſlata, nos erigit, eius denique memoria tam firmos alacreſque nos reddit, ut, abiecto infirmitatis noſtrae metu, Chriſti ſanctitate fidamus, hacque conueſtiti et exornati, in conſpectum Dei ueniamus, ea cum fiducia, quae filios ad patrem deduxerit. Quid igitur eſt bonorum coeleſtium, quod tali modo a benignitate Dei obtinere non poſſimus, cum ipſa felicitas aeternae uitae, ipſe fructus ſempiternae gloriae, eadem nobis bonitate tribuatur. Haec plurima ſunt, haec propria immortaliaque, ſolatia, quibus nihil praeſtabilius, nihil optati-

Digitized by Google

us, esse possit. Sed ea cuncta ab eisdem Spiritus Sancti fontibus profluunt in nos spemque nostram, ut plura ab eo beneficia accipiamus, quam uel intelligamus, uel intelligere queamus. Quid habes extra Christum. In Christo autem etsi cuncta mortalibus consistunt, nihil tamen horum percipiet, neque adeo disperire non poterit, qui Spiritus Sancti auxilio carebit. Negat enim Paullus, qui Spiritum Christi non habeat, eum Christi esse. Qui tandem fieri posset, ut Christi, iam exhibiti, nos essemus, nisi Christus esset natus. Gigni autem ex Maria sine peccato qui tandem potuisset, nisi de Spiritu Sancto conceptus fuisset. Quonam denique pacto concipi potuisset utero materno, nisi missus fuisset. Atqui missus est ab ipso quoque Spiritu Sancto, ut Esaias distincte loquitur. Ad summam, ne agam de singulis, quae Spiritui Sancto nos debemus, Spiritus Sanctus est, qui nos in Ecclesiam Baptismate introducit, in ea per Verbum diuinum ducit, ex ea, per fidei stabilitatem, educit in Coelum

Satis beneficii, quo nos, ex humanae uitae miseriis erepti, transferimur in beatas sedes, ut perpetua felicitate perfruamur. Sed idem Spiritus Sanctus, pro immensa bonitate sua, cum

Digitized by Google

deceſſerimus, noſtris etiam corporibus proſpicit, non ſolum animis. Illorum enim curam gerit, cum mortua tolluntur ex oculis, cum ſepulta corroduntur a uermibus, cum, putredine confecta, in puluerem rediguntur. Nam corpora piorum, dum uiuunt, praeſentiore numinis ſui gratia implet, ſanctitate ſua conſecrat, in eis templa ſibi, totique Sacroſanctae Triadi, ſtruit. Quae quidem templa mors, humanae merces perfidiae, cum diruerit, atque ita diſturbauerit, ut nulla eorum ueſtigia uideantur extare, tum uero ea Spiritus Sanctus, ui ſua coeleſti, cunctis in partibus ſuis, ex ruinis inſtaurabit, ut nihil de his, niſi in melius, mutetur. Hoc enim Paullus Romanis confirmat, ſi Spiritus illius coeleſtis Patris, qui Ieſum ex mortuis excitauerit, in eis habitet, fore, ut idem ille mortalia eorum corpora in uitam reuocet, per eundem Spiritum ſuum, qui ſuas in eis ſedes nunc capiat. Adeo Spiritus Sanctus nunquam nos deſerit, ne in tumulo quidem, cineribuſque noſtris. Vnum igitur nobis curandum eſt, necubi Spiritui Sancto, qui tantis nos ſolatiis cumulat, reſiſtamus, ut ei docenti, monenti, caſtiganti quoque, nos obedientes ubique praebeamus. Precemur cum Regio Pſalte. Cor mundum crea mihi, Deus, com-

Digitized by Google

compoſitumque Spiritum in pectore meo renoua. Ne me a conſpectu tuo reiice, neue mihi tuum Sanctum Spiritum aufer

Indignos ergo ducamus omni uitae huius aerumnoſae ſolatio, longius etiam a nobis repellamus, ſacerrimos iſtos ac perditiſſimos, qui Spiritus Sancti, in omne genus hominum, tot ſanctiſſimorum beatiſſimorumque donorum munificentia, effuſiſſimi, numen, opinionibus ac uocibus impiis, laceſſant. Quantum enim furit Arius, qui nulla ideo infamia, ſatis graui, notari poteſt. Hic enim, in Sacroſanctam Triada ſumme iniurius, non ſolum Chriſto diuinitatem ſuam detrahere audet, ſed ipſi etiam Spiritui Sancto obtrectare, quem Patri Filioque ὁμοούσιον eſſe, ſumma cum indignitate negat. Itaque cunctis ſententiis omnium, in Seruatorem ſuum non ingratorum, merito damnatur, ac maximam ſibi uim facit, eis ſe ſpolians ipſe ſolatiis, ſine quibus nihil habes, quod optabile tibi putes. Tres autem eſſe diuinitatis ὑποστάσεις, ſed unam οὐσίαν, ita tamen, ut Patris ſit ἀγεννησία, Filii γέννησις, Spiritus Sancti ἐκπόρευσις, non modo doctores ueteres diſtincte luculenterque tradunt, ſed ipſa etiam Scriptura Sacra, illorum magiſtra, lectoribus

Digitized by Google

bus, multis in locis, inculcat. Nihil praesidii, a Spiritu Sancto quod expectet, relinquit sibi Macedonius, homo profligatissimus, cui, longe impurissimo, Spiritus multo Purissimus, ac fastigii uere diuini aeternique, esse uidetur, non Deus, sed, nefas dictu, minister, Patri Filioque seruiens. Qua re Concilii Constantinopolitani decreto condemnatur, omninoque pellendus e medio, ab omnibus bonis ad istos amandatur impios, qui bellum indicant ipsi diuinitati, eiusque summae maiestati, et per omnia aequali, seruitutem, a tanta dominatus excelsitate abhorrentem, iniungere laborent. At uero, si tres Sacrosanctae Triados Personae, ut hae ipsae Oraculis diuinis sese patefaciunt, non ullo, uel temporis, uel dignitatis, gradu, sed ordine tantum et origine singulari, inter se differunt, quam tandem, non dicam caussam, sed speciem, ministerii ac seruitii cuiusdam, in hac coelestis immensitatis aequalitate, reperire possis. Plenus solatii est Spiritus Sanctus, plenus officii sanctissimi, quo solatia mortalibus copiosissima impertit. Sed his tantis Photinum solatiis prauitas insignis tum orbat, cum ei lumen mentis eripit, quod Spiritus Sanctus animis hominum accendit, ac praefert. Videns ergo non uidet,

Digitized by Google

quod mente captus est, et caecus iam praecepsque eo fertur, ut, Spiritum Sanctum, neget, esse Deum, quod ille Deus in sacris nunquam uocetur. Sed quanto crimine, tum impietatis, tum ignorantiae, compellatur a Patribus Sirmiensibus, nec iniuria. Homini enim nequissimo reclamat uox in diuinis monimentis clarissima, Dauidis, Esaiae, aliorumque, uatum sacrorum, eam uero Photinus, sensibus quasi alienatus, exaudire non potest. A quo enim, in sacris, Spiritus Sanctus abest, hic et lumina oculorum amittat, necesse est, et obsurdescat. Surditatis, atque caecitatis, Photinum uel solus arguerit sanctus ille Symeon, qui, Christum puerulum ulnis suis excipiens, a Spiritu Sancto, huius ex promisso, dimitti cupit e uita, hoc eum nomine inuocans, ut Dominum Deumque suum, qui uitae necisque ius habeat. O quam miseros dicamus omnes, qui similes esse uelint horum sacrilegorum. Spiritum enim Sanctum honore diuinitatis nefarie exuentes, omni se priuant laetitio, quod Spiritus Sancti diuinitas effuse largitur

Contra ea, nos diuina omnia agnoscimus in mirabilibus hodierni diei euentis, notisque illu-

Digitized by Google

illuſtribus, quibus Spiritus ipſe Sanctus coeleſtem prodit uim ſuam. Haec ſupra mirabundi ſpectauimus in eis, qui rebus tam inſolitis atque inauditis interfuerunt ipſi. Haec denuo nobis, quis enim ea ſatis recogitet, in mentem ueniunt, et magnitudine, ac uarietate, miraculorum nos occupant, defixoſque tenent, ut ſi recens eueniant. Nam uideor mihi audire procellam illam, ſubito cum magno fragore coortam, uenti, immani turbine frementis, et ſancti conuentus ſedem ingenti ſonitu et ſpiritu concutientis. Videor mihi uidere coenaculum flammis collucens, in eoque linguas, inſtar flammae diſſectas, quae fundatur e capitibus ſacris, ſine ipſorum ſenſu, cum magno ſtupore circunſtantium. Videor mihi uidere omnes, qui adſunt, inſolita quadam animi inflammatione concitatos, audire hos eoſdem, peregrinis uariiſque linguis admiranda Dei loquentes, conſpicari alios, ex omni genere gentium nationumque, his linguarum admirandis obſtupefactos, et concione Petri, diuino afflatu inſtincti, ad tantam religionem perductos, ut properent ad myſterium ſacri fontis, eoque ad tria hominum millia abluantur, uno hoc die admirabiliter ſalutari. Haec, Auditores, uiſu, auditu, euentu, mi-

Digitized by Google

rabilia, ſunt opera Spiritus Sancti propria, qui numen ſuum mortalibus aperit, qui munera ſua eis diſtribuit, qui animos, ſacro perfuſos horrore, flectit, quo uelit, permotos, Chriſto adiungit, et uoluptate complet, tam incredibili, ut gaudio delibuti reddantur toti, ipſiuſque coeli ſuauitates praecipere dulciſſimas uideantur. Ex quo apparet, aduentum tam illuſtrem Spiritus Sancti non modo ad confirmandam, atque in terrarum Orbe propagandam, Euangelii doctrinam pertinere, ſed ad teſtimonium etiam luculentum, Spiritum Sanctum in ſingulorum quoque animos mitti, qui uera poenitentia tangantur

Beatos illos, in quos, ex ſancto auguſtoque omnis ſolatii fonte, Spiritu Sancto, tot beneficentiae diuinae riuuli deſcendant. Nos nihilo ſecius felices, quorum ad ſenſus idem fons diuinae conſolationis magna cum ſuauitate affluit, nullis ſaeculis exhauriendus. Ad hunc igitur fontem aquae, in uitam aeternam ſalientis, caſta puraque mente accedamus. Ex hac ſcaturigine perenni coeleſtium bonorum ueram ſinceramque laetitiam, leuamenta doloris probatiſſima, animi conſtantiam in rebus aduerſis, ſpem in deſperatis, hauriamus

Aga-

Digitized by Google

Agamus habeamuſque Chriſto, Seruatori noſtro, maximas in ea re gratias, quod, cum Paracletum, Spiritum ueritatis, diſcipulis ſuis promiſerit, hunc illis nobiſque, tantis cum muneribus diuinis, miſerit. Supplicemus huic doctori ueritatis maximo, uti nos, aeterni ueri ſcientia inſtitutos, ductu ſuo regat, uti nos, coeleſti luce colluſtratos, in ſanctimoniae ſtudio confirmet. Obteſtemur hunc, inuictae uirtutis auctorem conſeruatoremque, uti nos, ad dimicationem ultimam inſtructos atque intentos, uiribus ſuis roboret, uti, quandocunque, ſupremo uitae tempore, uox, languore oppreſſa, defecerit, nos, ſuſpiriis piis, animoſis, fiduciae plenis, ſublatos, atque aduerſus omnem mortis [illegible] metum animis alacribus et Chriſtianis erectos, in uera contineat et conſtantiſſima fide [illegible].

Ades nobis, Sancte, et maieſtate aeterna Diuine, Spiritus, quo, uelut halitu in pectora noſtra, per Verbum Diuinum, effuſo, coeleſtis Pater, ac Filius, nos trahunt. Trahe nos, ſacris uocibus excitatos, ſtudio tui, ut ſanctitate tua ſancti nos efficiamur. Coniunge nos mentium noſtrarum religione cum Deo, ut numen eius

Digitized by Google

puro incorruptoque cultu ueneremur, ut ei nos tota mente dedamus, ut ei pie libenterque morem geramus

Tu es Spiritus precum, doce nos, Deum precari uera animi ſanctitate, certa fiducia, quà patrem filii proſequantur, magna conſtantia, ſine dubitatione, ſine diffidentia, ſine animi languore. Inſtrue preces noſtras ſalutari fide, hancque aeterna Dei ueritate, paterna eius miſericordia, infinita eiuſdem potentia, tanquam tribus columnis firmiſſimiſque, fulci. Praees noſtris precibus, ut flagitemus, non, quod nobis, ſed, quod Deo, placeat, ueraeque nobis, et utilitati ſit, et ſaluti. Fac, afficiamur graui dolore peccatorum noſtrorum, fac, delictorum ueniam petamus ſerio poenitentes, fac, criminum gratia nobis clementiſſime fiat. Adde precibus noſtris hanc uim, ut amoris diuini redintegrationem laeti hilareſque, intra nos, ſentiamus, ut ſpem coeleſtis auxilii capiamus, ut promiſſam noſtri emendationem urgeamus, omnique ſtudio nouae obedientiae officium teneamus. Sed, quoniam ſine te nihil nos poſſumus, iuua nos, ut infirmitatem noſtram agnoſcamus, ut arbitrio Dei nos totos permittamus, ut eius uoluntate cunctas

Digitized by Google

ctas res ſpeſque noſtras dirigamus. Tu uis dari per cognitionem Verbi Diuini, accipi per contemplationem doctrinae coeleſtis, da nobis, diuinam tui promiſſionem legentibus atque recordantibus, te, ut accipiamus illum Spiritum, qui confirmet adoptionem filiorum, in quo clamemus, Abba Pater

Tu es Spiritus gratiae, quam non modo in Euangelii miniſterium, ſed in mentes etiam ſingulorum, muneribus uberrimis profundis. Quid gratiae plenius in homines abs te proficiſci poteſt, quid hominibus eſſe gratioſius, quam, in munere ſacerdotii, denuntiari ueniam peccatorum, gratis dandam propter Chriſtum, ac religioſa fide accipiendam, quam, mentibus noſtris eam diuini amoris ſignificationem fieri, ut credamus, fide ſua gratiam apud Deum inire, qui merito Chriſti confidant. Atque haec quidem res cum tanta ſit, ut hominum imbecillitatem interdum ſolicitam habere poſſit, tuo opus eſt auxilio ad mentes hominum flectendas, ut aſſentiantur Euangelio, miſericordiam Dei, oblatam ſibi, amplectantur, Seruatoriſque ſui praeſidio fidant. Itaque nobis eam da mentem, ut certum habeamus, ſummo Chriſti beneficio, nos

in

Digitized by Google

in gratiam Dei reſtitutos eſſe, nos Deo placere, noſtris malefactis ignoſci

Tu es Spiritus caſtitatis, cuius diuinum opus eſt caſtitas, quae nihil libidinoſum, nihil turpe foedumue, admittit. Cum Deus caſta mens ſit, caſtaque mente nobis colendus, nobis hoc munus caſtitatis imperti, ut Deo caſtum praeſtemus purumque cultum. Intemperantiae licentiam coerce, quae diuina humanaque iura peruertit. Reſtingue libidines, quarum incendia in publica priuataque mala deflagrant. Tolle peſtiferas temporum confuſiones, quas prauae cupiditates inducunt, ſedatos compoſitoſque animorum motus redde, ut pudore, uerecundia, metu Dei, cunctae res adminiſtrentur

Tu es Spiritus Caritatis, ac potius Caritas ipſa, qui uinculo amoris indiſſolubili ipſum Patrem Coeleſtem, eiuſque Filium, contines. Effuſa in nos caritate tua, nos quoque Patri, et Filio, tibique ipſi, copulas, qualemque te flammam ſacrae concioni quondam oſtendiſti, talem nobis te praebes, mentes noſtras amore Dei ſociorumque noſtrorum incendens, ut fiant ſumma Dei mandata, Deum hominesque diligendi.

Inflam-

Digitized by Google

Inflamma mentes noſtras, ut Deum toto pectore amemus, ut, ſtudiis officiiſque deuincti, ingenuo inter nos amore certemus

Tu es Spiritus Laetitiae, puriſſima ſcaturigo omnis ſinceri perpetuique gaudii. Exime nobis ſolicitudines, quibus uitae huius turbidae calamitas obruitur. Dele curas fluxarum fragiliumque rerum, quibus a firmis illis ac ſtabilibus auocamur. Iniice nobis alacritatem ſempiterna quaerendi complectendique ſolatia, ut, faſtiditis abiectiſque uoluptatibus, quarum peſtis dolores atque angores conſcientiae relinquit, in ſolo Deo, ſummo aeternoque bono, penitus acquieſcamus

Tu es Spiritus Roboris, fortes, robuſtos, inuictoſque, faciens animos, quos intras, in quibus inſides. Excita nos, qui languemus, confirma nos, qui titubamus, ſuſtine nos, qui labamus, ut, pleni pietatis, pleni fiduciae, quam defigamus in Chriſto, ad Deum adeamus, eius opem imploremus, eius praeſidio freti, nulla rerum deſperatione, nullo mortis terrore, opprimamur. Indue nos Panoplia militis Chriſtiani, ut, in tantis uitae periculis, a capite ad calcem armati, caput galea ſalutis tegamus, pectus et uentrem thorace iuſtitiae firmemus, latera balteo ueritatis cingamus, pedes ocreis alacritatis

Digitized by Google

Euangelicae muniamus, ſiniſtra clypeum fidei, dextra gladium uerbi, teneamus, eoque ſalutari ornatu inſtructi atque defenſi, omnium ex Inferis hoſtium impetus, furentes uiolentoſque, frangamus

Haec a Spiritu Sancto precari, quis noſtrum nolit, Auditores. Haec eius benignitate impetrari, optamus, haec eius uirtute nobis conceſſum iri, certo ſperamus. Quo libentius nos, ac laetius, proiectis terreſtrium inaniumque rerum ſarcinis, duce itineris Spiritu Sancto, uia, ipſius Chriſti ueſtigiis impreſſa, in coelum profecti, ſua terris ſolatia, quantocunque ſplendore niteant, relinquemus. Contra ea, in diuino beatarum mentium concilio collocati, germana atque ſumma, quae luce diuina luceat, nunquam obſoleſcat, felicitate potiemur, et ſincero ſempiternoque gaudio perfruemur. Omnium autem maxime, aſpectu Dei beatiſſimo, cuius priuatio impios excruciabit, refecti, ad genua Dei, ſedentis in ſolio maieſtatis aeternae, procumbemus, ac totam Sacroſanctam Triada, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, uenerabunda ſolemnique coelitum, Triſagion canentium, uoce, in perpetuum celebrabimus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS Zebaoth

Digitized by Google

III

PANEGYRICVS IN CAROLVM SEXTVM IMPERATOREM AVGVSTVM

Capis igitur, Carole, Imperator Sanctiſſime, Auguſtorum Auguſte, capis, inquam, quod felix fauſtumque ſit, poſt laureatas tot literas, poſt alios ſuper alios uictoriarum nuntios, nouos [illegible]icoſque fructus uirtutis tuae, quae, ſui [illegible] [illegible]biuis increbeſcente, Orbem terrarum [illegible] peruagatur. Nam Barbari, fatalis [illegible], fatalis maxime, in eo biennio, men[illegible], qui fortuna ſingulari Auguſtam di[illegible] uindicare uiſus eſt, cladibus multis at[illegible]tibus oppreſſi, armiſque tuis, quae [illegible] ſocios, ſolum adiutorem Deum, ha[illegible], grauiſſimam perfidiae ſuae poe[illegible]. Itaque, conſumpto militum flo[illegible], fortunam belli, ſignis denuo colla-

tis, periclitari non audent. Vim enim Martis Victoris, per Eugenium tuum, illud belli fulmen, cuius heroica magnitudine priſca gentis Martiae lumina, Paulli, Scipiones, Fabii, facile obſcurantur, exercere uideris, adeo uictis inſtans, ut hi, rebus ſuis diffiſi, ad tuos domitoris ſui pedes, agmine facto, ſe proiiciant. Ita uero, perfidiae conſcientia perterriti, et auſpicii Carolini terrore perculſi, pacem, cuius omne fas abruperant, ſuppliciter petunt. Ea per clementiam uictoris impetrata, fundi ſui calamitatem uident, ſed eius cauſſam nimis ſero conſiderant, neque auſi iam prouincias, una cum caſtellis amiſſas, repetere, ſatis habent, ſi, aris focisque relictis, incolumes diſcedant

Atrox periculo, grauis metu, fuit annus huius ſaeculi ſextus decimus, cum Thraces, capta Peloponneſo, uictoria opibuſque elati, nulla Carolouicienſis pacis religione retardarentur, quin, immenſis copiis effuſi, finitimos pacatoſque Pannonas adorirentur. Noui furoris impetu incitati, cum terra marique praepotentes ſibi uiderentur, ipſam Vindobonam, ipſamque Romam, ſpe deuorabant, utramque, clamitantes, Vrbem ab ſe peti, ad utramque diruendam contendi.

Digitized by Google

tendi. Sed Deus a pia iuſtaque cauſſa ſtetit, pro eaque propugnauit ipſe, et, perfidi ſcelus animi grauiter ultus, eodem loci, ubi pax erat ſancita quondam nuperque uiolata, primas expetiit poenas, cum hoſtium clade non leui, tantaque horum ignominia, ut a tribus, circiter, millibus multa turmarum millia fugarentur. Poenas mox repetiit multo grauiores, tantas quidem tamque commemorabiles, ut hoſtes, ingenti proelio deuicti, uel caederentur, uel fluuio demergerentur, uel, armis abiectis, dederent ſeſe, uel, in omnes diſperſi partes diſpalatique, uix euaderent e fuga. Itaque, percuſſa Barbarorum potentia, iudicari poterat, quod ad populi, Chriſtianis ſacris initiati, perniciem cogitatum fuerit, id praeſens manifeſtumque Numen ad eiuſdem populi incolumitatem, ac nouas, longeque maximas, amplificandae deinceps fortunae ſpes, conuertiſſe. Vidit enim Petrouaradinum, haud longo interuallo, inſtructam Thracum Scytharumque aciem, uidit copias, ex ampliſſimis tot gentium regnis undique contractas, et ore uultuque crudelitatem ſpirantes atque caedem, uidit eas, obſtinatis ad uincendum animis, acerrime proeliantes. Sed, praecipiti rerum conuerſione, protritos uidit hoſtes et iacen-

Digitized by Google

centes, diſſipatos uidit ac profugientes, tanta cum trepidatione, ut omnes in fuga ſibi ſubſidium ponerent. Quo fiebat, ut, interfectis triginta, amplius, millibus, contrucidatis ducum principibus, caſtris tormentiſque bellicis captis, euaneſceret horribilis iſta ſpecies immanitatis, igni ferroque ſaeuientis. Mox Temeſuaria, quae ualentiſſimi caſtelli munimentum praebuerat, quarto Idus Octobres expugnatur, eodem longe auſpicatiſſimo die, quo, annos abhinc octo, in Francofordienſi Procerum conuentu, Imperator Romanorum lectus es. Huic tempori maiora rerum incrementa ſucceſſerunt. Fines agrique Barbarorum quam longiſſimis patuerunt ſpatiis, arcibuſque compluribus, in Croatia, Boſnia, Seruia, receptis, aperti ſunt limites quam ampliſſimi, atque iter, in omnes regionum partes, aditu liberrimo, patefactum. Penetrata deinde ſignis Moldauia, acceptaque in deditionem Valachia, latius Imperii Romani maieſtas, cum aquilis prolata, exſplenduit. Haec tamen ipſa gentes, in nefarium funeſtumque bellum ferocia inſtinctas, tum praeſentiſſimo commouit periculo et conterruit, ac, ſpe conſilioque deiectas, afflixit penitus et exanimauit, cum, proximis aeſtiuis, proelium, ad Tauru-

Digitized by Google

Taurunum fortiſſime ac feliciſſime commiſſum, ipſa propugnaculi huius, quod ante id tempus inuictum ferebatur, expugnatio, biduo, quam manus eſſet conſerta, ob eamque cauſſam opinione hoſtium multo celerius, inſequeretur

Omnino res admiratioque facti duplicis excedit fidem. Vrbem cogita, natura et arte munitam, equis, armis, uiris, pecunia, omnium rerum abundantia, inſtructiſſimam. Eius urbis, qua *fluuius* aditum intercludit, oppugnandae ac ui ſubigendae rationem uide. Conſidera repentinum hoſtium, qui ſubſidio uenerant obſeſſis, multo potentiorum immaniumque, aduentum, eorumque caſtra, caſtris oppugnatorum collata. Reſpice animi firmitudinem, quae, nullo cuiuſquam periculi timore debilitata, uno tempore, et tormentis urget obſidione cinctos, et *illos*, auxilio cum magno exercitu profectos, reiicit. Propone tibi fortitudinem, quae, equitatu uallum foſſamque tranſcendente, perfringit Barbarorum munitiones ac diſiicit, ipſos, acerrime repugnantes, latibulis expellit, contundit, profligat, cunctis exuit rebus. Adde rei gerendae celeritatem, cum fuſi prius fugatique ſint aduerſarii, quam opidani ſenſerint. Haec, et alia,

Digitized by Google

alia, fando uix audita, cogitatione ſi complecteris, ea, cognoſces, eueniſſe noſtra aetate, quae ueteri ſi extitiſſent, in temporum admirandis habita fuiſſent. Rerum, prorſus admirabilium, magnitudine obrutus, plurima taceo, ut ex iis, quae aſſequi cogitatione non poſſum, pauciſſima leuiter perſtringam. Quanti tandem periculi potuit uideri, aut obſidione, tantis difficultatibus obſtructa, cum inſigni nominis Chriſtiani turpitudine, incommodoque haud exiguo, ita deſiſtere, ut hoſtibus, in ulciſcendam ſuperioris anni cladem ardentibus, iam nouae faces ſubiicerentur, aut in ea obſidione ſic perſiſtere, ut, cum tantis hoſtium opibus reſiſti non poſſe uideretur, abſumpto deletoque Chriſtiano exercitu, cuncta Barbarorum furori obiicerentur. Ecquid ſperandum uidebatur, quid non extimeſcendum potius, cum Tauruno ipſi, inſanis operum ſubſtructionumque molibus, latiſſimo fluuio, claſſe ad uim arcendam diſpoſita, aggeribus iactis extrinſecus extructiſque, defenſo iam, tantum, ex militum robore, impoſitum eſſet praeſidii, ut ei, iam dedendo, triginta, plus, millia ſupereſſe dicerentur, extra muros autem eiuſdem opidi innumerabilis hoſtium multitudo conſpiceretur, quantam nec uide-

Digitized by Google

uiderat Petrouaradinum, nec quiſquam credide-
rat. Atque haec quidem, ex tribus terrarum
Orbis partibus, uelut ad extinguendum nomen
Chriſtianum, coacta, tuorum, Caeſar ipſo mi-
rabilis periculo, caſtra, ſuis iuncta caſtris, circum-
ibat ferociter, atque circumſidebat, ut, praeter
ceteram locorum rerumque iniquitatem, tuis,
multo paucioribus, in utramque partem, a fron-
te, a tergo, cum gemino propugnatorum op-
pugnatorumque exercitu depugnandum foret.
Quam putabatur arduum plenumque diſcrimi-
nis, cum tui obſeſſis, quam obſidentibus, eſſent
ſimiliores, hos tamen aggredi ſuos obſeſſores,
triplici uallo foſſaque circumdatos atque circum-
ſeptos. Huic rei illa quoque neceſſitas impone-
batur, ut exercitus, qui copias hoſtium immen-
ſas numero haudquaquam adaequaret, alieniſſi-
mo tempore diuiſus, in duas partes iret, quan-
tumque eius eſſet opus, hic defenſioni caſtrorum,
oppugnationi illic caſtelli, adhiberetur, cum qui-
dem totus militum numerus uix quadraginta ali-
quot millia conficeret, quae tantae multitudini,
quantae nec fama percrebuerat, nec ſuſpicio in-
crepuerat, intra triplices ſeptorum ordines in-
uadendae, obiici poſſent. Nec uero milites tui
infitiantur, ueterani illi ſaepiuſque congreſſi

Digitized by Google

cum barbaris, hos nunquam, tantis munimentis circumuallatos, tanta proeliandi conſtantia firmatos, contendiſſe. Fatentur iidem, horis ſeptem, quibus acerrime dimicatum ſit, rem, uictoria diu incerta, dubiam, periculo non caruiſſe, cum ipſi, uel coeli nebuloſi caligine, uel copiis hoſtium, circumfuſi, cum quibus, quam in partem, pugnarent, uix ſciuerint. Denique non diſſimulant, diſcuſſa quidem nebula, ſe fortius feliciuſque rem geſſiſſe, habuiſſe tamen, quod agerent cum feritate hoſtili, tantiſper, dum, equitatu pulſo, praetoriani collabefierent, et, inclinata iam acie ac labante, caede protinus cuncta fugaque complerentur. Mirum dictu, tantas hoſtium opes, tam armatas, tam circummunitas, ab iis, qui numero, qui praeſidiis aliis, multo eſſent inferiores, potuiſſe tam facile proſterni, mirum, tanti, tamque propinqui, rem tumultus, ſub oculis ciuitatis, adminiſtrari conficique prius potuiſſe, quam reſciuerint obſeſſi, quam fecerint eruptionem, obſeſſoreſque, ancipiti periculo preſſos, grauiter perturbauerint, mirum, urbem tam celeriter, praeſertim collectis modo ex fuga copiis non paucis, capi tum potuiſſe. Huius altera pars cuniculis operibuſque magnis ad reſiſtendum firma

Digitized by Google

ma putabatur, altera, ingenio loci manuque, ſatis quoque communita. Vrbs eadem commeatu, eaque defenſorum multitudine, abundabat, ut ipſa numeroſum lectiſſimumque exercitum aleret, propterea, quod ea uidebatur pignus quoddam imperii Barbari, contra Chriſtianos, Palladiumque contineri

Sed ea tibi, Caeſar Deo dilecte, fato reſeruata erat palma, quae ante id tempus optanda potius uidebatur, quam ſperanda. Ea flagrans erat Dei, offenſi irritatique periurio, ira, ut, cum facinus conſceleratiſſimum grauiſſima, et mirifica prorſus, expiandum eſſet poena, is quidem te, ad rem operis immanis, cogitatuque mirabilem, ſtupentibus cunctis, aduerſum perfidos ſuſcipiendam, impelleret, is te, tuumque Eugenium, ſi hoc unum egiſſet, immortalem tamen futurum, ad eandem rem, contra expectationem omnium, ſupraque omnium uota, perficiendam, corroboraret. Ea tuae ſanctitas erat cauſſae, ut, quo minus ab eadem Diuini Numinis ultio ſeiungi poſſet, hoc plus, coeleſti mentis inſtinctu, prudentiae uirtutiſque ducibus tuis, hoc plus fortitudinis militibus, formidinis autem hoſtibus, iniiceretur. Ea tuarum uis erat precum, ut,

Digitized by Google

coeli uiribus in ultionem iniuriae, tibi Orbique Chriſtiano illatae, elicitis atque incitatis, hoſtes, extra urbem, offuſa nube, occaecati, tuos primum non uiderent appropinquantes, intra moenia uero, obſtructis maiore ui auribus, bellicae tumultuationis ſonitum, ipſis ſi credimus, aut craſſis nebulae uaporibus cohibitum, aut uentis difflatum, non exaudirent. illique, furentes audacia, furore praecipites, ruerent in perniciem, iſti, torpore quodam fatali, marcerent, utrique, qui ſupereſſent cladi, in ſummas anguſtias adducti, alia certe cuncta, mallent experiri, quam diutius arma tua. Ita clauſtrum Pannoniae, ad Danubii Sauique confluentes, natura, opere, praeſidio, permunitum, ac totius Barbariae firmiſſimum, quod, ab Solimanno II capitur, quod, ſaeculo proximo receptum, breui rurſus eripitur, quod deinceps, duce Croio, obſidione fruſtra clauditur, fruſtra, pactione Carolouicienſi recuperandum, ſperatur, hoc, dico, clauſtrum nunc tuae permittitur poteſtati, ciueſque, rebus deſperatis, bene ſecum, rentur, agi, ſi, conſeruata ſalute, ex opido demigrandi ueniam conſequantur. Vniuerſi autem barbari, terroris, qui cum uictore exercitu longius progreditur, fama ſenſuque permoti, reſtincta bellandi

Digitized by Google

landi cupiditate, ad pacis cogitationem ſe recipiunt. In ſola enim pace conſtituunt praeſidium, quo confugiant, hac una pace detrimenta, quae fecerint, maxima reſarciri poſſe, exiſtimant, huic in primis paci, tempore tam neceſſario, periculo tam propinquo, ſeruiendum, multaque concedenda, putant, ſine hac quid ſperent, non inueniunt, hac demum recuperata, rationibus ſuis conſuli, malorum acerbitatem leniri, arbitrantur

Hic, admirari, conuenit, tui, Caeſar continentiſſime, animi moderationem, hic, poſteris tradi, refert, animi temperantiſſimi placabilitatem, utramque incredibilem fere. Tametſi enim, praedonibus e Dacia eiectis, Pannoniaque ſeruata, domi nihil ſecurum tranquillumque non erat, foris autem, Boſnia recluſa, Valachia liberata, Moldauia capta, Seruia maxime reſtituta, legionibus tuis uictricibus clauſum nihil obſeratumque, etſi nihil arduum quoque uictori, uictis nihil tutum, uidebatur, compoſita tamen mente, tecum moratus, uictoriam temperas, reuerenterque fortunam, tui modum ſapienter, habes. Proinde, uindicata ſatis, iam ſati aucta pariter, et firmius obſepta, nomi-

Digitized by Google

nis Christiani securitate, satius ducis, ad sanitatem reuertentibus, pacemque humiliter exposcentibus, ignoscere, quam, iniuriis bello persequendis, irae unquam parere. Parci, mauis, humano sanguini, quam prouincias fieri, clementiae monimenta, quam tropaea, statui, ut ostendas, quanto superbos ardore debelles, tanta te supplicibus indulgentia ueniam dare. Carolus V, Princeps bello maximus, sed moderati bonique imperii studio non minor, Antonio Leuae, sicut accepimus, aliisque ducibus, institutа Iulii Caesaris et Alexandri ita laudantibus, ut. suis eum, quererentur, uictoriis, ad magnitudinem potentiae amplificandam, minus, quam posset deberetque, uti, Alexander, inquit, et Iulius, uni, in bello gerendo, honori seruierunt ac gloriae, Christiani autem reges, animo ad res duas adiecto, sic agant, oportet, ne, gloriae solius consectatione, memoria bonae mentis obruatur. Ea sane rei gerendae facultas erat uirtuti tuae data, ut, si gloriae tuae aut parum, aut nihil, posset adiici, multis tamen partibus augere potentiam potuisses. Quanquam tibi cum gentibus immansuetis atque feris, iisdemque perfidis, erat agendum, tamen, cum in acie et inferantur uulnera et accipiantur, nihilo minus, iam

Digitized by Google

quam Antoninus ille Pius, amore tuorum commotus, praeſtare, credidiſti, unum ſeruari ciuem, quam hoſtes mille perdi. Haud aliter, quam ille, cuius mentionem feci, Carolus ſenſit, qui, non nullis, in expeditione Tunetana, periculoſam ſuadentibus militiam, Vnum, inquit, malo, ſeruari ciuem, quam barbaros mille profligari. Hac tu, Caeſar, bonitate tum maxime caues tuorum uitae, cum paratiſſimi ſunt hi, pro te animam profundere. Ea re tantum caritatis paternae, quantum miſericordiae, declaras. Quantam autem magnitudinem animi praeſtas ipſis hoſtibus tuis infenſiſſimis, cum, nactus idoneum tempus, ſumma, quam merentur, ſeueritate eos conterendi, humanitatem tamen dolori tuo, ſanguinis humani curam commodis tuis, antefers. Imitatus enim Numen beneficum, quod ſolis ſui radios bonis maliſque, dignis atque indignis, peraeque impertit, ultra terminos Chriſtiani Orbis porrexiſti benignitatis tuae lumen ac tetendiſti. Quo facto nihil reliqui, ad uirtutis excelſae teſtificationem, feciſti, ſi quo forte ſanae rationis uſu feritas effrenatarum gentium manſuefieri poſſet, ut, ipſa Chriſtianae manſuetudinis experientia, Chriſtianae Religionis excellentiam diſceret, Chriſtique

Digitized by Google

ſtique mitiſſimi lenitatem ac miſericordiam, quam Muhamedis truculenti ſaeuitiam furoremque, ſequi mallet. Neque eo ſecius, cum, aſſertis maieſtatis tuae iuribus, hoſtibus das conditiones, nullas autem ab iis accipis, ea re quaetum capis multo glorioſiſſimum. Non ſolum enim ſociis conditiones pacis auctoritate tua, qua moueri ſeſe, de qua gratulari ſeſe foederatis tuis, ipſi praedicant barbari, multo concilias aequiores, ſed iiſdem etiam terrarum ſpatiis fines Reipublicae Chriſtianae, quibus tuos, prorogas, potentiamque tuam cum illius amplificatione, utilitatem tuam cum illius ſalute, gloriam tuam cum illius ſecuritate, coniungis. Itaque, cum, belli fortuna, proferendique Imperii felicitate, ſis maximus, exemplo uincendi, longe ſanctiſſimo, haud paullo maior exiſtis. Non alios laceſſis, ut opibus eorum creſcas, ſed iniurias laceſſitus propulſas, ut inſultandi libidinem metu coerceas. Non caedis Chriſtianos, ut horum ſanguine ſitim gloriae expleas, ſed proſternis hoſtes Chriſtianorum, ut ſecuritatem Chriſtianam reddas tutam. Non eripis aliena, ſed, quae latrocinio maioribus tuis erepta ſunt, a praedatoribus repetis. Non ui rapta ui retines, ſed quae, periurii uindex,

Digitized by Google

dex, piis armis subegisti, haec, publice cessa, iure possides. Non decertandi modum definis utilitate, sed inter arma paci seruis, neque indulges irae, sed humanitati multa, multoque maxima, condonas. Haec belli gerendi sanctitas Orbis sanctioris Principem decet, haec Imperii propagandi innocentia demonstrat Imperatorem, semper et uere, nomine et omine, reque ac factis, Augustum, haec admirabilis animi continentia tanto luculentius probat inuictissimum, quanto difficilius est, se ipsum, quam hostem, uincere, quanto magnificentius, ubi plurimum possis, minimum uelle, quanto denique Deo propius est, ratione moueri, non ira. Hoc illud est, quod tuis, altissimi Caesar animi, maioribus magnae semper curae fuit, de quibus Fridericus ille quartus, cum Guncienses, in Pannonia, deuicisset, Magnum, inquit, actum est opus. Sed restat maius, ut, uictis hostibus, uincamus nos ipsi, et auaritiae simul ulciscendique cupiditati frenos iniiciamus. Tali modo Rex, post homines natos sapientissimus, Praestat, inquit, patiens uiro forti, et, sibi qui imperat, urbium expugnatori. Tantam animi diuini excelsitatem spectant hostes, eamque, suae crudelitatis pudore confusi, reuerentur. Ad eam,

Digitized by Google

uelut ad ancoram ſalutis ſuae aſylumque quoddam, inſolito pacis efflagitandae ſtudio, ſeſe conferunt, ea plus, quam armis atque opibus ſuis, inueteratae minaciſque tyrannidis obliti, confidunt, ab ea praeſidium ſecuritatis ſuae petunt, de agris ei poſſeſſionibuſque ſuis ultro decedunt. Itaque, facto Paſſarouicium concurſu, non tam erubeſcunt, aut dolent, in ſuis pacem finibus ſibi, neceſſitate coactis, exorandam eſſe, quam uictoris, tam placabilis, aequitate curas ſuas leniunt. At Orbem Chriſtianum quamuis rerum, abs te uno, ſine auxiliis ſociorum, ſine gloriae ſocio, geſtarum, admiratio iam dudum impleuerit, idem tamen, nouo inauditae rei miraculo, obſtupeſcit, et, qua recte ſentit, in tam pium, tam ſapientem, tam acrem fortunatumque, libertatis, aduerſum gentes, immanitate barbaras, defenſae, propugnatorem, ſecuritatis aſſertorem, iniuriae ultorem, ferocitatis oppreſſorem, ſe conuertit omnis. Eum, ſicut aliquem coelo demiſſum, unumque ac ſolum, qui delectus ſit ad piacula facinoris, quod omnium uiribus expiari debuerit, exigenda, intuetur, eius dextram, tantis uictoriis praeſtantem, diuinitus armari, animaduertit, rerumque peractarum celebritate commotus, ueneratione

exci-

Digitized by Google

excitus, admiratione attonitus, certante congratulationum aemulatione, exoptat, ut, ſalutari generis humani fato, uiuat Carolus VI, ut, compreſſis triumphatiſque barbaris, floreat Carolus VI, ut uirilis ubertate ſtirpis augeatur Carolus VI, et uirtutem fortunamque, una cum Heroo ſemine ac ſanguine, filiis poſteriſque, ſui quam ſimillimis, tranſdat

Quibus acclamantium uocibus, quibus congratulantium ſtudiis certaminibuſque, dum perſonant cuncta, dum aures omnium circunſonant, nos quidem Saxones committere non poſſumus, ut uel communis gaudii ſenſu careamus, uel eiuſdem uoluptatis, ex rebus tam fecundis perceptae, fructu ac magnitudine ulli genti cedamus. Proinde ueneratione, qua tua, Imperator omni gloria abundans, magnificentiſſime facta proſequuntur omnes boni, contendimus cum omnibus, Deoque immortali, cuius auſpicio pepuliſti hoſtes audacia exultantes ac perdomuiſti, maximas agimus, maximas habemus, merito gratias, magnoque pietatis ſtudio deinceps enitemur, ut pro ſalute tua, nobis multo cariſſima, et magnis perpetuiſque Domus Auguſtae incrementis, uota creberrima

Digitized by Google

quam religioſiſſime ſuſcipiamus. Vides, quantum tui colendi nobis exemplum praebeat Herus noſter ac Patriae Pater Clementiſſimus, Fridericus Auguſtus, qui ex utraque, quam, Sarmatiae Rex et Saxoniae Nouemuir, ſuſtinet, Regii excelſique loci perſona, arctiſſimis complurium generum uinculis, ac tota mente, tibi deuinctus eſt. Tuis enim triumphis perinde, ac ſuis, laetatur, atque hanc ſuae laetitiae uim, animo prorumpentem ac pectore, literis tibi nuntiiſque, ipſa etiam ſplendidiſſima legatione Flemmingii, Hephaeſtionis ſui, confirmat. Tuae praeterea fortunae memoriam omni honoris, hilaritatis, ſplendoris, genere concelebrat, eaque, tam egregia, uoluntate manifeſto declarat, in uenis medulliſque ſuis inſediſſe quiddam, quod aculeis occultis pungat. Haec enim uis eſt illius caritatis, auito ſtudio conceptae, aemulatione nepotum ſemper auctae, in poſteris adhuc gliſcentis, quam, nouit Princeps noſter, ſuos in Saxonia maiores genti ex Auſtriis Caeſareae priſca et inſigni fide praeſtitiſſe, quam, ab eis acceptam, et hereditate uelut relictam, ſumma cura complectitur ac fouet, qua toties ſe commoueri ſentit, quoties certior fit de te, ſecundiſque rebus tu-

is.

Digitized by Google

is. Vides, quantos uenerationi noſtrae ſtimulos admoueat Filius, tanto Patre dignus, Deliciae noſtrae, iuuentutis Princeps Regius, ſummae ſpei, in quam genitus atque excultus eſt, unus omnium maxime capax. Hic prius, quam de Germaniae finibus exeat, te, in urbe Francorum, ad uadum Moeni, Imperatorem rite conſalutatum, et auguſte ſancteque inauguratum, ueneratur. Poſtea tamen, quam, peragratis externarum gentium regnis, ex Italia in patriam, cuius grauiore iam deſiderio, diu abſens, tenebatur, omni feſtinatione remigrat, eum, Caeſar Auguſtiſſime, auctoritas aſpectus tui in medio curſu defigit, ut Vindobonae ſubſiſtat, iterque ſupprimat. Tempori, quo tui coram colendi facultatem habet, nihil, quod in longinquis terrarum oris conſpexerit, audierit, coluerit, admiratus ſit, ulla ratione comparandum, iudicat, ac, tantae maieſtatis, tantorumque decorum, ſplendore praeſtrictus, uirtutes tuas, in tam illuſtri poſitas monimento, propius contueri, ab iis, quod imitetur, capere, ad eas agendi rationem dirigere, glorioſum ſibi optatiſſimumque ducit. Dum in contemplatione uirtutum tuarum mentem figit omnem, dum in ore uultuque tuo uenerabundus acquieſcit, tuiſ-

Digitized by Google

que circumfusus amplexibus, paterno recipi sinu fouerique sibi uidetur, tuorum certe triumphorum gratulationi nullo cultus obseruantissimi, nullo laetitiae singularis, deest genere, nec secius, quam eius Progenitor Regius, tecum gaudio triumphat. His, Saxonia, Principum suorum exemplis permota, consurgit, et, uoluptate gestiens, ad tuique properans cultum, me, pari excitatum obsequii religione et accensum, adducit secum atque impellit, ut, aliorum pietati me iungens, audeam in tuum, Augustorum Clementissime, conspectum uenire. Itaque da ueniam, ut, tuis ego genibus aduolutus, uictorias fortunasque tuas, cunctis meliorum partium Christianis optatissimas, summa prosequar reuerentia, ut, pietatem, animo conceptam, subiectissime professus, tuam pacatae Barbariae gloriam publice colam, ut, Deo, Imperii tui auctori custodique, et uota publica et gaudia commendare conatus, te, saluum et incolumem, rebus ubique secundissimis florere, tanta precer animi religione, quanta possim maxima

Ecce uero, Caesar terris admirabilis, coelo commendatissime, nouum, idemque spectatissimum,

Digitized by Google

mum, coeleſtis praeſidii ſpecimen, quo et terra protegeris et mari. Vix dum hoſtes, ad orientem ſolem, in priſtinum pacis modum redigis, cum, ex occidente, nouus atque ferox hoſtis proficiſcitur, occupatum Siciliam, ut ex ea Neapolitano immineat regno. Sed, nauibus, quas adduxerat, uel captis, uel depreſſis, uel incenſis, uel fugatis, acceptus male, tanta reprimitur celeritate, uti claſſis Britannica, foedere tibi iuncta, tuamque defenſura cauſſam, ueniſſe, uidiſſe, uiciſſe, merito dicatur. Ea re feliciter adminiſtrata, aduerſarii, grauiter perturbati, trepidant, ciues, amici, foederati, omnibus ex partibus et oris terrarum diſiunctiſſimis, ſucclamant plauſuſque dant. In primis autem ſuſpicioſiſſimo tempore conſtabilitur Italiae quies, eius ſolicitandae conſilium, una cum facultate ac ſpe conficiendi negotii, diſturbatur, aliarum, maximarumque, rerum ſtatus, temporum periculis expeditus et ſuſpicionibus, uertit in melius atque firmatur. Hoſtis autem, collecto deinceps animo, terreſtri ornatiſſimoque exercitu confiſus, aliud rei gerendae tempus quaerit, illudque nanciſcitur, ut, multitudine paucitas opprimi, Sicilia terrore contineri, laborantibus aegre ſubueniri, poſſit. Itaque arcem Meſſanae, operibus clauſam,

ſam, diu ſumma ui oppugnat, ad extremum tamen eam, non impreſſione facta, ſed pactione, capit. Plus enim negotii reperit in ea re, quam arbitratus erat, grauibuſque militarium laborum, caſtrenſium periculorum, obſidionalium malorum, experimentis confectus, relangueſcit. Vulneribus etiam feſſus, ſtragibus exhauſtus, diſcit, quantum ſit, uirtutem conſtantiamque Caeſariani militis experiri. Hac mente editas moenium ruinas, muros ſolo aequatos, oppugnati propugnaculi relicta uix ueſtigia, conſpicatus, miratur, tantis propugnatores animis efferri potuiſſe, ut, ſine firmo defenſionis praeſidio, impetum ingentis molis ac multitudinis excipiendum, putarint. Quonam autem hoſtis animo eſt, cum, exercitu, magnam partem, abſumpto, uidet, Mylas a tuis tam paucis, contra tam multos, tam fortiter, tam diu, quod demirantur omnes, defendi, cum reſciſcit, ab iis ſibi nihil earum, quas fieri diſcupiat, induciarum concedi. Quid ſperat idem, cum audit, legiones tot ueteranas, barbariſque nuper domitis, triumphales, ex compluribus locis excitas, magnis per Italiam itineribus, bellum in Sicilia compoſitum, accelerare, claſſem etiam abs te, in mari interiore, comparari, cum tot millia, nouis commeatibus tranſportata,

Digitized by Google

portata, ſpectat. Quid denique non timet, cum intelligit, expeti foedus tuum, eoque tecum certatim icto, ſibi a potentiſſimis Europae Regibus bellum indici. Erit, ut auguramur, erit, ſicut optamus, illud tempus, cum uideant hoſtes, facilius aliena rapi, quam retineri, cum animaduertant, ex Sicilia, ex ipſa quoque Sardinia, decedendum eſſe ſibi, cum deputent in lucro, ſi, aut data ſibi demigrandi uenia, aut fugati etiam, aequiores abs te pacis conditiones accipere poſſint

Quae quidem ſicuti nos ſperamus, ſic ea, de quibus diximus, et alia, nihilo minora, fortunae tuae, Imperator feliciſſime, uel adimenta, uel ornamenta, cum reputamus nobiſcum, et, quoad cogitando poſſumus conſequi, conſideramus, cauſſis certe, non alte repetitis, ſed in ipſos incurrentibus oculos, edocemur, ſi uere praedicauerint ſapientes ueteres, ſuis cuique moribus fingi fortunam, nae illi tuae, tam excellenti, tam dignae gradu celſiſſimo, uirtuti res quaſque florentiſſimas deeſſe non poſſe. Quod ſi de Caeſare ſanctiſſimo ſanctius eſt loquendum, idem tibi, quod Regum, poſt hominum memoriam, ſapientiſſimo, euenit. Cum enim a

Digitized by Google

Deo expetas, non extentum uitae ſpatium, non opes opibus exaggeratas, non euerſionem internecionemque inimicorum, non cetera, quae ambitio libidoque dominandi, uel perfruendae uoluptatis cupiditas, ſuaſerint, ſed mentem ſapientia imbutam, tum uero, ob eam conſultiſſimi temperantiam animi, ad illam ſapientiſſimae mentis praeſtantiam tantus facultatum, tantus gloriae, adiicitur cumulus, ut illo, quo emines, omnis excellentiae faſtigio neminem, ex aetate tua, neminem, ex omni maiorum memoria, habeas parem. Atque hanc quidem ſapientiam, tibi diuino munere tributam, quis contempletur ſatis, quis eam ſatis admiretur. Cuius incunabula ſi quaerimus, non potes nobis non uideri, Caeſar, in uenerationem illius potiſſimum Sapientiae, omni cogitatione ac tota mente, conuerſus, quae rebus, ex nihilo condendis, affuit, quae res conditas gubernat, per quam, ut ipſa loquitur apud Salomonem, regnant reges, legumque conditores iura deſcribunt, per quam principes imperant, et potentes iuſtitia funguntur. Ab huius enim Sapientiae Aeternae fontibus cum aliae dotes Regiae profluunt, tum maxime reuerentia Numinis, iuſtitia ſimul, prudentia, fortitudo, quibus certe uir-

Digitized by Google

uirtutibus, inter se iunctis, et ipse excellis, et uera, nec dubia, magnis populorum rectoribus felicitas praecipue conciliatur

Ac diuinum quidem Numen quantum reuereare, secundis aduersisque rebus, quibus temperatur humanae fortunae conditio, testaris, sic, ut cunctis palam facias, uti te tuorum consuetudine maiorum, qua constituta sit ipsa Gentis tuae fortuna. Is enim Rodolphus regnum suum religione fundauit, cui nihilo magis uos Imperii dignitatem, in Domum uestram primum illatam, debetis, quam ipsum se debet Imperium, ab interitu illius prudentia retractum, denuoque conditum. Cum enim, Aquisgrani ritu festo consecrandus, insignia, quibus fidei iusiurandum darent Proceres, non haberet, ex aris arrepta Seruatoris, e cruce pendentis, effigie, Hoc, inquit, signum, quo salutis recuperatae monemur, est regni mei sceptrum. Hoc ego in omnes, mihi imperioque infidos, utar. Sic eos, qui tergiuersari uiderentur, horrore quodam sacro perfudit, sacramentoque adactos, sibi deuinxit. Itaque Princeps eximia uirtute, uti memoriam bene gestae rei seruaret, uti, quem regni insperati habuisset auctorem, eundem regni ultro delati custodem propugna-

Digitized by Google

toremque coleret, ſacram Crucis imaginem circumferre ſecum ſolitus eſt. Eandem Crucem, ſignis militaribus intextam, praetulit, ut declararet, ſe, Chriſto duce, et dimicare ſemper conſueſſe et uincere, more Conſtantini Magni. Eandem Crucem ueſti candidae, quam, uexillis inſertam, nulla integritatis conſcientia, oſtentabat Ottocarus, Boiohemi tyrannus, ſuis in ſignis oppoſuit, tam feliciter, ut non puram modo togam, qua gloriabatur rex impurus, hoſtili cruore reſpergeret, ſed ipſum etiam euerteret, copiis multo paucioribus deuictum, atque interfectum. Quae res, cum diuinis potius opibus, quam humanis, adminiſtrata ſit, pietatem uictoris, euentus boni ſpe felicem, demonſtrat. Hic autem, die hebdomadis ſexto, qui Chriſtianis, ſalutari morientis Chriſti perpeſſione ac memoria, ſanctus eſt, cum hoſte conflixit, eodem die ſolitus tanto libentius ac fortius pugnare, quanto magis coeleſti Seruatoris auxilio confiſus eſt. Vt plurima, et nobiliſſima, pietatis Auſtriae teſtimonia praeteream, Ferdinandus I, ſi quid ex improuiſo fieret, dicere conſueuit, Accidit in puncto, quod non ſperatur in anno. Cum autem quidam ex amicis ſubiiceret, Perditur in puncto, quod non reparatur

in

Digitized by Google

in anno, tum Caeſar ſancti praeſentiſque animi, Iſti quidem, inquit, incommodo piae preces, ſapienſque conſilium, medentur. Pari mentis, in Deum intentae, ſenſu ductus, ſic inſtruis te, Caeſar auitae laudis retinentiſſime, atque tractas, rerum uti agendarum nulla, niſi a precationibus Dei immortalis, primordia capias, nihil, arbitratus, rite, nihil prouidenter, ab hominibus ſine Diuini Numinis ope, conſilio, honore, ſuſcipi. Omnem autem uitae conſuetudinem ita inſtituis, ut, in procuratione tanti Imperii, conflictatus cum rerum temporumque difficultatibus, quae humano explicari ingenio non poſſint, a Summo rerum Arbitro praeſidium fortunae petas, ut huic te conſiliorum duci, rectori, moderatori, dedas totumque tradas, ut, liberatus incommodorum periculis, coeleſti te cura ſeruatum eſſe, gratus memorque confitearis, et, quae ceciderint proſpere, haec accepta Diuinae referas Benignitati, haec eidem tutanda relinquas et amplificanda. Sic te gerendo, in officio ſanctae mentis nihil huius praetermittis, quod eximium fuit in Carolo Quinto. Hic, Vormatiae, apud Vangiones, aliquando commoratus, cum de regno Nauarrae a Gallis occupato, de Belgii uaſtatione, de Hiſpaniae tumultibus,

Digitized by Google

nuntios, crebros triſteſque, accepiſſet, ſibi a bellis ſimul inteſtinis, a Barbaris quoque Taurunum oppugnaturis, timeret, magnis ideo periculis undique circumſeſſus, ad iuſtitiam cauſſae, Deumque, iuſti uindicem, ſe recepit, ac preces, quarum formulam ipſe conſcripſit, pluribus religioſiſque uerbis, quotidie, remotis arbitris, clauſis foribus, recitauit. Nec domi modo, ſed etiam militiae, adeo magna Numen religione coluit, ut familiares eius, precibus tam aſſiduis, tam longis etiam, adducti, Carolum, qui natura taciturnus eſſe ſoleret, ſaepius, dicerent, cum Deo, quam cum hominibus, loqui. Idem uero ante Carolum, de ipſo quoque Alberto II, Imperatore, meminimus, dici. Hoc agis ipſe ſapientia curaque ſumma. Loqueris enim, ubi res popoſcerit, cum hominibus, capis, pro ſapientia tua, cum bonis ſapientibuſque conſilium, ſed, ubi cognoris, humani rem arbitrii, humanae opis, non eſſe, cum Deo mauis, quam cum hominibus, loqui, cauſſaque fretus aequa, nihil uereris, ne ſubſidii ſpe labaris. Tali modo praeſtas id, quod ſibi maximo fuiſſe adiumento, praedicauit Ferdinandus II. Iam pridem me, inquit, curae confeciſſent ac moleſtiae, in ſepulchro quoque condidiſſent, niſi me, meaque omnia, unius

Digitized by Google

unius Dei prouidentiae commiſiſſem. Hic idem, cum aliquando, tota mente diuinis in commentariis defixus, Regum legiſſet hiſtoriam, interuenienti forte ei, qui erat a confeſſionibus ſacris, Video, inquit, his de regibus paucos Deo probari, pleroſque multis probris contaminari. Quin ex iis etiam, ſubiicit ſacerdos, ipſis, qui laudantur, non nulli, rebus bene geſtis elati, ſuperbia conciderunt, monimentoque ſunt, quantum periculi regibus piis immineat ab arrogantia, quanto ſit eiſdem plus in portu, quam in alto, ſalua naui, quam fracta, timendum. Ad haec Caeſar, Spero, inquit, fore, ut huius diſcriminis omen a me Deus auertat. Equidem, ut comperi, ſecundi quid accidiſſe, flexis continuo genibus, Numini gratias ago, eius id opus eſſe, profiteor, non meum. Hoc affectus animo, in hanc adductus conſuetudinem, arbitrio diuino te tuaque permittis omnia, quantoque plus ſpei ponis in auſpicio coeleſti, tanto ſanctius uim eius atque poteſtatem colis. At uero nihil tibi inſolenter ullo arrogas tempore, et, quae feliciter euenerint, non aliunde arbitraris profecta, quam a Deo. Ab hoc enim ordiris cuncta, ad hunc refers cuncta, huic te, ſupplex ipſe, cum ſubiicis, ſuperior omnibus euadis.

Pror-

Digitized by Google

Prorſus enim efficis, ſpectandumque promis, Princeps ſacrae, quam induiſti, perſonae perpetuo memor, id, quod, de ſe literis proditum, reliquit Iuſtinianus, Imperator, dignum profecto, quod in omnium Principum mentibus altiſſime defigatur. Deo, inquit, auctore, noſtrum gubernante Imperium, quod nobis a coeleſti maieſtate traditum eſt, et bella feliciter peragimus, et pacem decoramus, et ſtatum reipublicae ſuſtentamus, et ita noſtros animos ad Dei omnipotentis erigimus adiutorium, ut neque armis confidamus, neque noſtris militibus, neque bellorum ducibus, uel noſtro ingenio, ſed omnem ſpem ad ſolam referamus ſummae prouidentiam Trinitatis, unde et mundi totius elementa proceſſerunt, et eorum diſpoſitio in orbem terrarum producta eſt. Hoc illud eſt, quod in paterno pioque ſinu Diui Leopoldi, puerili adhuc aetate, didiciſti, quod, factus robuſtior, eius tritum ſermonibus, eius comprobatum moribus, in domeſtica conſuetudine, accepiſti, quod ipſe Pater, de ſuo depromptum ſenſu, ſuis uerbis expreſſum, inciſis in marmore literis, extare, uoluit. Monimentum intelligo operis magnificentiſſimi, quod, Sacroſanctae Triadi, pro auerruncato, per ſummam benignitatem, peſti-

lentiae

Digitized by Google

lentiae malo, in ſempiternam grati animi memoriam, in loco Vindobonae celeberrimo, excitatum eſt. Hoc ipſum exhibet Imperatorem Maximum, ſummiſſis ad puluinar genibus, iacentem, et, quae pia memorique concepit mente, uerbis, grati demiſſique plenis obſequii, pronuntiantem. Non enim Leopoldus magnitudinem nominis ſui, non opes atque uictorias, quae praeſentium poſterorumque temporum fama celebrentur, oſtentat. Inter geminas potius ſanctimoniae teſſeras, quas hinc Deo Patri Creatori, illinc Deo Filio Redemptori, ſignat, corpore proſtrato, humilem ſeruum tuum ſe profitetur, gratias potius agit, quas poteſt, maximas, praeſens potius monimentum demiſſiſſime conſecrat, tibi, Regi ſaeculorum immortali, uni in eſſentia, ſed trino in perſonis, Deo infinite bono, aeterno et immenſo, cuius dexterae omnia ſint poſſibilia, cuius ſapientiae nihil ſit abſconditum, cuius prouidentia in ſua diſpoſitione non fallatur, cuius maieſtate impleatur uniuerſum, cuius miſericordia ſuper omnia opera, tibi, inquam, ſanctiſſimae et indiuiduae Trinitati, conſecrat ſe atque coniugem, liberos, domumque ſuam, populos, exercitus, ſuos, regna ac prouincias, ut continua miſericordiae protectione guber-

Digitized by Google

nes, cuſtodias, defendas, te ſupplex orat. Haec Leopoldus ſcribit in marmore, quae totidem uerbis eius excepta, tradimus poſteris, ut hi ſanctitatem Principis noſcant, lingua promptam. Siſte mihi gradum, uiator, quiſquis, attentus, et obſtupefactus ſaepe, marmorum titulorumque, pyramidum, obeliſcorum, coloſſorum, arcuum triumphalium,tot equeſtrium ſtatuarum,tot operum, quae uenditantur aere perenniora, ſpectator, Orbem terrae obiiſti, morare non nihil. Inſigne hoc atque auguſtum Auguſtae modeſtiae monimentum contemplatus, armatum laureatumque ſpecta Caeſarem, ſed, oculis, uti Conſtantinum M. exprimunt Numi, in coelum elatis, ſtratum, Numinique ſupplicantem. Proiectam intuere ſceptrorum maieſtatem, et, ſicut Caeſar, maieſtatem Dei bonitatemque ſupplici-ter ueneratus, dat Deo, quod eſt Dei, ſic tu, hoſpes, Caeſari Leopoldo da, quod eſt Caeſaris Leopoldi. Veritate coactus, praedica, in pluribus externorum locorum monimentis, quae magnitudinem triumphoſque iactent, plurimum te ſplendoris, nec minus ſuperbiae, plus autem Regiae modeſtiae, plus erga Numinis benignitatem reuerentiae, nuſquam uidiſſe. Agnoſcimus, Caeſar Maxime, agnoſcimus, in hac ipſa Patris

Digitized by Google

Patris Maximi, Diuinae Maieſtati ſe ſuaque ſubiicientis omnia, pietate, quod, pro ſummae uirtutis argumento, reuereamur. Sed hoc illud eſt, quo ſimiliter ipſe uere magnus exiſtis, cum, magnitudinis tuae oblitus, quanto altius inter homines emines, tanto te, religioſa cogitatione depreſſum infra Numen abiectumque, ſummiſſius ubique geris

Ab hoc Dei amore, cuius exemplum, ab immortali Patre relictum, aemularis, proficiſcitur amor ille, quo, Caeſar mitiſſime, genus humanum complecteris, quo placatus ſemper ac delinitus, abhorres a crudelitate, quo mortalibus, infirmitate humana, non prauitate, lapſis, occurris. Itaque, quod in magna fortuna diuinum eſt, ſed deſideratum ſaepe, hoc, admirabili bonitate tua expreſſum, in perſona uiui Principis demonſtras, Stat in conſpectu clementia, humanis erroribus parata. Hac ductus humanitate, aequitati iuncta, ſupplices non repellis, calamitoſos non deſpicis, libertatis auitae iura ſancis, noua libenter beneficia confers, et ante conceſſa ſeruas, elidis diſſenſionum ſemina, Procerum ciuiumque animos inter ſe caritate mutua deuincis, et, ſecuritate omnium tuae quieti praelata, id contendis acerrime, uti, benigne faciendo, ad Numen quam proxime accedas. Eſt autem haec Gentis Au-

Digitized by Google

ſtriae in ſtudio benignitatis gloria, non ſimulatis aſſentationum blanditiis ficta, ſed multis inueterata aetatibus, qua nihil ciuibus optabilius, nihil omnibus bonis iucundius, eſſe poteſt. Auſtria enim pios beneficoſque Principes et edit in lucem et alit, nullos tyrannos neque parit, nec educat, neque probat ulla ratione. Habet enim in memoria illam Rodolphi, Imperatoris, ſententiam, diuinam certe, poſteriſque ac ſucceſſoribus, cum tantis opibus, proditam ſemper ac ſtudioſe cultam, in primiſque Ferdinando I familiarem. Rodolphus enim, aequiſſimi ſane ac moderatiſſimi Princeps ingenii, Seuerum, inquit, et immitem me aliquando fuiſſe, poenituit, lenem uero ac placabilem, nunquam. Hic idem, quo facilior, humanior, mitior, fuit nemo, cum, tenuiores, animaduerteret, aliquos, ad ſe qui uellent accedere, a ſatellitibus ſummoueri, non ſine ſtomacho, Per Deum, inquit, ſinite, homines ad me uenire. Non enim ideo ad imperium uocatus ſum, ut in arcula includar. Quod dicere pari modo cum ſoleret Ferdinandus III, Si non uacat, adiecit, miſerorum cauſſas audire, nolo equidem imperare. Is etiam, quem ſupra nominauimus, Ferdinandus primus, acriter obiurgans hominem, qui feminam pauperculam aditu

Digitized by Google

ditu colloquioque ſuo prohiberet, Si nos, inquit, excludimus inopes a nobis, quid nobis eueniet ipſis ad Dei tribunal. Non diſſimili mente Fridericus IIII, Caeſar, dicere ſolitus eſt. Qui duri ſint principes atque immites, his eſſe mortem nimis extimeſcendam, cum, quales ſeſe, dum uixerint, praeſtiterint aliis, tales, ubi moriantur, in ſe iudices inuenturi ſint. Idem, Deum, inquit, ego comprecans, miſericordiam, non iuſtitiam, peto. Cur igitur me ciuibus clementem non exhibeam, cur non miſericordem. Quin etiam hoc tuae ſtirpi, Caeſar, datum eſt fato, ut magnitudo ueſtra ducat originem, capiat incrementa, ab ſalute, miſeris data. Eum enim, quem laudauimus, Rodolphum, auguſti generis ueſtri procreatorem, afflictae res Germaniae, ac propemodum deſperatae, faciunt Imperatorem. Maximilianum I, admodum adoleſcentem, Carolo ad Nanceium caeſo, Belgae uocant in medium diſcrimen rerum ſuarum. Vt remotiora praeteream, D. Pater tuus, D. Frater tuus, quantis in pericula imperii, in calamitates Principum, et quoſlibet miſeros, beneficiis cogniti ſunt. Quis autem ignorat, quo ipſe ſtudio Europae libertati, proximo bello periclitanti, ſuccurreris, quo nuper Venetis, gra-

Digitized by Google

uiter laborantibus, ſubueneris, ut non Italiam modo Germaniamque, ſed Orbem etiam Chriſtianum, Barbarorum metu liberaueris. Itaque nihil inter homines maius eſt meliuſque, quam gens tua, cum ea ſit potentia, ut poſſit, ea ſimul bonitate, ut uelit, opem ferre, quibus poſſit. Sed, eandem, tanto genere dignam, opitulandi conſuetudinem, ualde ſim in re minime obſcura loquax, ſi pluribus exponere parem. Quod ſi quis nouum deſideret eius rei lumen, hunc ego ad Leopoldum Magnum delegabo, ut audiat ex eo morem, non ipſius modo, ſed omnis etiam gentis Auſtriacae. Hic enim, ad homines demerendos non tam factus, quam natus, cum ſumma humanitate, ac mira eſſet comitate, ut nemo tam humilis eſſet, cui poteſtatem non faceret adeundi, monitus ab amicis, quam periculoſum ſit, ſui, remotis arbitris, conueniendi ueniam dare, Domum, inquit, Auſtriam ſeruat beneficentia, nec prius hanc ego quam animam, poſuero, ut mihi rurſus a Deo benigne fiat. Idem Caeſar mirificae benignitatis quid agit, quid praecipit, quid prudentiae Regiae commendat, cum Te, Imperator Optime, iure in te ſuo publice tranſlato, Regem auſpicato creatum, in Hiſpanias, auita repetitum regna, e ſinu

ſinu complexuque ſuo dimittit, collacrimans, tuiſque rebus bene precans. Per omnia, ut relatum legimus, maiorum inſtituta, per ſempiternam eorum laudem, te obteſtatur, uti, rerum, quae te expectent, potitus, rempublicam, memor Auſtriae clementiae, memor gentilitiae manſuetudinis, memor domeſticae pietatis, adminiſtres, et uberrima uoluptate horum tantorum bonorum ciues omnes compleas, parendi lege tibi deuinctos. Quod quidem te facturum, ut ſancte tum promittis, ſic idem deinde in Hiſpania, idem in Germania, idem in toto Imperio ubique, praeſtas. Geris enim animum, ad humanitatem generis tui compoſitum, ob eamque cauſſam ad uoluntates omnium conciliandas tam aptum, uti, conſpirante in te omnium bonorum amore, non minus, quam Titus ille, quam ille, ex maioribus tuis, Philippus I, Rex Hiſpaniarum, Generis Humani Deliciae uociteris. Itaque nullum maximae felicitatis genus eſt, quod imperii tui clementiae, non poſſimus, quod non debeamus etiam, ominari, ſecundum illud, ore coeleſti promptum, Beati mites, quia terram poſſidebunt. Quae quidem manſuetudo eo praeſtantior eſt, quod non inani gloriae, ſed honori diuino, ſeruit, obſequioque ſuo ſtudi-

um

Digitized by Google

um oſtendit, et Numinis colendi, et homines amandi. Haec animi tui ſanctitas, quae in adoleſcentulo iam eluxit, uim paternae caritatis, cum incredibili quodam gaudio, auxit, et, inſignibus rebus declarata, indolis excelſae, maximarumque uirtutum, ſpem clarius oſtendit. Digna igitur fuit, quae literis, ab ipſo Patre Maximo ad te exaratis, omni poſteritatis memoriae commendaretur. Sic autem Pater, tui, ſicut ipſe loquitur, amantiſſimus, in hac epiſtola, Latine ſcripta, tecum agit, ut magna te iudicet uirtute praeditum, qui et dolores morbi ſuperes animi conſtantia, et hanc religione fulcias, Deo te, in aduerſis, dedens, Dei placandi curam ſuſcipiens, eiuſque auxilio te ſuſtentans. Chare Carole, a Praefecto tuo, Principe a Lichtenſtein, libenter ſane intelligo, te, pro ſtatu tui morbi, ſat bene ualere, et in omnibus patientem et obedientem eſſe, quod multum iuuabit, ut, hoc morbo ſuperato, moleſtias, quas nunc patienter perfers, uariis recreationibus recompenſare poſſis. Maiori uero ſolatio mihi erat, ab eodem percipere, quod in elapſa nocte ſacra natiuitatis Domini tuam confeſſionem et communionem tam deuote peregeris. Quod ſane in me maximam ſpem excitat, te ab hoc, moleſto

Digitized by Google

ſto ſane, morbo breui liberatum iri, et uera poſtea fruiturum ualetudine, quod tibi a recens nato Ieſulo, cui te totum commendo, affectu paterno, cordicitus, apprecor. Haec Magnus ipſe Leopoldus, ſuis uerbis, pie amanterque factis. Ex eis autem cognoſcitur egregium, quoque excelſius, eo rarius, Patris Filiique Pii ſpecimen, quod omnis poſteritas intueatur

Quanta ſeueritate ius legeſque condis, tanta conſeruas, in eaque re non exiguum potentiae tuae momentum atque firmamentum ponis, arbitratus id, quod non tam Iuſtinianus Imperator, quam reipublicae tractandae ratio, praecipit, Imperatoriam Maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus armatam, eſſe omnino debere. Proinde, ſumma res aequitate conſtituis, pari tueris conſtitutas, digna recte factis praemia, debitas flagitiis poenas, proponis. Legum ſimilis, qualem eſſe iuſtitiae aſſertorem, conuenit, cum omnibus, qui ad te, iuſtitiae uelut aram, confugiunt, una ſemper loqueris atque eadem uoce. Ius, nulla conditionis, nulla fortunae, nulla gratiae, diſcretum ratione, ſed aequabili iudicio deſcriptum, reddis, ut, quod, poſteris de Fabricio

Digitized by Google

narratum, ſola hiſtoricorum fide, credimus, hoc, oculis uſurpatum, rerum documentis probatum, prudentum iudiciis ſtabilitum, ſciamus, ſolem facilius a curſu ſuo, quam Carolum Sextum a iuſtitia, dimoueri. Praeterquam enim, quod incredibile recti ſtudium tibi natura tribuit, habes etiam in oculis, habes in memoria, maiorum facta. De quibus Rodolpho illi Magno ſummum in terris principatum conciliat ante omnia, ut loquuntur annales, recti uerique conſtans, et perpetuus, amor, et tenor. Maximilianus Primus, iuſti, ſi quiſquam, tenax, quotieſcunque locum, ſontium ſuppliciis deſtinatum, praeterit, retecto capite, uenerantis geſtu, Salue, inquit, ſancta iuſtitia. Ferdinandus Primus, iuſtitiae conſeruandae ſtudio, nihil duxit antiquius, dicere ſolitus, Fiat iuſtitia et pereat mundus. Ferdinandus autem Tertius, triennio ante, quam decederet, tantam ſeſe, pronuntiauit, iuſtitiae operam dediſſe, ut neſciat, quid religioſiſſimus quiſque conſcientiae arbiter eis in negotiis, quibus de aequitate ageretur, uel in ſe poſſet reprehendere, uel accuratius poſtulare. Ceteri, quos enarrare longum eſt, exemplis monitiſque teſtati ſunt, retinendum eadem iuſtitia imperium, qua par-

tum

Digitized by Google

tum ſit. Sic, agendo iuſte, agis, quod, in maxima poteſtate, praeclariſſimum eſt, ac diuinum potius. Clementia tamen iuſtitiae rigorem temperas, et, facilem, atque aequali iure prouidum, te praebens, id efficis, quod fieri, uolebat Carolus V. Nam dicere, ut accepimus, ſolitus eſt, Vti ſol, in ſummo faſtigio, tardiſſime moueatur, neque aliter inopi ſplendeat, quam locupleti, ſic, Auſtriacos, oportere, Principes, qui altiſſimum Imperii gradum teneant, non uti conſilio praecipiti, ſed cunctanter agere, et circumſpecte, ut eandem iuſtitiae et clementiae lucem ſummis atque infimis impertiant. Quo ſtudioſius iuris calumniam comprimis, productas litium ſeries interrumpis, fidem reuocas in forum, largitiones corruptelaſque expellis, nihilque, uenali ſententia, peius odiſti. Magiſtratibus auctoritatem, iudiciis dignitatem, ciuibus aequi bonique praeſidium, das. Honorari recta, puniri praua, iubes, ambitum prenſationemque cohibes, merentibus honorem paras, eaque cuncta ſeueritate conſtituis, ut aequitate gratia, ambitio uirtute, ſuperetur. Hoc affectus animo, hac uirtute praeditus, eſſe ille cum debeat, cuius principatu reſpublica floreat, uidemus, quid Tiberio ſuo,

Digitized by Google

longe deterrimo, assentatores foediſſimi affingant. Talis autem, qualis dicitur iſte Caesar, at minime fuit, cum sine cuiusquam sis adulatione, non potes ideo ab omnibus bonis non efferri summis laudibus, eoque sanctius coli. Proinde, quo rarius id, quod optimo Principi tribuimus, omni fuit aetate, eo magis gratulandum est saeculo noſtro, quod, tua, Imperator Iuſtiſſime, cura uigilantiaque, uerum nanciscitur optimi status auctorem

Cum nullum turpitudini locum relinquas, intelligunt omnes, te nihilo minus, quam Iulium Caesarem, uelle, ut tui non solum crimine, sed etiam suspicione criminis, careant. Quis igitur tam ferus est atque demens, ut eum notio animaduersioque tua, quam prouocare sit periculosum, in officio non contineat. Alios potius amor, quo iustos prosequeris ac bonos, tibi deuincit, eosque in fide recti iudicii confirmat. Nulla tamen res incorrupte iudicandi aemulationem magis alit, nulla uehementius animos ad honeste atque innocenter agendum impellit, quam ipsa innocentia uitae actionumque tuarum. Ea tantum ualet, ut homines male agere erubescant, in Regis Imperatorisque sui, uelut unici exempli, mores formati, non minus,

Digitized by Google

minus, quam Romani quondam in Numae. Haec ſancte integreque uiuendi ratio tanti maioribus tuis fuit, ut Albertus II, gener Sigiſmundi Caeſaris atque ſucceſſor, a ſocero diſſentiret. Cum enim ſocer, Principi, diceret, opus eſſe fida cuſtodia, ut res aduerſae excludantur, tum gener, Oportere Principes, oſtendit, amore ciuium tutos eſſe, atque hunc ſola Principum innocentia praeſtari. Pari integritatis ſtudio Caeſar idem Albertus, eorum mores, quorum conſiliis uti ſolebat, ita componere ſolitus eſt ac regere, ut, fide eorum et aequitate, magnae fierent acceſſiones dignitatis ac fortunae, et ipſe, ciuium ſuorum felicitate laetus, uere praedicaret, Amicos eſſe optimam uitae poſſeſſionem. Hos, Auguſte, maiores tuos, quibus maius nihil meliuſque fuit, aemulatus, recte facere ciues tuos, ipſe, Princeps optimus, faciendo doces. Omnes enim, ſplendidis muneribus praefectos, quos Reipublicae, diuerſis in partibus regundae, adiutores ſumis, ad labores ſuſcipiendos atque perferendos tuapte acuis induſtria mirabilique cura. Onerum, quae tibi ſumma rerum imponit, tanta laboras mole, ut ei, uiribus humanis ſuſtinendae, ne multorum quidem ceruices ſufficere poſſint. Habes, ad

Digitized by Google

omne paratos obsequium, de tuis, uiros prudentissimos, fidelissimos, diligentissimos, quorum oculis, ore, manu, omni denique opera, uti possis, ubi uelis, et quoties. Ab eis tamen ut melius atque prouidentius res geratur, eorum spectator ac testis esse iis, hortator etiam, ac praedicator strenue praeclareque factorum. Itaque das operam, ut singulorum merita perspicias, quid laborent singuli, quid ualeant, cognoscas, et, quos uirtute, comperis, altius eniti, hos uocas ad te, probatosque tibi, praemiis ornas, maioribus rebus adhibes, honoribus auges, ampliorique fortuna. Rector iustitiae aequitatisque maximus, libellos supplices non accipis modo, sed legis etiam atque expendis, nec moram interponis, quin suum cuique tribuas, et, quod par aequumque duxeris, protinus fieri, iubeas. Venis in senatum, ubi grauissima totius Imperii negotia aguntur, et belli pacisque ius consultationibus arduis exercetur. Audis sententias, libere dictas, quid dubites, ostendis, quid lucis egeat, summones, nec temere, si res sinat, decernis, nisi spatio ad deliberandum sumpto. Publicorum, summorumque, consiliorum, iudiciorum, curiarum, collegiorum, acta, commentarios, tabulas, requiris,

Digitized by Google

ris, inſpicis, atque peruoluis. Ex eis de grauioribus controuerſiis cognoſcis ipſe et ſtatuis, cum iis ſenatuſconſulta prudentumque reſponſa confers, ex iis rationes, ab aliis confectas, ſubducis nauiter et inis. Quae poſſint emendari, cogitas, ubi maturato ſit opus, pro re nata, iudicas, ſed, exemplo Maximiliani I, niſi lectum probeque cognitum, ſubnotas nihil. Haec talia antelucano potiſſimum tempore agis prius, quam alia Imperii negotia capeſſas. Nemo Vindobonae tam hoſpes eſt atque peregrinus, qui neſciat, has lucubrationes tuas tantum quietis nocturnae tibi abſtuliſſe, ut medici tui neceſſitate officii te coacti ſint obſecrare, ne quo labore nimio ualetudini tuae obſis, priuans te ſomno, quem natura poſtulet. Fregiſſet alios, quamlibet acres, haec animi contentio, ſed ea tibi nihil languoris afferre potuit, quin uigens atque integer ad occupationes publicas Imperii deſcenderes, quae prudentiam, auctoritatem, ſplendoremque tuum, poſtularent. Facit enim inſignis alacritas animi, ingenii mira celeritas, inuſitata rerum ſcientia, ut, otioſis actu ſimillimus, ſine faſtidio, nullo negotio, peragas, quod aliis, uſu quamlibet peritis, difficillimum moleſtiſſimumque foret. Hoc laboris gene-

Digitized by Google

generoſi ſtudium in maximis animis, ſplendidiſſimiſque ingeniis, innaſcitur, quorum ut magnus eſt ad gloriam impetus, ita cupiditas non minor, pulchra eximiaque opera edendi. Sic Alexander Magnus, adhuc ſobrius, cum nihil ſibi in agendo differendum putaret, nihil magis regium duxit, quam ſuſcipere labores, praeſertim arduos. Hos appetiit etiam tam cupide, ut ſua quadam arte ſopori reſiſteret, et, dormientibus aliis, uigilaret, experrectis, plura iam maioraque perfeciſſet. Auguſtus autem, quanquam interdiu tot ſuſtinuit tantaque negotia, quibus Imperii ſalus procuratur, a coena tamen in lucubratoriam ſeſe recipiens lecticulam, in ea, donec reſidua diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte, confeciſſet, ad multam noctem permanſit. Carolus V, in conſiliis capiendis, non modo ſententias amicorum exquirit, ſed dictas etiam ipſis rebus ponderat, hiſque in utramque partem conſideratis, noctu plerunque, quid fieri uelit, tabulis conſignat, eaſque Granuellano, et Atrebatenſi, tradit, ut imperata fiant. Vt nauum, ut laborioſum, in tuendis ciuium commodis, ſe praebet Ferdinandus Secundus, iſtius Macedonis, Demetrii, diſſimillimus, qui libellos ſupplices, magna copia, hilari uultu, in

uia

Digitized by Google

uia a ciuibus acceptos, neque lectos, cum ad medium Axii pontem proceſſiſſet, in flumen effundit. At uero Ferdinandus II, cum tempus libellos, ſibi exhibitos, legendi atque ſecum exigendi non habet, ad diurnum laborem adiicit nocturnum, cumque, coenatus, uni de familiaribus ingentes ſupplicum libellorum faſciculos oſtendiſſet, Non prius, inquit, quam lectis his expenſiſque, cubitum diſcedam. Nihil his de *mortuis, quod* quidem, ad commendandam poſteris magnorum Imperatorum curam uigilantiamque, memoriae proditum ſit, legimus, quin idem in te uiuo, Auguſte, cernamus, tibi ſolitum, cunctis mirabile. Iſta modo dubitatione ſuſpendimur, fieri ne potuerit, ut Principes, quorum tam egregia, in obeundis tot negotiis, cura laudetur, tantam rei, bene atque celeriter gerendae, facultatem praeſtiterint, quantam, uiris per omnia expertis admirabilem ſemper uiſam, praeſtes ipſe

Arcus, nimium intentus, facile frangitur, parique modo intereſt reipublicae, animum Principis, ab ingentibus rerum curis aliquando remiſſum, liberali quadam refici uoluptate. Sic enim Princeps ea iuſtitia fungitur, quam ſibi de-

Digitized by Google

bet ac reip. ne, gloriam intemperanter concupiſcens, laboribus immodicis debilitetur, ut minus diu prodeſſe ciuitati poſſit. Sed alii delectantur alia re. Iulius Caeſar otium quaerit in ludis Circenſibus, ſed, inter ſpectandum, epiſtolis libelliſque legendis, ac ſcribendis, uacat. Imitatus hunc, M Antoninus eoſdem ludos frequentat, ſed legens, audiens, ſubſcribens. Vterque uanitatis arguitur, ambitioſa induſtria declaratae. Auguſtus autem ſpectaculis Circenſibus intereſt comiter, aliud nihil agens, quoties adeſt, ſolique ſe iucunditati dans, ut animum uiſu renouet, alioue modo. Nec pudet eum, ad haec minora deſcendere, ut modo piſcetur hamo, modo talis, aut ocellatis, nucibuſque, ludat cum pueris minutis, quos, facie et garrulitate amabiles, undique conquirit, praecipue uero Mauros et Syros. Hercules ipſe non claua ſemper atque ſagittis utitur, ut horribilia monſtra conficiat, ſed aerumnis ſuis interdum iocos interponit, cum ipſis quoque puerulis luſitans, quod eum grata laborum uiciſſitudo delectat. Denique nemo, magni quamlibet animi, tam ſtrenuus fuit, quin otium appeteret interdum, non iſtud ignauum, quo uirtus corrumpitur, ſed hoc iucundum, quo integretur animus, ut, tempeſtiua labo-

Digitized by Google

laboris intermiſſione, ad eum reſumendum alacrior acriorque reddatur. Hoc idem, non aliud, ſpectas, Auguſte, reſpirans a moleſtiis, ut maiore ſtudio deinceps in curam reip. incumbas. Ecquando enim laxaueris animum, curis publicis defatigatum, quin eam animi remiſſionem non tibi magis, quam ſibi, neceſſariam putauerint omnes. Nec uero alia deligis oblectationum genera, niſi ea, quae et mentem recreent, et perſona tanti Principis digna uideantur. Ad grauitatem te natura finxit, mirificam illam quidem, ſed quae longius abſit ab omni hominum faſtidio, uel aſperitate quauis alia. Vt eleganter ergo, ut iucunde, heroici deliciis otii frueris, ita, ut omnium, qui acquieſcunt in conſpectu tuo, hilaritatem comitate tua condias, ſalua tamen tui reuerentia, quae facilitati tuae ſemper parata eſt. Sincero uteris otio, quia ſapienti, ſed non minus nobili, cum tegas eo negotia ſaepe maxima, quae deinceps, in lucem prolata, non quietis munera, ſed occupationis ſummae opera, omnino cenſeantur. Haec enim uis eſt mentis tuae, alta diuinaque, nullis ut rebus oblectere magis, quam arduis, haſque, et libentiſſime ſuſcipias, et facillime conficias. Naturali bono, tam excellenti, con-

Digitized by Google

ſuetudo ſeruit, cumque haec praeclare factis aſſidue ac iucundiſſime exerceatur, ea quidem in ipſam tranſire naturam uidetur, ut, quod in agendo aliis laborioſum moleſtumque eſt, id procliue tibi ſit, et ſui dignitate gratum. Quid ergo mirum, cum neque nihil, neque humile quicquam, poſſis agere, ſi ipſo in ſeceſſu amoeniſſimo, ubi minore comitatu, maiore tranquillitate, aliquanto magis tibi uiuas, immenſas prope ſeueriſſimi iudicii, altiſſimique momenti, res, de quibus inter Reges ac populos deliberetur atque diſceptetur, magna cum animi uoluptate, tantaque ſcientia, tractes, ut nihil, uel prudentius, uel maturius, fieri poſſit. Hac ignei uigoris agitatione incitatus, hoc mentis, perpetua uirtutis exercitatione gliſcentis, robore firmatus, in modum Solis naturalis, Sol ipſe terrarum ciuilis, nunquam quieſcis, nunquam minus es otioſus, quam otioſus cum uideris. Haec norunt tui, haec recordantur, ex his, quantum admirationis, tantum animi, tantum uirtutis, capiunt. Itaque nemo eſt ex omni amicorum comitumque tuorum numero, nemo ex omni ciuium cenſu, quin pulcherrimum iucundiſſimumque iudicet, tuam coeleſtis animi contentionem, quantum poſſit, imitari, in reipublicae parti-

Digitized by Google

partibus, quas impoſueris ei, ſuſtinendis. Omnes autem intelligunt, cum tui in curam exempli, quod in te uenerantur, communi ſtudio incumbant, fieri, ut tua Regia ſit omnem ad laudem incitatiſſima, in eaque nulla re alia, quam uirtute et praeclare agendi ſolertia, certetur. Hoc nouum ſit iuſtitiae tuae genus, quo non modo ſuum cuique ius tribuis, ſed ciues etiam tuos ita inſtituis, ut meliores, documento uirtutis tuae, reddantur. Sic ciuium fert conſuetudo, ut, ſicut Principum iuſſis ad agendum, ita moribus eorum ad uiuendum, dirigantur. Nulla ergo maior eſt laudabiliorque iuſtitia Principis, quam ſi moribus ſuis mores ciuium ita formet, ut publica felicitas recte agendo procuretur. Adeo nullum iuſtitiae ciuilis eſt munus, [illegible] uiua quaſi lex eſſe non poſſis

Nec uero minus in bello ſanctum ius habes atque inuiolatum, quam in pace. Foederum pactorumque conuentorum fidem ſummae cotis religione. Quod hoſti receperis, uiolare, nefas ducis. Quanquam leges inter arma uulgo ſilent, non pateris tamen, in caſtris tuis, quicquid licentiae militari libeat, idem licere. Haud concedis, ut, quo feratur impetus belli,

Digitized by Google

ibi direptionibus, expilationibus, petulantiae, crudelitati, omni ſcelerum generi, cuncta pateant. Non enim laxiore diſciplina milites, quam ciues, deuincis, cum memineris, negligentia diſciplinae immodeſtiam militum effici, horumque intemperantia non ſolum clades in proeliis accipi, ſed eadem florentiſſima etiam regna ſubuerti. Hac ſeueritate, ut aliis in rebus, Romanos, rerum dominos, imitaris, qui praecipuum decus, et ſtabilimentum Romani imperii, in diſciplina militiae ponunt, eamque, cenſent, hoc acrius retinendam, quod huius ipſius in ſinu tutelaque tranquillus beatae pacis ſtatus acquieſcat. Bellum autem ipſum non impotenti animo ſuſcipis, non acerbe, quantum in te eſt, geris, ſed armis arma opponis, ut impetum reprimas, uim ui repellis, ne locum des opprimendi tui. Magna uirtute, ac pari fortuna, bellum geris, nec tamen in eo uel caedibus delectaris, uel incendiis, uel rapinis, uel ullis generis humani malis, quae belli calamitas importat. Hoc agis, hoc ſpectas, ut pax bello pariatur, ut tuum tibi ius reſtituatur, ut hoſtem pacatum iniuriae ſuae poeniteat, ut eius incommodo ceteri tardiores ad iniuriam fiant, ac ſine maleficio deinceps in pace uiuatur. Quibus rebus fit, ut hoſti-

Digitized by Google

hoſtibus, non modo fortitudine, ſed etiam iuſtitia, Deo hominibuſque cariſſima, metuendus uideare. Ita, cum tibi, nihilo ſecius, quam Salomoni, domi foriſque ſint execrabiles, qui agant impie, fit, ut Solium tuum, in terrarum Orbe maximum, iuſtitia ſtabiliatur

Non recipit breuitatis huius modum, ſed ſpatium laudis, iuſtis uoluminibus enarrandae, expectat, illa prudentiae tuae facultas, multis modis admiranda. Hac enim duce, pacis bellique temporibus conſulis, ordinas rempublicam emendaſque, otium Imperii cum dignitate retines. Hac comite, ſtas in ſpecula terrarum celſiſſima, unde tempeſtates procellaſque, ſub omni coelo, cunctis in populis, conſurgentes, proſpicias, ut, bello pacique paratus, uel occurras hoſtibus mature, eorumque conſilia praeripias atque diſturbes, uel controuerſias aliarum gentium tuaſue iure prius, quam ferro, diſceptes. Huius monitis praeceptiſque, amicitiae fidem, ubicunque res poſtulauerit, ſancis, ſocios potentiſſimos tibi foederibus adiungis, hos ipſos tibi, quibus potes, officiis arctiſſime coniungis, denique ſic inſtruis cuncta, ſic geris, ut non poſſis optimi ſtatus auctor non appellari. De Carolo V, cum natus eſſet annos

nos undeuiginti, imperii Romani potito, dixiſſe narratur Mercurinus Gattinaria, prudentiſſimi uir ingenii, probe Germaniae proceres feciſſe, qui Carolum ſumpſerint Imperatorem. fore enim, ut intelligant, ſapientem eſſe illum ac bonum. Tradunt etiam, Nicolaum Schombergium, patrem purpuratum, cum, legationibus tres apud reges, Carolum Hiſpaniarum, Franciſcum Galliarum, Henricum Britanniae, obitis, in Vrbem reuertiſſet, rogatum, ecquae tandem eximia tribus in regnis illis inueniſſet, concinna admodum breuitate reſpondiſſe, in Galliis pulchrum regnum, in Britannia pulchrum regem, in Hiſpaniis ſapiens conſilium regis, ſe, legatum, reperiſſe. Quid autem eſt, quod te, Caeſar, cum, extincto Fratre Maximo, longe gentium abſis, cum funeſto fatalique bello cuncta flagrent, hoc ſummo reipublicae tempore, tanto Procerum conſenſu, ex Hiſpania citeriore reuocet. Quid eſt illud, quod te liberis concordibuſque Principum, dignitate praecipuorum, ſuffragiis tantopere commendet. Nihil profecto aliud, quam prudentiae ac bonitatis tuae fama, quae latiſſime ſpargitur, ac tanta hominum de te opinio, ut, eodem tempore, imperium et ſuſcipere uidearis, et ſeruare. Ex

alie-

Digitized by Google

alienis, remotiſſimiſque, gentibus accedit ad te nemo, quin, ut illa, ab oriente profecta ſole, regina Salomonis miratur ſapientiam, ſic idem tuam, tibi diuinitus conceſſam, ſuſpiciat. Quis, attentior paullo, regni tui ſenatum contemplatur, quin cernat ſapiens omni ex parte conſilium, eoque rebus gerendis acrius, quod ipſa ſapientiſſimi Principis ac moderatoris praeſentia curaque adagendum ſtimulatur. Itaque nemo, niſi malignus, ullam cauſſam reperiat, qua re illos Caroli Quinti amicos, Mercurinum, Granuelum, Antonium Leuam, Fronſbergium, Ferdinandum Corteſium, Philibertum Auraniae principem, Maximilianum Iſelſtenium, Lamoralem Egmondanum, aut illos Auguſti, Agrippam, Statilium Taurum, Maecenatem, Druſum, aut illum Traiani, Plinium, et alios, magis, quam tuos, tum ſapientia cetera, tum uirtute bellica, multo praeſtantiſſimos, admiretur. Tuo ſcis uti conſilio, tuo ſtare iudicio ſcis, ac totum reipublicae corpus tua, ſummi capitis, prouidentia regis. Sed, quoniam magna negotia magnis adiutoribus egent, bene tibi, bene reipublicae, proſpicis, quod eos conſilii tui participes legis, eos gubernandae fortunae tuae adminiſtros, qui nihil ad quaeſtum, ad bonae mentis conſcientiam dignitatemque cuncta, referant, quorum fidei pru-

Digitized by Google

dentia reſpondeat, quorum diligentia nullis difficultatibus cedat, tantaque ſit, cunctis in rebus, commendatio, ut ab iis, niſi publice fructuoſum, nihil expectari poſſit. Tales ſibi Fridericus quartus uolebat, amandoſque ducebat, qui Numen plus, quam ſe, uererentur, et Imperii pacem ac felicitatem ſpectarent, tales quaerebat ſibi Carolus V, qui probitatem, beneuolentiam, prudentiamque, ſibi probarent, tales ſacrae literae loco diuini muneris habent, quo utrique, et boni ſalutareſque Principes, et prudentes ac fideles conſiliarii, tribuantur. Praecipua quadam laude fertur Alexander Seuerus, Imperator praeſtanti uirtute. Hic enim uiros, omnis doctrinae principes, in familiari conuictu, aſſidue ſecum habet, cum alia, ſapientis conſilii plena, inſtituit, tum homines doctos allegit in ſenatum ſuum, quotieſcunque conſilium rei militaris habet, ei literatos adhibet duces, hos maxime, qui, ut ſcribitur in eius uita, hiſtoriam noſſent. Ab eis requirere ſolet, quid imperatores, uel Romani, uel aliarum gentium, ueteres conſilii cepiſſent, quid iniiſſent rationis, in rebus, ei ſimilibus cauſſae, quae uocaretur in diſceptationem. Arbitratur enim id, quod res eſt, in grauium deliberatione rerum a maiorum prudentia recte con-

Digitized by Google

consilium peti, consiliorumque priorum caussis et euentis, ea ratione, quam praecipit Scipionis comes, Polybius, inter se collatis, et illustrari prudentiam et roborari, quam suus cuique, in bello, usus suppeditaret. Venia enim danda est Mario, literas, quas nescibat, contemnenti. Qui tamen Arpinas, natus humili loco, infestus nobilitati, hirtus atque horridus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, dum literas, una cum studio acta maiorum, ac militaria Graecorum praecepta, legendi, in nobilitate Romana carpit, declarat simul, e Quiritibus nobilissimum quemque multo quondam aliter sensisse. Respici, pluris refert, illum Iulium, in quo plures inesse Marios, cum dictitaret Sulla, animi profecto strenui uim non desiderauit. Hic autem Caesar, etsi res longe ampliores, quam Marius, tantasque gesserat, ut ei tot operum admiratio diuinos honores tribueret, simul tamen magna doctrinae, in primis reconditae, gloria fuit. Ipsum etiam, quem magnis rebus destinat, Octauianum suum, non minus literarum, quam armorum, scientia instituit, ut Dio Cocceianus in scriptis reliquit. Pro eisdem Mineruae Martisque cultoribus dicant, e Graecis, Themistocles, Pericles, Thucydides, Alcibiades, Timotheus,

Digitized by Google

Epaminondas, Ageſilaus, Xenophon, e Romanis, Fabii, Scipiones, maxime Aemilianus ille, Marcellus, Catones, Lucullus, Sulla, Pompeius, alii complures. De his enim ampliſſimi quiſque loci, more a maioribus tradito, ad belli laudem doctrinae et ingenii gloriam adiicere conſueuit. Sed, ut praeclarus fuerit ille, de quo commemoraui, ſenatus Alexandri Seueri, nihil tamen egregii aſſumpſerit ſibi, quin idem, multoque plus, in tuo cernatur praeſtantiſſimo. Hic enim, per tot atque tantorum munia collegiorum diuiſus, cunctis togae bellique artibus floret, ut iudicari non poſſit, prudentia ne magis, an fortitudine, excellat. Abundans omni genere uirtutum ſingularium, non habet, quod reipublicae Quiritium ueteri inuideat Marcum illum Porcium Catonem, cum, ſimili aut maiore etiam cum laude, optimos oratores, optimos, tuorum tamen exercituum, tuiſque, Imperatoris Auguſti, auſpiciis, imperatores, optimos ſenatores, plures poſſit oſtendere, quibus in ſingulis eadem decora, in eaſdem ſummorum uirorum perſonas collata, miſceantur. Hi ſunt illi, qui non minus literis, quam armis, illuſtrentur. Abeſſe non poteſt, quin nos, homines doctrinis ingenuis deditos, in ſui admirationem traducat ille,

qui

Digitized by Google

qui Carthaginem funditus eruit, Africanus. Posteris enim narratur tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinae, et auctor et admirator, ut Polybium Panaetiumque, praecellentes ingenio uiros, domi militiaeque secum habuerit, ut semper, inter arma uersatus ac studia, aut corpus periculis, aut animum disciplinis, exercuerit, ut omnibus belli ac togae dotibus, ingeniique ac studiorum, eminentissimus fuerit saeculi sui. Haec, et his consimilia, de ducibus eximiis prodita, miramur nos, haec memoriae mandamus, uetera quamlibet ac peregrina, quae iam pridem obsoleuerint, nec usquam, nisi solis in libris, reperiantur. Ea nihilo minus cupide legimus, quod duces hos ipsos, tam claros, tam ipsi cultos Augusto, ut, teste Tranquillo, eorum statuas, triumphali effigie, in utraque fori sui porticu, dedicauerit, in ornamentis literarum numeramus, quod honorem, uiris doctis ab iis habitum, ad doctrinae referimus dignitatem, quod, triumphalibus his nominibus, ipsa optimarum studia artium a procacitate rudium agrestiumque hominum tuemur. Numquis igitur credat, posse nobis adeo stupere sensum, ut, nulla perfusi uoluptate, legamus, quae homines exteri de nostri heroibus aeui pronuntient atque

Digitized by Google

ſcribant. Rem enim, cuius teſtimonium perhibent, coram experti, ductores exercituum tuorum, ac bellici, in ſacro Palatio tuo, conſilii praeſides, non ſolum fautoribus doctrinae, ſed eius etiam decoribus, ipſiſque ſapientiae oraculis, aſcribunt. Eos enim, aiunt, eſſe, qui hominum, eruditione praeſtantium, colloquiis et conſuetudine delectentur, qui in caſtris, inter tubarum clangorem armorumque ſtrepitum, mitiores Muſas perpetuo contubernales habeant, qui ſubſeciuis horis probatiſſima et exquiſitiſſima, e Graecia in primis ac Latio, ingeniorum monimenta tractent. Eos, addunt, rebus, auſpicio tuo geſtis, in terrarum Orbis theatro celeberrimos, ita ſimul in tabernis librariis celebrari, ut, dum bibliothecas omnium linguarum, in omni diſciplinarum genere, ſcriptoribus refertiſſimas, conſtruant, ueſtigandis optimis libris, ſed quorum pleroſque difficile ſit nanciſci, edant fere nomina auctorum uel illis adhuc, magna ex parte, ignota, qui in literarum interiorum cognitione, ac rei librariae notitia, pro muneris ſui ratione, omnem contriuerint aetatem ſuam. Hos philoſophiae, politioris humanitatis, omnium ſimul elegantiarum, picturae, ſtatuariae, caelaturae, ſingularum denique rerum, quas ſiue priſca, ſeu

Digitized by Google

seu recens, manus finxerit, artisue eximia species commendauerit, studio et intelligentia uocant insignes, hos res gestas, quibus uel interfuerint uel praefuerint etiam, Thucydidis prudentia condere, si uelint ipsi, posse, praedicant, his, propter egregiam antiquitatis peritiam, ipsos antiquitatum Romanarum commentarios inscribunt. Ea quidem, hisque similia, de ducibus copiarum tuarum cum memorantur ab alienigenis, quidni nos, tantae laudis admiratione commoti, uiros tam illustres pluribus in rebus cognitos habere studeamus. Ergo comperimus porro, ab iisdem tuis rei librariae supellectilem, iam splendidam, reddi quotidie splendidiorem, et rarioribus aetatis priscae monimentis auctiorem, Martis alumnos et Artis humaniter, nullo artium discrimine, accipi, instituto Lucullí, non modo de re militari reque publica, sed de quolibet etiam literarum genere, disseri, ipsam ueteris militiae uirtutem, ut noua praestantiorem, ipsam ueterem rei bellicae scientiam, ut accuratam armorumque exercitationi aptam, laudari, et Graecas Latinasque literas amari non mediocriter, optimos etiam utrarumque scriptores militiae comites asciscí. Haec magno cum [illegible] studio si fiunt ab excellentibus imperato-

ratoribus, nonne recreemur eorum memoria, idque ipsarum caussa literarum, quibus tam clara militaris gloriae lumina tantum decoris nostra concilient aetate. Das uero, pro incredibili bonitate tua, Caesar Indulgentissime, ueniam gaudio nostro, quo praestantiam ducum tuorum prosequimur, das admirationi, quam amici, abs te clementer lecti, sanctissimique consilii tui participes, cum nobis, tum omnibus, excitant. Videmus, quam omni ex parte reuerendum sit sacri consessus tui ministerium, animaduertimus, quanta prouidentia curaque cunctis reipublicae partibus ipse consulas, eaque sit ratione, ut in senatoribus tuis admiratio nostra incipiat, in tua uero sapientia desinat, ac potius, ubi desinat, inuenire non possit. Ita, re omni partes in omnes prouisa, simul, et felicitati temporum, et uenerationi principatus tui, optime prospicis, immensasque opes, quibus affluis, pulcherrimis ornamentis cumulas perinde, ac stabilitate maxima firmas. Eas enim fulcis uirtutibus ornatissimis, illis praecipue, quibus gloria gentis tuae fundata est, semperque creuit. Non enim potentiae, quae tenuiores ui metuque oppresserit, non ambitioni, quae neque pares ferre potuerit neque superiores, non fortunae,

Digitized by Google

tunae, quae multos extulit indignos, elatoſque demerſit, ſed ſapientiae, ſed animi, ſemper aequabilis, firmitati, debetur Imperii dignitas, quae domum tuam terrarum principem facit. His uirtutum, quaſi propriarum, praeſidiis Auſtria maieſtas, a tantis tot ſaeculorum periculis inuicta, ſtetit in rerum ſumma, quam, ſumma Procerum uoluntate ſibi traditam, ſuſcepit Rodolphus I, quam, diutini fataliſque interregni diſcordia collapſam, una cum perculſa Germaniae ſalute, reſtituit, quam noua ſepſit auctoritate atque communiuit. Fuit enim in tanta ſui expectatione, ut, cum prius opes quaererentur potentiorum, his eius prudentia atque fortitudo anteferrentur, re maturius deliberata. Hoc enim ſalutari fato Imperii accidit, ut Deus afflictis, fereque deſperatis, Germaniae rebus ſubuenire uellet, impulſis in eam mentem Principibus, ut, patriae caritate ducti, iudicarent, ſapientiam et ſtrenuitatem, diuitiis, et potentiae, praeferendas eſſe. Sic enim loquitur ipſe Albertus Argentinenſis, auctor locuples. Hoc maiorum decus, omni patrimonio praeſtantius, cum, Auguſte, defixus in ueſtigiis auitis, retines, cum idem, quo nihil illuſtrius eſt, in curriculo gentilitiae laudis omnibus neruis conniſus, praeclaris conſiliis, paribuſque factis,

Digitized by Google

amplificas, tum efficis profecto, ut in te uere quadret illud, quod argumentum Reip. florentis habet, et ciuibus exoptatum, et Regibus ipſis glorioſum, Rex ſapiens populi ſtabilimentum

Actum agam, neque eo magis, ingenii mediocritate, negotium conficiam, ſi fortitudinem denuo perſequar, qua nuper hoſtes ad pacem petendam ſubegiſti. Quid mihi ſumam, minus conſiderem, ſi, ceteras res tuas, aliis temporibus ſtrenue glorioſeque geſtas, quae latiſſime patent, has in anguſtias adducere, parem. Tantum abeſt, ut, excelſitatis tuae ſatis ego reuerens, humilitatis meae ſatis memor, eoque non amens, uidear, ſi quidem ample excellenterque facta laudare, pro dignitate, ſtatuam, quorum magnitudinem ne cogitatione quidem complectar. Quo tamen ſis animo, Caeſar fortiſſime, quid, manu fortis conſiliique plenus, audeas, quam, niſi praua et turpia, metuas nihil, quantum praeſidii in pectore bene praeparato ponas, quam nihil tam alte natura conſtituerit, quo uirtute non ſtudeas eniti, iis certe uerbis declaras, quae diceris in ore familiariter habere, quae, pro uitae teſſera, agendique norma, delegiſſe, Conſtantia, dico, et Fortitudine.

Digitized by Google

dine. Conſtantiam pronuntias, nomine, loco, animo, tuo dignam. Quae quidem ſapientis cum propria ſit, magnitudinem animi, conſilio fidentis atque erecti, monſtrat. Hic autem animus, quo longius proſpicit, eo magis fortunae parem ſe praebet. Nactus robur, quod uitae ſanctitas efficit, nulla calamitate frangitur, ſed, rupis ſimilis, in alto ſitae, omnem fortunae incurſum repellit, ut ſaxum fluctus maritimos elidit. Fortitudinem nominas, quae, Conſtantiae conſilio recta, ſtabilitate munita, nullo periculi cuiuſquam, uel adeundi, uel ſuſtinendi, metu a propoſito deterretur, ſed, animi firmitudine ſemper aequali impetus omnes excipit, pari propulſat. Vtramque rem Imperatori neceſſariam iudicauit Carolus Magnus, quod, regnum, ſciebat, eſſe corpori haud abſimile, et multis teneri grauibuſque morbis, niſi conſilio et fortitudine, uelut medicis quibuſdam, ad tuendam curandamque ualetudinem, uteretur, ut ipſe ſcribit. Pari modo antiquiſſima gentis Habſburgicae, quae legitimo Caroli Magni ſanguine gloriatur, inſignia, conſilio et fortitudine, ſignantur. Hac ſtirpe cum genitus ipſe ſis, quis miretur, ex te uoces huius generis auitas audiri, in quo maiorum uirtutes, uereque Carolinae, floreſcant. Eſt

Digitized by Google

enim, eſt aetatis uix adultae uita, quam peradoleſcens egiſti, conſtantis excelſique animi ueſtigiis inſignita, quem potiſſimum, te in Hiſpanias profecto, pericula, neque pauca, neque leuia, tentarunt, nunquam tamen eum imminuerunt, nedum fregerint, ſed eum ſemper erexerunt. Quantum erat, te adoleſcentem, nondum annos undeuiginti natum, occupatis ab hoſte regnis et inſeſſis, quae diuinum humanumque ius ſucceſſioni tuae gentis aſſereret, nullo cuiuſquam caſus, nullo diſcriminis, terra marique ſubeundi, metu tardari, quin eas, repetitum res tuas. Cum Germania, Belgium, Italia, bello, longe lateque diuiſo, flagrat, cum uias cunctas armorum uis obſepſit, itineris anfractum per Batauos Britannoſque capis, Galliam praeteruectus, in Luſitaniam pergis. Stipatus comitatu modico, peregrinae claſſi ſpem ſalutemque tuam credis, alieniſſimo anni tempore, intempeſtiuo ad nauigandum mari praedonumque referto, Oceani, natura tam infeſti, inſidiis tam obſeſſi, fluctibus te uentiſque das. Animo nihilo ſecius uultuque ſemper tranquillus es, proinde, ac ſi pacata forent omnia multoque tutiſſima, nihil autem eſſet pertimeſcendum, ulla ex parte. Obſtupeſcat ille nauis gubernator ad conſpectum

Digitized by Google

Iulii Caeſaris, periculo ſuo inſultantis, ad uocem eiuſdem praefidentem, quam mirari ſolitus eſt Rodolphus II, Imperator. Hic enim Iulius, cum fluctibus paene obruitur, animo non demiſſus, magiſtro nauis trepidanti, Perge, inquit, audacter. noli quicquam timere. Caeſarem uehis, unaque Caeſaris fortunam. Nihilo certe minus admirabilis omnibus es uiſus, cum te, ex Britannia tranſmittentem in Luſitaniam, ipſamque Hiſpaniae oram propius ex alto iam ſpectantem, in Oceano, ingentibus undique aeſtibus concitato, repentina tempeſtas, cum magno fragore tonitribuſque coorta, quae cunctam deinceps Europam peruaſiſſe dicitur, oppreſſit, agitauit, reiecit. In tantum res periculum deducitur, ut claſſis praefectus, ut claſſiarii ſociique nauales, multo rei nauticae uſu quamlibet exercitati, tibi ſibique metuant. Qua re, cum, ut Aeneas ille pius, ſtans celſa in puppi, in ſuperiore tu naui conſiſtis, te, corpore, ut neceſſe fuit, non animo, quo nihil ſtabilius erat, titubantem, cum hieme procelliſque luctantem, uti turbido cedas tempori, tranquillius expectes, in tutiorem te locum recipias, orant uniuerſi uehementer atque obſecrant. At, cunctis trementibus, magnoque tumultu concurſantibus, ipſe, coeleſti te

Digitized by Google

ſuſtentans auxilio, maris aeſtum, fluctuumque immanitatem, deſpicis, et, loco, quem ceperas, gradu, quem feceras, in partem demouendus nullam, Eſt mihi, inquis, certum, de hac ſtatione non decedere, ut induſtriam laboremque ueſtrum, quem mea cauſſa ſuſcipitis, coram, caritatis ueſtrae teſtis, ipſe ſpectem. Nec uero antea, neque poſtea, quoad exagitati maris et aeſtuantis, uentorumque reflantium, ſaeuiit rabies, illo praeſertim tempore, quo naues non nullas ex claſſe, quacum proueheris, Britannica fluctibus abſorberi, eidem expoſitus periculo, ſine periculi metu, uides, ullum interim labantis animi ſignum, ullam, maieſtate regis indignam, uocem mittis, hac illi Iulio conſtantia par, quaſique iam Caeſar ante, quam dicereris. Quo nauigas animo, quo ſaeuitiam maris turbineſque tranſis, donec, claſſe in Britanniam reiecta, in Portuque demum Magno collecta rurſus, eodem, unde abreptus eras, fortius multo regreſſus, ſecundis Oliſiponem uentis perueharis, eodem certe animo rem geris in Hiſpania, eodem, iniquitatem locorum, uimque hoſtium, ſuperans, in gentes ultimas, magna cum repugnantium clade, penetras, eodem propellis aduerſarios ac proteris, et opida

caſtel-

Digitized by Google

caſtellaque, totius Hiſpaniae ualentiſſima, iuris tui facis, expugnata defendis, circunſeſſa liberas obſidione, nec urbibus modo, ſed integris etiam regionibus regniſque, potiris. Pugnis non interes ſolum, ſed eis praees etiam, proeliantes autem non ſpectas modo, uirtutis alienae teſtis ingenuus ac benignus, uerum etiam, ſtans in primis, eos cohortando incitas, confligendo incendis, uincendo ad nihil non inflammas. Quantum, dimicans inter confertiſſimos, te periculis offers ipſe, tantum tuis periculi timorem minuis, niſi quod iidem, nihil ab hoſte ueriti, hoc metuant unum, ne quid in uirtutem tuam, tot caſibus expoſitam, fortunae liceat, neu quod belli diſcrimen tam praeſentis animi conſiliis intercedat. Proinde per omnia te ſacra rogitant duces praefectique tui, obteſtantur ſocii, ciues orant et clientes, ut a periculis te remoueas, ut habeas tui rationem, ut locum tibi relinquas tutum. At ipſe, bona iuſtaque cauſſa nixus, propoſitum tenes, amore ductus, tibi, quam tuis, deeſſe mauis, animo nunquam deficiens, quo fas et gloria uocat, ſine mora pergis. Ita, cuſtode Deo ac propugnatore, defenſus ſemper adiutuſque, maiores copias multo paucioribus, exercitus ingentes exigua

Digitized by Google

exigua saepe manu, fundis, castris hostes exuis, opes fugientium diripis, et, magna locupletatus praeda, tuisque saluis, ipse saluus, uictoriam adipiscceris, longe magnificentissimam. Testis est Barcino, quam, rebus omnibus ornatam, firmissimis praesidiis munitam, spretis difficultatum caussis, fortius oppugnasti, quam sperari potuit, celerius expugnasti, quam credi. Iterum testis est eadem, quae anno post, operibus clausa, omni commeatu priuata, multis periculis undique pressa, circumfusas, ex Hispania Galliaque, copias conspexit, quae, munitionibus externis iam perfractis, territa, tormentis bellicis, quinque et triginta dies, percussa, muri etiam parte, qua posset irrumpi, nudata, aegre sustinuit, quae, Gallica classe iam dilapsa, appulsaque foederata, tantum tamen leuamenti non habuit, ut ignis hostilis impetus resideret. At haec summa ui, maximo cum periculo, dum geruntur, ipse te, uel eruptionibus factis, uel omni ratione, oppugnatoribus obiicis, opidanos ipse confirmas, confirmatos, praelucentis spectaculo uirtutis, ad similiter audendum accendis, editis moenium ruinis affers consilium, aditu omni praesepto, securitati caues. Praesentis periculi monitus, abiecta

Digitized by Google

cta periculi cura, negas, te prius ex ciuitate, tibi fidiſſima, exceſſurum, quam ſpes omnis adempta ſit eius ullo modo conſeruandae. Hoc rem conſilio deducis in eum locum, ut, claſſiariis, qui aduenerant, expoſitis, et acriter, una cum urbis praeſidio, repugnantibus, hoſtes exterriti, atque ad deſperationem adducti, cum duce refugiant turpiter, et, accepta clade, non mediocrem rei militaris apparatum relinquant. De rerum ſumma deſperantes, Mantuam Carpetanorum iter accelerant perterriti, ut, correptis inſignibus Regiis, ſecumque aſportatis, recipiant ſe, quo poſſint. Quos quidem ego cum proſequor cogitatione, terga uertentes, ſalutemque fuga petentes, non poſſum memoria temporis illius non commoueri, quo, multo cum inſpectantium horrore, Sol orbem ſuum celat, quaſique noctem terris offundit. Simul tamen his denſis e tenebris diuini erga te amoris lucem, clarius exſplendeſcentem, conſpicio, quod quarto Idus Maias, eadem defectionis huius, tam inſignis, hora, exercitus Andegauenſis ab obſidione Barcinonenſi diſcedit. Caſu enim tam mirabili, qui terrorem fugientibus pariter atque inſequentibus infert, admonentur homines, eſſe Deo te curae, tuique animi firmita-

Digitized by Google

tem, in cauſſae bonae praeſidio innixam, ipſo coeleſti iudicio probari. Habet omnis Hiſpania, quam toties non itineribus, ſed uictoriis, peragraſti, multo nobiliſſima fortitudinis tuae monimenta, quae multis in locis ſtatuiſti. Habet, ne nihil ex iis afferam, Caeſarauguſta uirtutis tuae ueſtigia, quae nulla exoleſcant uetuſtate, illo tempore impreſſa, quo tranſis Iberum. Tum enim, hoſtes, iugis montium confiſos, fluuiiſque munitos, adortus, ingentes eorum copias uel interficis, uel, cum magno ſimul praefectorum numero, capis, uel diſſipas, militaria ſigna, machinas bellicas, impedimenta cuncta, in poteſtatem tuam redigis, atque, in caſtra, quae fuga trepidatioque reliquerat, ingreſſus, in ipſo profugi ducis praetorio, cibum capis. Exercitus deleti gloriam tanto maiorem conſequeris, quanto animoſius atque conſtantius agmen ducis, ſigna infers, in acie uerſaris, omnibus ſic occurrens periculis, ut non minus fortitudine emineas, quam dignitate. Fuſis hoſtibus fugatiſque, in Carpetanos iter tibi patefacis, et, ciuitatibus obuiam, ad uiſendum gratulandumque, deſcendentibus, nihil tibi non apertum ſperandumque, uides. Sed fortunae tuae, qua uidebatur in Hiſpaniis debellari poſſe, ipſorum

ciui-

Digitized by Google

ciuium tuorum, in Prouincia Tarraconensi, qua describitur in hodiernos Castiliae fines, deest fides, neque eo magis te uel animus, uel consilium, deserit. Cum fis certior, exercitus, pro rerum difficultate, diuisi, partem hostium multitudini, multo superiori, dum abs is, cessisse, casum praesentia prudentiaque corrigendum, putas. Hac expediendae rei ac restituendae scientia plus, quam uiribus ullis, pollens, hostes, pluribus e locis incurrentes, sustines, proelio lacessentes repellis, ne signa rursus inferant, proximi terrore periculi retardas. Cum magnis repentinorum nouorumque euentorum difficultatibus urgeris, atque eis prope circumueniris, has tamen omnes incredibili magnitudine animi, consilioque paratissimo, uincis. Sed, fato Reipublicae Christianae prospero, maiori, ac potius Orbis terrarum amplissimo, principatui seruatus, Germaniae grauiter laborantis clara uoce, e medio rerum maximarum cursu, in patriam reuocaris, cui deesse ulla re, fas non putas. Hanc, orbitatis metu ictam, solus consolari potes, huic ire subsidio, pium ducis, huic antiquam gentis tuae uirtutem praestare, glorioſum arbitraris. Itaque, saluo iure successionis Hispanicae, quod nulla tibi usurpatio inter-

Digitized by Google

uertat, magnis itineribus in Germaniam contendis, ſummis Principum ſtudiis, quibus expetitus es atque aduocatus, exciperis, et aduentus conſpectuſque tuus communi totius gentis laetitia ac gratulatione celebratur. Qua Germaniae flagitanti caritate longinquis e regionibus ſuccurris, eadem huius te ſaluti das, qua ſanctitate Imperium ſuſcipis, eadem adminiſtras, qua cura tutelam populi tui geris, eadem edis opera tam immortalia, ut, incolumitate publica ubique conſeruata, defenſa nominis Germanici dignitate, bellis feliciter compoſitis, perpetuae te omnium ſaeculorum memoriae commendes. Sic igitur ex aduerſis, quae uideri poſſent, tibi multo ſecundiſſima naſcuntur, ſic, in utraque fortuna, pari ſtas faſtigio, et aequabilis animi conſtantiam retines, quae nullis caſibus labefactetur. In bello, ſine fuco ſtrenuus, ſine oſtentatione magnificus, ſine taedio acerrimus, tantum uales auctoritate ſingulari, ut amici, qui ſumma uelint adipiſci, uirtutis, in te fulgentis, regula dirigi uelint, aduerſarii contra, qui ſenſerint arma tua, rerum tot geſtarum fama perterreantur. Iam domi, in omni euentuum uarietate, quantam animi, neutro inclinantis, firmitudinem, tantam eius excellen-

Digitized by Google

cellentiam, ostendis, sic, ut, tui perpetuo similis, neque prosperis efferare, neque aduersis abiiciare. Hoc illud erat, quod sibi timeret a Ferdinando II Gabriel Betlenius, cum, difficillimum fore, dictitaret, cum homine congredi, quem neque calamitas debilitaret, ad proiiciendam uirtutem, nec fortuna inflaret, ad elatius se gerendum. Non dissimilis animi firmitas in Leopoldo apparuit, diuino patre tuo. Hic enim, grauissimis bellis, quorum perhorrescimus memoriam, implicitus, nunquam ita commoueri uisus est, ut animo se demitteret, uerum eodem semper uultu, eademque fronte, non aliam fere, ut accepimus, uocem misit, quam illam sanctitatis, atque coelestis fiduciae pleniſſimam, Deus iuuabit. Haud aliter, ac Maximilianus II, auxilium suum coelo deuocans, ubi metuenda uideantur omnia, nihil reformidat, sed totus et mente et animo in diuinae prouidentiae praesidium insistit. Ab Abrahamo enim, molem curarum suarum transmouente in Deum, pie dictum mutuatur, idemque familiariter habet in ore, Dominus prouidebit. Animi uultusque, in omni rerum uicissitudine, tranquillitatem quis in aliis iure non miretur, ut rem inter homines rariſſimam, ut

Digitized by Google

pulcherrimam inter ipsos quoque sapientes. Verum tamen haec in omni uita aequabilitas est gentilitium bonum stirpis Austriae, quae, constantia, turbulentos animi motus comprimit, quae, sapientia, soli uirtuti adhaerescit. Huius igitur gentis, singulari quadam dote, proprium est, nil admirari, quod rerum sit externarum, eoque nec florenti fortuna extolli, neque afflicta percelli. Quae quidem laus, et maioribus tuis summae fuit gloriae, et uiget adhuc in te, Auguste, atque oculos omnium animosque tenet, in te conuersos

Sed quota pars est illa, quam attingo, rerum tuarum, Princeps Principum eminentissime, quantula portio gloriae, cuius in societatem se offerre nemo audeat, per omnes terrae tractus diffusae. Vereor tamen, seueriſſime Caesar, ne, quo minus ipse, uirtute tua contentus, ullos laudis tuae praecones uel desideres, uel admittas, eo modestiae iam tuae grauior fuerim, cum sciam, quam, rigidus exactor officii tui, aliis potius omnibus, quam tibi satisfacias, cum non ignorem, quam, indole uere generosa, hoc est, Austria, laudatores nihilo feras aequius, quam maiores tui, ex iisque Carolus ille V. Hic enim, Impera-

Digitized by Google

perator, omnis memoriae clariſſimus, cum, facto per Gallias itinere, Lutetiae Pariſiorum ampliſſimis uerbis compellatur, tamque blandis, ut feratur in coelum, breuiter, ex conſuetudine ſua, reſpondet, Gratam quidem ſibi Regis, affinis, eſſe erga ſe beneuolentiam, ſed arbitrari ſe, laudes illas, tam exaggeratas, eo pertinere, uti, qualis debeat eſſe, commoneſiat. Similiter tua, priſci Caeſar exempli, grauitas, lenociniis cunctis infenſa, facile quemuis monere poteſt, ut, conſiderans, quicum agat, hoc in loco tam lubrico, tibi parcat, ſibi caueat. Res tamen ipſa, me tacente, loquitur, de te quid nos taciti ſentire, quid, in decus ſaeculi noſtri, poſteris tradere, debeamus, ut publicum memoriae noſtrae iudicium ſequamur, cui uno ore tot gentium nationumque tuarum acclamatur. Itaque, ſi fieri poſſet, ut Xenophon ille Socraticus, aetate noſtra reuiuiſceret, te uideret, tuas uirtutes intelligeret, quanto in his perfectiora reperturus eſſet cuncta, quam in Cyro ſuo. Hunc enim ſibi propoſuit, ut ex eo effigiem optimi imperii exprimeret, quam Cicero laudat, antiquitas ſuſpicit, nemo cum magna animi uoluptate non legit. Sed Cyrus iſte quid ad Carolum Sextum. Hunc ſi conſpexiſſet Xenophon, ſi prudentia ſua uolu-

Digitized by Google

uoluiſſet uti, tanti certe uictoris Auſtrii, tanti tot populorum rectoris, fama, Graeciam Aſiamque denuo peruagata, prouocatus, nouum ſibi ſumpſiſſet opus, ac, rege illo Perſarum contempto repudiatoque, ob oculos ſibi poſuiſſet Carolum noſtrum, ut, lineis abs tanta maieſtate ductis, Principem longe praeſtantiorem daret

Itaque ea, de quibus ſilere praeſtat, quam pauca, quam minime cum rebus exaequata, dicere, de quibus ne dicere quidem, ſine periculo tuae, Domine, patientiae audacter laceſſendae, fas eſt, ea, inquam, tacita religioſaque duntaxat mente complectamur, et, quod ſatis eſt ad immortalitatem, uenerationi bonorum, admirationi generis humani, aeternitati temporum, rerum famae, relinquamus. Multa, liceat, in pauca conferri. Cum in magnitudine tua, Caeſar Maxime, obtutum figo, non poſſum eius magnificentia non perturbari. Hoc enim uideo, uel dignitatis, uel fortunae omnis, faſtigium, quod quidem rebus humanis imponi poſſit. Sed, animo mox collecto, re diligentius conſiderata, mirari deſino, in rebus tuis florentiſſimis illud genus felicitatis reperiri, quod Prin-

Digitized by Google

Principibus, Dei hominumque caritati deditis, promiſſum ſit, darique ſolitum. Hoc enim ueriſſimum iudico, quod, ab Aurelio Auguſtino pronuntiatum, antiquitus tui, in Hiſpania, maiores, in arcanis inſtitutionis Regiae doctrinis, ut relatum legimus, habuerunt, quod ipſe, omnis auitae uirtutis aemulus, fideliter ac ſapienter expreſſiſti. Praeclare uero, ut omnia, et neruoſe, ſummae doctor ſanctimoniae, Reges, docet, felices eſſe, ſi iuſte imperent, ſi, ſe homines eſſe, meminerint, ſi ſuam poteſtatem maieſtatis Dei famulam faciant, ſi Deum timeant, diligant, colant. Hoc autem, ait, fieri, ſi tardius iidem uindicent, facile ignoſcant, ſi eandem uindictam, pro neceſſitate regendae tuendaeque reipublicae, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis, exerant, ſi eandem ueniam, non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis, indulgeant, ſi, quod aſpere plerunque coguntur decernere, miſericordiae lenitate, et beneficiorum largitate, compenſent, ſi luxuria tanto eis ſit caſtigatior, quanto poſſet eſſe liberior, ſi malint cupiditatibus prauis, quam quibuſlibet gentibus, imperare, et, ſi haec omnia faciant, non propter ardorem inanis gloriae, ſed propter caritatem felicitatis aeternae. Tales, inquit

Digitized by Google

uir diuini ſpiritus, Chriſtianos Imperatores, dicimus, eſſe felices. Haec ille, antiſtes Hipponenſis. Quae quidem uita moribuſque tuis, quam ſcholis omnium ſapientum, luculentius illuſtrantur

Liceat iam, Caeſar Benigniſſime, ad tuas altiſſimas uirtutes, quas aſſequi cogitando non poſſim, addi unam, quam nemo, niſi humanitatis expers, non ſuſpiciat, omneſque docti eam, pro rariſſima ac temporibus noſtris auſpicatiſſima, merito reuereantur. Haec autem illa eſt gratia, Auguſti gloriam aequans, qua literas artesque bonas ita complecteris, ita foues, ita protegis, ut eis nihilo minus, quam reipublicae, uel praeſidii impertias uel ornamenti. Etenim, pro tua, quae dimanat in omnes reipublicae uſus, ſapientia, praeclare intelligis, cum ſapientum multitudo, ut dicitur in ſacris, ſit Orbis terrarum ſanitas, tua potiſſimum, pro terrarum Orbis ſalute excubantis, intereſſe, ut ſapientes euadant homines. Optime ſimul animaduertis, liberalis doctrinae ſtudiis, cum excoli ingenia ciuium, tum animos moreſque perpoliri. Iis enim, noſti, recti decorique pulchritudinem, praui foeditatem, demonſtrari, omniſque aetatis

Digitized by Google

tis uirtutem, quae mentes allicere poſſit ac deuincire, omnis denique exempli documenta, quae intueri debeamus et exprimere, ad poſteros ſeruari. Eis, meminiſti, ius belli ac pacis tradi, togae bellique artes comprehendi, omnis aeui memoriam, omnium cognitionem rerum, ſacras profanaſque literas, diuinas humanaſque leges, illuſtrari. Eis, recordaris, illa contineri cuncta, ex omnium diſciplina temporum, uberrime ac grauiſſime, tradita, quibus beata ſit floreatque reſpublica, ſine quibus ea neque ſuas domi foriſque res adminiſtrare poſſit, nec ſplendorem atque decus retinere. Qua quidem iudicii tui auctoritate, ac maxima eiuſdem dignitate, ſtudia doctrinae liberalis, a multis deſerta leuiter atque ſpreta, ab omnibus hominum temporumque iniuriis facile defendimus. Eiſdem ſimul gratulamur tantae maieſtatis patrocinium, abs te, Princeps Imperii Chriſtiani, Orbiſque terrarum Decus, ſuſceptum iam pridem ſemperque praeſtitum, quod artes bonae, tuis maioribus percarae, eorum beneficiis ornatae, eorum praeſidiis tectae, in Auſtria gente conſtitutum, peruetuſto et clientelari iure, habuerunt, non minus, quam totus omnium uirtutum chorus

Digitized by Google

Hoc mihi loco, tecum, Auguſte, fas ſit, pios maiorum tuorum ſanctoſque manes, uſque ad proximum ſanguinem, uelut tutelaria quaedam diuinae humanaeque ſapientiae numina, uenerari, quorum uirtus omnium, in te tranſducta, in te confirmata, maxime uiget. Illi enim, inſita quadam indolis bonitate, eruditionis eruditorumque amantiſſimi, literis indulſerunt praecipue, omnes habuerunt iis atque decreuerunt honores, eis perfugia quoque praebuerunt, in fidem clientelamque receptas, aluerunt. Iam quanto eaſdem ſtudio coluerunt, atque ipſi armorum gloriae adiunxerunt. Quanta eas ſeueritate filiis nepotibuſque, pro magnis uirtutum adiumentis, commendarunt, quanta diligentia exornandae Principum iuuentuti adhibuerunt. Adeo certe omni cura ſunt amplexi, quicquid praeſtantium eſt diſciplinarum, ut Auſtria, tantae parens, nutrix, altrix, ſapientiae, Principum Caeſarumque, doctorum perinde, ac fortium, eoque meliorum, eo mitiorum, quo doctiorum, prouentu ſemper uberrimo in primis potuerit meritoque gloriari. Hinc illa non Reineri modo Reineccii, Steinhemii, cum Rodolphum II, Imperatorem, affatur, ſed omnium etiam, qui de Principibus eruditis ingenue

Digitized by Google

nue ſentiunt, communis ueriſſimaque ſententia, Id decus praepotenti Auſtriacae Domui paene gentilitium eſſe coepiſſe, ut Hercules Muſarum in ea recognoſcamus. Taceo de Rodolpho I, Caeſare, qui, domeſtica Alberti, patris, cognomento Sapientis, diſciplina imbutus, in amicitia Friderici II, Imperatoris literatiſſimi, literatorumque hominum percupidi, ita creſcit, ut aequales multis uirtutibus antecedat, ac deinceps, ob belli paciſque prudentiam et gloriam, imperio Germanorum praeficiatur. Hic autem Vindobonae, ubi prius idem, quem modo dixi, Fridericus Academiam condiderat, Bibliothecam inſtituit, cuius in ſcriniis etiam nunc epiſtolarum, ab ipſo ſcriptarum, codex aſſeruatur, quantiuis pretii, nec dum in lucem editus. Cur enim Imperatoris, tam ſapientis, manum non laudemus, non armis modo, ſed etiam literis, admotam. Augeatur, neceſſe eſt, ipſa gloria tanti Principis, ſi quidem ipſo etiam doctrinae ſtudio ſapientia eius nobilitetur. Quantum autem, uel in medio armorum ſtrepitu, homines eruditos amauerit heros aetatis ſuae maximus, ille documento ſit, e Tribocis, hiſtoricus, qui ab Rodolpho, in caſtris, ad Baſileam poſitis, pro libro illi nuncupato, tam clementer accipi-

Digitized by Google

tur, tam honorifice dimittitur, ut eam rem annales horum temporum minime reticendam putent. Audiatur ſimul ipſe, uel uirtutis princeps uel ſapientiae, Rodolphus, cum, ſub idem tempus, hic idem, ad eum fere modum, quo Alexander ille Magnus Achillem, Homerico uirtutis praeconio, fortunatum praedicauit, Friderico ſororis ſuae filio, qui tum aderat, prius amice monito, oſtendit, haud ſibi diſplicere, facta ſua doctis etiam uiris probari. His ſeſe, adiecit, bonorum teſtimoniis ad res, quae poſterorum memoriae tradantur, ſtrenue gerendas, acrius incitari. Optauit denique, rationem belli ſuſcepti ferre, ut ipſe, uel temporis plus euoluendis ſcriptorum monimentis, uel beneficentiam maiorem hominibus, doctrinae deditis, impertire poſſet. Sileo de Alberto I, illius filio, huiuſque filio, Friderico III, Imperatoribus, ſapientiae fama inclutis, hominumque doctorum perſtudioſis. Horum uterque, praeter cetera benigne facta, religioſorum hominum extruxit domicilium, in quo literae pariter, ac ſacra, colerentur. Alter autem illud, in Sueuia, Regii Fontis coenobium, elegans ſane atque praeclarum, religioni aeque ac literis, excitauit, alter illud, in Vindobonenſi Silua, Maurbacen-

Digitized by Google

bacenſe, muneribus largiter ornatum. Ad propiora ueniamus tempora. Huc enim nos inuitat Albertus II, celſae princeps indolis, nec minus corporis, quam ingenii, robore pollen , quantus legum, armorum ui obrutarum, uindex, tantus iuſti aequique aſſertor, tantus defenſor omnis uirtutis, omni uirtutum, omni literarum, excultus genere, ex eaque re tam diligens eruditorum, ut eorum conſuetudine multum, et cupide, utatur. Reuocetur in memoriam, cunctis obtrectatoribus doctrinae liberalis opponatur, illa uox Friderici quarti, tanto Imperii rectore digna, tam plena maieſtatis, tam crebro in ore haberi ſolita, ut pro uitae cynoſura ſumeretur, Liber regit, gladius defendit. Eis autem uerbis ille ſolitus eſt inſignire menſam, forma tripodi non abſimilem, quae librum ſuſtineret apertum, cum brachio extento, et gladium, cuius in uolumine capulus inſiſteret, extollente. Habebat enim, quod imitaretur in maioribus, in primiſque Alphonſo, qui librum apertum, pro inſigni, adhibebat, eumque ſignis militaribus appingi, iubebat. Ea enim re, ſcientiam, demonſtrabat, ex libris depromptam, Principibus conuenire, libriſque non modo placidum illud

impe-

imperium, quod legum regitur auctoritate, ſed ipſas etiam leges armorum, contineri. Itaque Alphonſus idem, narrantibus aliis, Hiſpanum fuiſſe regem, qui, literas, negauerit, decere Principes, id ſtomachans, Iſta quidem uox, inquit, hominis eſſe non uidetur. Quid autem aliud de literarum contemptoribus ſentire potuit ille, quem nominaui, Fridericus quartus, cum libro regendi, gladio defendendi, partes dedit. Idem certe iudicauit, quod Sigiſmundus Imperator dicere conſueuit, neminem imperare ſine literis recte ſcire. Ea Sigiſmundus uoce Ludouicum, Comitem Palatinum, adeo permouit, ut hic, iam canus, Latinas literas eadem cupiditate diſceret, qua Cato quondam Graecas didicit. Ceterum is, de quo mentionem feci, Fridericus, cum, magnis uirtutibus praeditus, ſapientia cunctos anteiret aequales, Imperii tribunal, diſceptandis Procerum controuerſiis, in Auguſtanis comitiis lege ſanxit, ius beneficiarium melius ordinandum, exponendumque plenius, curauit, ſumma herbarum cognitione ſuperauit omnes aetatis ſuae medicos, uirtutes, quas in quolibet amauit impenſe, praemiis donauit, extulitque multiplici dignitate. Decoris autem delectatus ingeniis, Conradum Celtem ipſe, non,

Digitized by Google

non, ut aliqui prodiderunt, eius filius, de Germanis primum, laurea Poetica donauit, Latini sermonis usui studuit, Bibliothecam, Vindobonae a maioribus relictam, Aeneae potissimum Syluii, Georgiique Purbachii, opera, omni monimentorum genere liberaliter auxit. Hac quoque singulari temporum suorum fortuna usus est, ut, arte formis exscribendi libros inuenta, linguae etiam Graecae studio, per Rodolphum praecipue Agricolam, Theodori Gazae discipulum, instaurato, politioris in Germania humanitatis incrementa noua pluraque uiderit. Haud capiat Maximiliani I merita, qui malit, eum doctrinae fautorem, quam parentem, dici. Huius enim, qui doctrinae studiis nihil opis non ferret, auspiciis Ebraeae literae, Graecae simul ac Latinae, una cum omnis disciplinae elegantia, adeo in Germania efflоruerunt, tantaeque nostris hominibus fuere dignitati, ut omnis ingenii cultus ex Graecia Latioque, ex ipso etiam Oriente, ad Germanos commigrasse uideretur. Hoc industriae nobilioris duce, historiarum antiquitatisque cognitio in Germania, adhuc rigida, et armis amiciore, quam literis, erui coepta est atque excoli, illustrium familiarum origines, stirpes, propagines, perueſtiga-

Digitized by Google

tae sunt ac digestae, amplissima quoque studiis liberalibus domicilia publice constituta. Ipse enim Caesar, doctrinae amantissimus, primo Imperii conuentu, qui apud Vangiones agitur, Septemuiros creandis Imperatoribus cohortatur ad publicas scholas, quas Academias dicimus, in ipsis cuiusque finibus, munifice condendas. Hortationis, quae omni saeculorum memoriae mandabitur, uim ponduſque non solum Viadrina testatur, quam statuit Ioachimus I, Septemuir Brandemburgicus, sed haec etiam sedes literarum. Hanc aliquot annis ante Fridericus, cognomento, et bono reipublicae, Sapiens, instituit, ad eam rem gerendam, auctoritate Maximiliani perductus, qua nihil antiquius habuit. Imperatoris enim tanti meritis spectatissimis totum se dedit, eisdem quoque suam de Austria gente opinionem adeo auxit, ut ipse, Princeps modestia singulari, Augusta dignitate, sibi delata, nepotem Maximiliani mortui, Carolum, quam se, digniorem iudicaret. Ipse uero Maximilianus librariam supellectilem, a maioribus relictam, nouis copiis instruxit, eamque, Conradi Celtis opera, primus in modum bibliothecae iustae redegit, primus, certa stabilique locatam sede, e priuata conuertit

tit in publicam. Non Ioannem modo Cuſpinianum ſuum, eleganti doctrina prudentiaque nobiliſſimum, quicum in multam ſaepe noctem de republica ſermones produxit, uerum alios etiam uiros eruditos, ualde amauit, et, habitos liberaliter, fouit, eoſque non ſolum Vindobonae, ubi primum mathematica et poetica plenius lumen receperunt, decretis munifice ſtipendiis, ſed, in aliis etiam locis, praemiis, excitauit. Magnum erat, paci, deſcripta in tractus regioneſque Germania, caueri, morumque ferociam, legum diſciplina, et ſummo atque ſtato, quod publicas lites dirimeret, Imperii iudicio, compeſci. Sed quo tandem ponas in loco, ingenia humanitate literarum mitigari, et, eruditione ſuis reſtituta fontibus, effici, ut Germania non minus armorum et imperii, quam bonarum praeſtantiumque artium, gloria floreret, nullaque illius aetatis extera natio, ciuili cultu, cum gente noſtra comparanda uideretur. Tam inſigni Caeſar laude, tam commemorabili plurimarum artium et linguarum cognitione, praeditus, quantum, inter infinita reipublicae negotia, reſpexerit ad literas, quantae porro ſcientiae, quantae ſimul in ſcribendo docendoque prudentiae, documenta multis modis dederit, lo-

Digitized by Google

quuntur illorum ſcriptores temporum, pronuntiant doctorum, qui nouerunt eum, iudicia, libri, ab eo Vindobonenſibus praecipue ſcriniis relicti, confirmant. Is enim, ſicut accepimus, ipſis in caſtris multa legebat, nec modo cum doctis de religione, de republica omni gerunda, diſſerebat, ſed etiam de liberalibus aliis artibus, de ſiderum motibus, de aliis rerum naturalium cauſſis, nec minus de hiſtoriis, commentabatur, nec erat res ulla, hominis ingenui cognitione digna, in quam ille uim animi non intendiſſe uideretur. Quanquam externarum oratores gentium, linguis popularibus loquentes, intellexit, Latina tamen uſos libentiſſime audiuit, eademque reſpondens eis, de magnis ſaepe rebus ſapienter perorauit ac diſerte. Nec uero quaedam Germanice tantum, animi cauſſa, luſit, ita quidem, ut grauiſſimam quamque doctrinam iucunde traderet, ſed etiam non nulla, Latinis mandata literis, dictione ſimplici ac terſa expreſſit. Hoc ſtudio, ad imitationem C. Iulii Caeſaris, primi Romanorum Imperatoris, commentarios rerum, ab ſe geſtarum, confecit, alium quoque compoſuit librum, quo animalium perſcrutatus eſt indolem, ſolertiamque reconditas inueſtigandi cauſſas ac perſpiciendi declarauit.

Ex

Digitized by Google

Ex iis autem monimentis, quae, manu exarata, e Vindobonenſibus Caeſareae Bibliothecae pluteis, nominauit Petrus Lambecius, hic nullum laude, nullum publica luce, dignius cenſuit, eo, quod, oratione proſa conſignatum, continet uitam, ac geſta, Friderici quarti, et Maximiliani primi, Imperatorum. Hoc inſcribitur Rex Sapiens, atque hoc elogio praeclari effigiem imperii, factis adumbratam, promittit, eamque uerius multo atque incorruptius deſignat, quam illa deſcriptio Cyri Xenophontia, nobis laudata ſuperiore loco. Ita ſummae Princeps gloriae, exemplo Iulii, Imperator ſimul fuit et orator, ipſius etiam reipublicae, literis cultae, dictator. Quam beneficum patriae patrem, tam magnificum doctrinae liberalis uel reſtitutorem uel exornatorem, ſe praebuit, eam meritus laudem, ut, hoc Caeſare claris ingeniis proſpiciente, nemo, qui ualuerit ingenio, cognituſque fuerit, literas infeliciter tractaſſe dicatur

Ad bellicas artes, quam ad literas, proni-or, armorum, quam librorum, amantior, fuit Carolus V, eamque indolem prodere uiſus eſt non obſcure, adhuc puer. Cum enim, octauo aetatis anno, Mechliniae ab Luca noſtrate pin-

Digitized by Google

gendus esset, ad diuersa saepe loca respexit, quietis impatiens, quae facultatem pingendi daret. Sed, telum, egregie fabrefactum, conspicatus, quod, e regione, ad parietem, esset collocatum, in eius aspectu defixus haesit, ut, quod antea fieri non licuerat, pingi commode posset. Quod animo, pro sagacitate sua, cum prouideret Maximilianus, auus hic, nepotem suum, ad artium bonarum studia, praesente Hadriano, magistro, cohortatus, Turpe, inquit, Principibus, nescire literas, sed multo turpius, a bonis moribus, ac uirtutibus, alienos, superbiae, auaritiae, aliisque uitiis, indulgere. Carolus autem, ad summa genitus, etsi nihil admisit, quod indignum foret spe uirtutum regiarum, maturius tamen, quam factum deinceps ipse uellet, a literis abscessit. Vt, rerum potitus, animaduertit, sine uiris, prudentia doctrinaque ornatis, rempublicam geri non posse, eos, e turba erutos, ad honores euocauit, et, adhibitos ad consilium, plurimi fecit. Itaque, ut comperit, Thomam Morum, et Ioannem Roffensem, in Britannia, morte multatos esse, non sine doloris manifesti sensu, Si meis in Regnis, inquit, huiusmodi duo haberem lumina, equidem satius ducerem, munitissimam quamque ciuitatem, quam eos, amitti.

Digitized by Google

mitti. Succenſuit etiam ſibi, ſe, indignatus, in colendis doctrinarum ſtudiis, aliis morem potius geſſiſſe, quam Hadriano Florentio, quem, ob gratam priſtinae diſciplinae memoriam, tanta proſecutus eſt beneuolentia, ut ei, praeter honorum ſacrorum gradus alios, ipſum denique Pontificatus maximi ſacerdotium conciliaret. Omnia doctrinarum ſtudia dilexit atque protexit, ac dignitati doctorum fauit, e quibus cum Romulum Amaſaeum, de pace, in magna maximorum principum corona, oratione perpetua, dicentem, Bononiae ſingulari cum attentione, audiſſet, tum uero ille hac tanti Imperatoris gratia, uelut parta iam immortalitate, triumphauit. Hic idem Caeſar, quo pulchrius, frequenti doctorum conſuetudine, medicas, phyſicas, mathematicas, calluit artes, eo plus earum ſtudiis tribuit, atque his oblectauit otium ſuum. Quo factum eſt, ut nullis medicamentis, quae prius ipſe non conſideraſſet atque exploraſſet, uſus dicatur, ut de ſitu Orbis, de motu ſiderum, plura haberet cognita, quam complures alii, et ii quidem his doctrinis praecipue dediti, noſſent. Huius cognitionis exercitatio tantae uoluptati fuit ei, ut, in bello Germanico, Petrum Apianum Ingolſtadio in caſtra, opi-

do

Digitized by Google

do uicina, euocaret, Turrianumque, Cremonenſem, et alios, rei mathematicae principes, haberet familiares, ut Auguſtinum Niphum, Italorum doctiſſimum, Neapoli ad ſe arceſſeret, ut coeli orbiumque coeleſtium aſpectui, ſicut apud Lucanum Caeſar ille memoratur, ipſis in caſtris, ipſo etiam medio belli ardore, uacaret. Plurimum delectatus libris hiſtoriarum, quarum ſuauitate ſolitus eſt ipſas epulas condire, eam rerum notitiam, non tam ad animi uoluptatem, quam ad utilitates, in republica capiendas, retulit, neque recentes modo, Germanicos, Hiſpanicos, Gallicos, alioſque, perquiſiuit annales, ſed ueterum etiam uiciſſitudines regnorum, animo pertractatas, ſuis ponderauit ueriſque cauſſis. In primis, praeter Philippum Cominaeum, tulit in oculis, habuit in deliciis, ut ſcriptum legimus, Thucydidem, quem cupide euoluit et aſſidue, quem, inſigni grauitate prudentiaque excellentem, amicis commendauit, adeo, ut requireret ab iis, quid in eo legiſſent ipſi, cum iiſque ſua, quae legiſſet ipſe et obſeruaſſet, non ſine animi uoluptate communicaret. Poſtremo, cum bella plura geſſiſſet, quam alii legiſſent, Columnas Herculis protuliſſet, nouum Orbem, Ferdinandi, aui materni, auſpiciis inuen-

Digitized by Google

inuentum, ulterius ampliſſimis aperuiſſet ſpatiis, illatiſque ſacris Chriſtianis, barbararum gentium feritatem paullatim mitigare coepiſſet, primus terrarum Orbem per ſuos circumnauigaſſet, operibuſque tot immortalibus editis, cunctis ſeſe uenerabilem feciſſet, ipſe hiſtorici ſui perſonam ſumpſit. Paternum enim auum, Iuliumque Caeſarem imitatus, rerum, ab ſe geſtarum, quas omnis mirabitur poſteritas, adhuc nemo pro dignitate compoſuit, commentarios, ſed nondum editos, cohortationemque ad Philippum II, filium, dignam Regum ſtudio, confecit.

Vt pacis fuit amans Ferdinandus I, ſic literas, pacis alumnas, habuit cariſſimas, et, ipſe doctus, magiſtroſque, Lodouicum Viuem, ac Deſiderium Eraſmum, ſecutus, ſingulari clementia munificentiaque doctrinas aeque, ac doctos homines, ornauit. Eius Regia prudentibus, et eruditis omni ſtudiorum genere, uiris ita uiſa eſt affluere, ut Academiae nulli cederet. Eius ſermo tanto reſperſus fuit eruditionis ſale, ut ipſe doctiſſimo cuique ſui admirationem iniiceret, idque uel in ipſis artibus mathematicis, quas, diſcendi percupidus, hauſit puer, quas,

Digitized by Google

aetate progreſſus, ita coluit, ut orbium praecipue coeleſtium contemplatione animum, curis regnandi feſſum, recrearet. Quo uiuis inſignius prodeſſet, mortuos coluit, hoſque ſuos eſſe conſiliarios optimos, multoque fideliſſimos, pronuntiauit. Denotauit autem monimenta ingenii, ab aliis relicta, quae, ſapienter condita, metu gratiaque uacarent, quae nihil aſſentationis haberent ac fraudis, tantoque apertius ac fidelius cuncta, quae ſcire uellet ipſe, exponerent ſibi. Tantum libris cum tribueret, inſignibus paſſim ſuis appinxit librum, ea quidem re profeſſus illud, ſuis, de quibus diximus, uſitatum maioribus, Liber Regit, pro ſuaque ſimul ſapientia teſtatus, doctrinae literarumque tutelam ac patrocinium praecipue ſibi fuiſſe commendatum. Eat in ſaecula uox illa, quo noſtris temporibus inſolentior, hoc pluribus fortaſſe mirabilior, ſed Auſtriae ſapientiae conuenientiſſima, et, argumento doctrinae, cunctis opibus, ſplendori, deliciis, antelatae, eximia. Ferdinandus enim, aliquoties perſancte confirmans, Malo, inquit, gemmas theſauroſque cunctos diſperdi, quam literas, quas ſcio permodicas, neſciri. Namque, ut Criſpus ait ille, magnae diuitiae, ad hoc uis corporis, et alia omnia huiuſcemodi,

Digitized by Google

di, breui dilabuntur. At ingenii egregia facinora, ſicut anima, immortalia ſunt. Sic de ſummis ingenii operibus, quibus procuretur imperandi felicitas ad poſteroſque ſeruetur, Ferdinandus ſenſit, ſic alios, qui ſequantur inferiora ac minus erudita, ſpreuit, imitatus, in ceteris ſuae ſtirpis, propatruum matris ſuae, Alphonſum, Hiſpaniae et Neapolis regem. Apud hunc enim, oſtendit, minus honoratos fuiſſe reges illiteratos, huius dicta referre conſueuit, huic, noluit, ſanguinis cognatione, quam uirtutis aemulatione, coniunctior uideri. Hic autem ipſe laudatiſſimi Rex exempli non ſolum in aliis ſuum literis decus rependit, ſed etiam in ſe ipſo, adeo, ut, regnis ſeptem potitus, malle ſe, contenderet, ſi grauis aliquis caſus optionem ſibi det, omnibus regnis exui, quam doctrina. Similiter Robertus, rex Neapolitanus, magnus Petrarchae, magnus Bocatii, fautor, literarumque, e temporum barbaria paullatim emergentium, adiutor, cariores ſibi literas eſſe, regno, praedicauit. Sicut autem idem, quem nominauimus modo, Alphonſus omnia monimenta priſci uerſauit aeui, ſic Ferdinandus aliquam temporis partem, a publicis occupationibus quae uacaret, in lectionem collocauit. Et, quanquam

Digitized by Google

grauissimos scriptores otio suo delegit, non minus tamen libenter, quam Alexander ille, delectatus Homero, legit, ut accepimus, poemata, sed illa priscae memoriae praeclara, et excelsae doctrinae plena. In primis, cum prudentissimo quoque, historias ueteres, illas prouidentiae diuinae interpretes, illas omnis prudentiae magistras, expendit. In omni morum disciplina nullum locum sibi utiliorem censuit, quam de officiis. Augustus olim ad suum ex filia nepotem accedit. Hic, aui subito perterritus aduentu, uolumen Ciceronis, quod manu tenebat, toga contegit. Re, Caesar, animaduersa, librum sibi poscit. Traditum, magna ex parte, stans, euoluit. Lectum reddens puero, Doctus uero, inquit, hic uir, fili, et amans patriae. Quodnam fuerit opus illud Tullianum, utrum de Republica, an de Officiis, an aliud, Plutarchus non adiicit. Tanta tamen est librorum, de Officiis, praestantia, ut, consentientibus facile cunctis, in his potissimum libris Cicero mereatur illam Augusti laudem, in quibus Graecae sapientiae [illegible], et patriae caritas ubique flagrat. Tanta quoque est ipsius auctoris opinio de hoc opere suo, ut senex, diuturno reipublicae usu exercitatissimus, non dubitet, munus hoc, ad filium Athenas missum, uoca-

uocare magnum. Quod quidem uere magnum esse, magnisque populorum rectoribus dignum, C. Plinius Secundus, grauissimi homo iudicii, demonstrat. Hoc opus enim non modo in manibus quotidie habendum esse, sed ediscendum etiam, ad Principem mirae uirtutis atque eruditionis, scribit, Titum Vespasianum. Nec uero aliter Alexander Seuerus, optimus Imperator ac doctissimus, iudicauit, cum soleret huic praecipue monimento ingenii Tulliani impertire, quicquid temporis haberet, a muneribus reipublicae uacui. Hoc intellexit idem Ferdinandus, quem supra demonstrauimus, hoc iudicio suo comprobauit, nec tamen ignorauit, quae Cicero de Officiis praeceperit, ex his Ambrosium multa quidem deligere, alia nihilo secius, ex praescripto disciplinae sanctioris, emendare. Suum igitur Tullio tribuit, in eoque multa, cum Augusto Caesare, atque aliis, probat, ac sibi consideranda proponit. Sanctiora tamen, grauiora, certiora, reperit his in libris, quos Ambrosius, de officiis hominis Christiani, reliquit. Haec igitur praesulis Insubris praecepta multo triuit studio, quae adolescentulus combiberat, quae in animo tam alte defixerat, ut ea retineret omni uita. Easdem uiri sanctissimi doctri-

Digitized by Google

nas tam familiariter adhibebat, ut ex eis, quod certa auctorum fide constat, integras saepenumero sententias, in grauissimis rerum deliberationibus, memoriter recitaret, earumque sibi rerum cognitionem, ad rempublicam regundam, magno esse usui, magnoque adiumento, iudicaret. Notat Augustinus istos, qui Ciceronis linguam mirentur, pectus non item. Ferdinandus autem non solum Ciceronis pectus intellexit, sed idem etiam, ex Ambrosio didicit, emendare. Omnes igitur, Principes maxime ac Reges, a Ferdinando discant rectum, ac praecipuum, quem postulat uir diuinus, Tullianae facultatis usum, et, quam cortice pulchro pulchrior sit nucleus, monitore tam graui, cognoscant. Sed, eiusdem Caesaris iudicio, omnes commonefiant, nihil, quod pulchritudinis speciem gerat, admittendum, nisi uerum sit idem atque sincerum. Hic ille est Ferdinandus, cuius, regiae in Boiohemo successionis ius in Austria gente fundantis, auspicio, in publicis huius regni comitiis, per singularem, memorandumque posteris, artium liberalium honorem, decernitur, ut, quicunque semel ad studia literarum se dederint, hos, nefas sit, a bonis his artibus, ullo herili iussu, reuocari. Hic idem Ferdinan-

Digitized by Google

dinandus est ille, cuius. indolem, uere regiam, ingenium, probitati uirtutique natum, docilitatem incredibilem, amabilem moris grauitatem, animi excelsitatem, singulari iunctam humanitate, Desiderius Erasmus eximie collaudat. Sed ea commemorat, ut, qualem literis fugientibus statorem, uel natura, uel doctrina, Ferdinandi dederit, ostendat, eumque immortali posterorum memoriae tradat. Ac merito quidem gaudet, hunc Principem tam singulari in se gratia uti, ut suum, de Principe instituendo, libellum semper in manibus habeat, multo etiam magis, quod ab Imperatore tanto praeceptor ipse dicatur. Ea uero re non magis Erasmi felicitas praedicanda est, quam ipsarummet literarum, quibus docendum se regendumque Caesar ipse permittat. Itaque Ferdinandus talem Principem moribus suis praestitit, qualem Erasmus informauit, eoque plus gloriae suscepit, quod, in stirpe uirili, aemulationem tantae uirtutis suae confirmauit. Etenim tam laudabilem, ac felicem, institutionis domesticae curam gerit, ut summa, tum prudentiae, tum literarum, ornamenta in tribus eluceant eius filiis, hique totum Imperium in expectationem sui quam maximam adducant

De

Digitized by Google

De quibus ille Maximilianus II, tam singulari ingenio atque industria fuit, uti praeclaras utilesque res excogitauerit, tam literis eruditus, ut ornate loqui cum literatis potuerit, ut de ipsis, eorumque doctrina, et subtilissimarum studiis artium, grauissimum iudicium fecerit, ut homines, literarum studiis claros, pro quibus ille Germanorum Hermogenes, Ioannes Sturmius, uerba faciat, adduxerit in opinionem, quoad ipse uitam produxerit, a barbaria non esse metuendum. Visus est non nullis, si non anteponendus Mithridati, at ei comparandus certe. Vt enim ingeniosissimus hic potentissimusque rex singulos diuersissimarum regionum populos, qui sub eius imperio erant, sua quemque lingua compellauit, sic Maximilianus, Imperator, Italos, Hispanos, Gallos, Germanos, Belgas, Boiemos, Pannonas, non Latine tantum loquentes intellexit, uerum linguas etiam singulorum calluit, ut si natus esset iisdem in gentibus, et puer apud eas adoleuisset. Satis ad laudem Principis esse uidebatur, Latina uti oratione, non obscura, neque indiserta, sed, illum simul et tersa, et splendida, et profluente uenustius, usum fuisse, tradunt. Nec uero minus uaria, quam eleganti, imbutus disciplina, multam antiquitatis,

Digitized by Google

tis, multam ſcientiae lectiſſimae cognitionem, in omni uitae conſuetudine, declarauit, ſapientiſſimis abundauit ſententiis, hiſque, ex omni ſcriptorum genere delectis, et orationem perſperſit, et grauitatem iudicii probauit. Cum, in perquirenda rerum natura, diuinam prouidentiam, cui totum ſeſe tradiderat, contemplaretur, rerum, in receſſu naturae retruſarum, tantas copias exprompſit, ut Cratones, at quantos uiros, obſtupefecerit. Atque etiam doctrinae ſtudium tanta perſecutus eſt cupiditate, ut, cum minus ſaepe, una, amplius, hora, accubaret, interdum tamen, in colloquia, de rebus maxime naturalibus, delapſus, ſermonem longius produceret, ſui uelut oblitus. Sic ingenia magnae laudis tuenda ſuſcepit, ſic literas, in aliis perſpectas, coluit, ut, ſi res eius more iudicioque diiudicanda ſit, artes liberales Principibus, magniſque uiris, et magnae omnino curae eſſe debeant, nec mediocriter ab eis ornari. Huic autem idem, quod D. eius Patri, euenit, ut et communis literatorum patronus haberetur, et eius Regia nullo eruditiſſimorum hominum genere uacaret, maxime tamen prudentibus rerum ciuilium, mathematicis, hiſtoricis, poetis, medicis, frequentaretur

Digitized by Google

adeo, ut nullius Academiae celebritati cedere uideretur. Iuſtus quidem Lipſius, cum Vindobonae uerſatus eſt, comperit id, quod fidenti animo aſſeuerat, unam Caeſaris huius aulam plures eruditos habuiſſe, quam aliorum tota regna. Ipſam quoque iam Bibliothecam Auguſtam, ab eodem Maximiliano ſic omni genere monimentorum, reperit, inſtructam, ut, eius ſententia, Imperator, tam magnificus, certamine cum Philadelpho Pergameniſque regibus inſtituto, eos uel ſuperare, uel aequare ſaltem, poſſe uideatur. Satis fidei, de Rodolphi II erga literas amore, facit eadem Bibliotheca Caeſarea, quam multis maximi pretii incrementis amplificauit, facit etiam gratia, quam inierunt apud eum eruditi, ex omnibus Europae regionibus Pragam ſummis praemiis inuitati, lauteque habiti, maxime Tycho Braheus, Ioanneſque Keplerus, quibus nihil, ingenio ſcientiaque ſubtilius, aetas illa tulit. Nec uero minus curae, in prouehendas collatae ſcientias, Rodolphinis tabulis ſignificatur, quas, ipſomet hoc Caeſare auſpice et hortatore, coepit Tycho, continuauit Keplerus, tandemque perfecit. Nihil enim illius aeui legerit is, nihil audierit, oportet, qui neſciat, ipſum Rodolphum non modo contemplationibus Mathema-

Digitized by Google

thematicis mirifice delectatum fuiſſe, ſed ſuis etiam ingenioſe inuentis, in hac aliaque doctrina recondita, eo progreſſum, ut, quaeſtionibus propoſitis, ſumma multorum ingenia defatigauerit. Mirum etiam eſt, ut eius munificentia in homines doctos ſeſe effuderit, ſed ea adeo communi ſeruiit utilitati, ut congiariis ſtipendiiſque plures eſſent auctorati, quaſique ſacramento obligati, ad ſeueriſſimas artes omni induſtria limandas. Idcirco, quam mitem eum bonumque, ac pacis amantem, reſpublica praedicat, tam ſalutarem ſibi, non modo rerum quiete, ſed etiam dignitatis defenſione, poſteris literae prodent. Et certe ea eſt gloria aetatis Rodolphinae, ut dubitandum uideatur, multis ne, ante id tempus, ſaeculis Germania doctior, et maiore omnis eruditionis ubertate, fuerit, ea dos eſt eiuſdem aetatis atque ſors, ut uiris ſimul politiſſimis gentes externae florerent. Nec uero Matthiae indoles, liberalis illa, et liberaliter inſtituta, literarum dignitati non fauit. Huic, artium bonarum amanti, dux induſtriae datur Augerius Buſbequius, quo neque eruditiorem, nec Principis educandi prudentiorem, id temporis reperire poſſes. Ipſe quidem Iuſtus Lipſius fortunae munus, non tenue, ponit in ea diſciplina, quae

Digitized by Google

multum bonae frugis promiserit. Hac igitur euadit, qualis sperabatur, uirtutis ac doctrinae studiis ornatus. Qui quidem, cum placidis esset moribus, ac paci, quantum posset, consulendum putaret, ea re cupiditatem declarauit, bene de omni rep. merendi. Retinet certe amorem literarum, tum suo ductus iudicio, tum paterni fraternique instituti memoria incitatus. Sed in eas rerum difficultates incidit, ut laboranti literarum causae minus subsidii, quam cuperet, ferre posset. Huius igitur Imperatoris, per se mitis atque clementis, uoluntati nihil uidetur, praeter quietem temporum, defuisse

Egregium Principis, armis literisque clari, specimen dedit Ferdinandus II, qui, prout ipse multum eruditionis habebat, in literas, earumque studiosos, magna utebatur beneuolentia; et, pro grauitate sua, homines, ingenio praestantes, moribusque graues, multa caritate, multisque beneficiis, complectebatur. Horum operam compluribus magnisque rebus adhibebat, hos efferebat honoribus, horum sermonibus cupide perfruebatur, horum disputationibus, in publica certamina deductis, interesse non grauabatur. Ipsum autem filium, Ferdinandum, qui

qui poſtea ſtationi paternae ſucceſſit, ſaepe multumque, ac grauiter, cum ad uirtutes alias, tum ad amorem doctrinae, cohortari ſolebat. Tantam etiam curam filii, optima doctrina imperti-endi, gerebat, ut ipſius, uarias literarum exercitationes obeuntis, res inſpiceret, ut ipſum, in eruditorum circulo diſputantem, audiret, ſtipatus uiris ſplendidiſſimis ac doctiſſimis, quos ex intimi conſilii ſui penetralibus adduxerat. Re bene geſta, filium amplectitur, eum in ſtudio doctrinae confirmat, quantumque dignitatis ex eo redundet in fortunam Principis, oſtendit. Pari modo procerum filios, ſtudia aemulantes, accipit blande, laudatos, ad inſtandum operi, tenendumque laudis propoſitum, accendit, qui uirtute ceteros antecederent, his praemia doctrinae pollicetur. Ne palaeſtrae ingenii, induſtriae curricula, ciuibus uſquam deeſſent, Gymnaſia iuuentuti, diſciplina erudiendae, in hereditariis regnorum prouinciis, plurima condidit, Academiaſque, uel collapſas reſtituit, uel nouas excitauit, uel inſtitutas ab aliis confirmauit. Ferdinandus III ſpem progenitoris ſui haud fefellit, ipſum etiam felicitate uicit, Imperium, quod diſtractum bellis turbulentumque acceperat, redintegrata pace, qua fluctuantem ſimul

Digitized by Google

Auſtriae fortunam firmauit, quietum uidit ac tenuit, multoque pacatiſſimum reliquit. Nactus hoc rei gerendae tempus, quantum reipublicae otium, tantum literis praeſidium, attulit, ut artes bonae, quas uis obruerat ac metus, liberatae periculo, emergerent, in ſuaſque reſtitutae ſedes, dignitatem, iniquitate temporum labefactatam perditamue, recuperarent. Dabat autem doctis talem ſui conueniendi aditum, ut eos nunquam triſtes, ſemper gratia ſua laetos, prudentia doctrinaque ſua captos, dimitteret. Tanta liberales diſciplinas cura tuebatur, tanta benignitate ſubleuabat, ut eas, in intima regnorum ſuorum penetralia admiſſas, foueret, aleret, conſeruaret, ob eamque cauſſam uindicandis earum incrementis exoptandus uideretur alius nemo. Quam grauiter ſapienterque literis uti ſciuerit, indicio eſt libellus ille neruoſus, qui Princeps in Compendio inſcribitur, ab ipſo ſcriptus, ſymbolam tamen conferente Leopoldo Vilelmo, eius fratre. Hoc ingenii doctiſſimi monimentum Leopoldus Magnus in deliciis habuit, ſuaque manu Petro Lambecio dedit muneri, id, ſimul iubens, iterum ob ſui praeſtantiam, formis excudi. Is autem, quem nominaui modo, Lambecius aureolum hunc libellum iudicat,

Digitized by Google

dicat, dignum praeterea, quem Principes ad uerbum ediſcant, neque aliter, quàm abſolutiſſimum quoddam ſapientiae hegemonicae enchiridion legendum ſibi tractandumque ſumant. Atque hic quidem doctor Auguſtus, gloria ſapientiaque par, de Principum educatione cum praecipit, curam, docet, eſſe adhibendam, ut Principum filii liberalibus doctrinis inſtituantur, propterea, quod eis prudentia reipublicae regundae pariatur. Hic idem, probato Ioannis Marianae, ſcriptoris prudentiſſimi, iudicio, ſuadet, ut omnia, quae ad uirtutem pertineant augendam, mature tradantur, eoque prudentiam, comitatem, fortitudinem, iuſtitiam, ipſam denique doctrinam, refert. Habeatur uero ille, habeatur merito, ſaluberrimi auctor conſilii, quem non ſolum imperandi uſus docuerit, ſed ipſa etiam diſciplina, magna uarietate diligenter expromens ei, quicquid lectiſſimarum fuit artium. Ea ille re tantum conſecutus eſt, ut matheſeos omnis, rei bellicae, architectonices militaris, eſſet apprime peritus, ut, ſumma ingenii ſagacitate, abditos naturae receſſus exploraret, ut, excuſſis omnium aetatum monimentis, ſacras profanaſque res, exempla ducum, monita ſapientum, memoria teneret, ut, in ſubducendis

tempo-

Digitized by Google

temporum rationibus, exemplo C. Iulii Caesaris, uersatissimus, omnium temporum seriem concinnam digereret, ipsiusque magistri Belgae, eis exercitatissimi literis, Henrici Philippi, expectationem, ingenii uiribus, longissime superaret. Taceo scientiam iuris, quam, in Vindobonensi Athenaeo institutam, in Pragensi Lyceo instauratam, ex uetustis Caesarum tabulis ac rescriptis, ad saeculum suum, optimis legibus temperandum, sanctissimis institutis exornandum, contulit. Mitto eloquentiam, tum rerum ac sententiarum pondere grauem, tum uerborum flumine disertam, qua domi militiaeque tantum ualuit, ut ciuium non minus animis, quam corporibus, imperare uideretur. Facilius est, mente, quam oratione longa, repetere, quae, pluribus iam scriptoribus memorata, debent eius in literis prouidentiae, Vindobona in Austria, Graecium in Stiria, Tirnauia in Pannonia, Praga in Boiemia. Atque haec quidem ultima Caesaris huius memoriae adeo deuincta est, ut, Academiam suam propterea Caroloferdinandeam dici, uelit, quod ea primum sui conditorem Karolum quartum habeat, alterum colat Ferdinandum. His igitur, aliisque, claris argumentis atque signis, lucent Imperatoris huius meri-

Digitized by Google

merita, fidemque praesagitioni faciunt, de primis eius annis continuo iactatae, fore, ut literarum studia, uel hoc floreant rege, uel nunquam. Habuit, de Ferdinando IV quod speraret, cum omnis respublica, tum literata. Hunc enim, narrant, optimarum studiis artium diligenter eruditum, et ingeniis fauisse non ignobilibus, et rerum ciuilium tractationi multa prudentiae adminicula, ueteris doctrinae studio, comparasse. Sed eum, magnam patriae, magnam Imperii, spem, fata terris ostenderunt potius, quam dederunt, immaturoque eius decessu indolis tam fulgentis desiderium, haud mediocre, commouerunt. Minus abstulerunt tamen, quam reddiderunt, successione fratris, Leopoldi, in magni Patris locum surrogati. Huius enim principatus, terrarum Orbi auspicatissimus, cum omnibus belli togaeque artibus floruit, tum, inter ipsas bellorum, tot grauissimorum, turbas atque solicitudines, tantum literis, uel opis tulit, uel decoris adiecit, ut eae, multis rebus auctae, multis ornamentis honoratae, alterius cuiusdam Octauiani Caesaris, Augusti, praesidium, aut eo plus, recepisse uiderentur. Nam diuini Princeps ingenii, omni doctrinae elegantia, omni disciplinarum pulcherrimarum scientia, omnis aeui, lin-

Digitized by Google

guarumque plurimarum, cognitione, ſupra, quam laudari, quam credi, queat, inſtructus ac perpolitus, iis certe rebus, quae conueniant in magnae cultum fortunae, excelluit uniuerſis, in quibus ſingulis, alii magnum fortunae munus putauerint, inſignius ab ſe quiddam fieri. Quo doctrinae ſtudio flagrauerit, negotiorumque moleſtias abſterſerit, uirtutis Caeſar excellentiſſimae, quam amice de ſtudiis literarum, quam uere ſcienterque, iudicauerit, quam multa, in tanta curarum mole, legerit, quas nouas Codicum rariſſimorum copias Auguſtae Bibliothecae adiunxerit, qua frequentauerit eam cupiditate, pluribus exponere, neceſſe non eſt. Hoc enim cognitum habent quam plurimi, et, ſi qui neſciant id, huius admoneri certe poſſunt uel unius teſtimonio Petri Lambecii. Hic enim, quae ſpectauit audiuitque, commemorat, Leopoldi familiaris, cuius epiſtolis mandata, Caeſaris in Bibliotheca opperiendi, accipit, a quo negotium habet Bibliothecae huius commentariis illuſtrandae, eoque maiorem facultatem, cum Imperatore coram agendi, a quo, libros ex aliis locis conquiſitum, e latibulis extractum, aſportatumque Vindobonam, mittitur, itinerum denique plurium comes aſciſcitur, ut priuata Impera-

Digitized by Google

peratoris ſtudia non poſſit perſpecta non habere. Sed Leopoldinae praeſtantia ſapientiae nec teſtem domeſticum, neque praeconem ullum, deſiderauerit, quam tot eruditorum collegia, auſpicis inſtituta Leopoldinis ac defenſa, oſtendant, quam tot literarum et bonae mentis ſacraria, uel adaucta iuribus et perfecta, uel eis donata recens et conſtituta, uſque eo celebrent, ut Caeſaris nullius auctoritas plures Academias confirmauerit, quam ſimul ipſius doctrinae cultus, a Carolo quondam, uel ob eam quoque cauſſam Magno, in Germaniae fines introductus, ſed in faſtigium prouectus Leopoldino ſaeculo, demonſtret, quae poſtremo fama ſui praeſentia repleat tempora, nec unquam futuris obſoleſcat. Hos ciere generis altiſſimi Patres, hos Imperatores ſubſidio praeſtantibus ſtudiis adducere, in his praeſidia eorum perpetua conſtituere, his eorum defenſoribus niti gloriarique, quid aliud eſt, quam dignitatem literarum, contemptione imperitorum proiectam, non extolli modo, ſed eam in ipſo etiam faſtigio collocari. Cedat igitur obtrectatio doctrinae liberalis, ſummorum nominum auctoritate compreſſa. Obmuteſcat maleuolentia, clamoribus inconditis oppugnans honeſtam diſciplinam, quae, maxi-

Digitized by Google

mis assertoribus, ab omni contumelia uindicatur. Supereſt, ut uideant omnes, auctoribus tam auguſtis, propugnatoribus tam potentibus, qui literarum adiumentis, ad res domi foriſque feliciter adminiſtrandas, ad ipſam terrarum Orbis fortunam, tanta ſaeculorum ſucceſſione, moderandam, ſint uſi, deſpici merito poſſe uoces, quibus optimas artes rude barbarumque uulgus inceſſat

Iam quantum ad opinionem uirtutis ingeneratae ualet, naſci patre ſapientiſſimo, quantum, ad expectationem laudis inuſitatae, ab eodem patre educari, eius imbui praeceptis, eius conſpectu, auctoritate, uoce, ad maieſtatis Imperatoriae decus, doctrina ornandum, excitari. Sed haec ipſa felicitas tibi, Caeſar Optime, haec Diuo Fratri tuo, contigit, ac ſaeculo potius, ueſtris exornando meritis et cumulando, humano potius generi, quod iuuandum tuendumque uobis eſſet. Eſt autem haec felicitas fato tam benigno uobis oblata, uti uos naſcentes exciperet uirtus, natos uos excoleret doctrina, quantumque ſplendor originis, tantum flagrans auitae gloriae imitatio, uos aequalibus anteferret. His igitur excellentis animi bonis, quibus gaudetis, nihil fortuna ueſtra uel melius habet, uel maius,

Digitized by Google

ius, nihil spes ciuium, in uestris auspiciis sita, uel salutarius habet, uel optatius. Ea re accidit, uti Iosephus, imperium nactus, quantus Imperii, tantus exempli, successor esset paterni, et, quo curas cogitationesque suas intenderet, eodem benignitatis, consilii, mentis prouidentissimae, lumen afferret. Res, domi foris que gestas, una cum uirtutibus, tam memorabilium operum efficientibus, alii, uel prudentia maiore, uel eloquentia, in commentarios referent, alii iam eas, luculentius perscriptas, annis digestas, narrarunt posteris. Nos, instituti memores, pro captu mediocritatis nostrae, mente duntaxat recentimus decora Iosephi, atque in eis dotibus, quae, seruata stirpis fecunditate, in Austrio sanguine uigeant auitoque spiritu glisçant, reueremur excelsi neruos ingenii, firmissimum robur animi, plurium florentiorumque linguarum peritiam, alia disciplinae regiae ornamenta, quae quidem cuncta in Caesare hoc tali summa fulserunt. Nec uero aliter equestrem illam apud Lignicenses Academiam, illamque apud Vindobonenses scientiarum, utramque ab Iosepho institutam, utramque eius nomine insignitam, cetera simul, alendis ingeniis et excitandis prouisa munificentissime ac decreta, uel intueri

Digitized by Google

possumus, uel interpretari, quam illustria monimenta uoluntatis, in literas prolixae. Atque haec quidem tantum ardoris habuit, ut sine dubio multo clariora huiusmodi beneficia datura fuisset, nisi bene glorioseque consultis bellandi necessitas obstitisset, tandemque eis improuisa fati uis intercessisset

Sed, quae promisit, quorum consilia iniit, benefica tanti Imperatoris natura, ea iam praestitit, ea, cumulis adiectis, praestat amplius, tua, Caesar, Caesarum bonorum doctissime, doctissimorum optime, utrorumque maxime, bonitas, omnino singularis. Haec caritate praestantis doctrinae tanta ducitur, ut inter ornamenta diadematis, tam multiplicis, artium regalium disciplinam praecipuo loco ponat, haec, altissimae scientiae coniuncta, literas, omni ratione sustinendas recreandasque, suscipit, haec ad sanctitatem paternae solicitudinis conformata, maiorum nemini concedit, haec, magnis pii iustissimique belli praemiis locupletata, nullum pacis, praesidiis sepiendae, uirtutibus excolendae, artibus fundandae, munus praetermittit. Sic Gentis tuae gloriam, quam, a paruulo, omni semper animi contentione obtinendam, duxisti, nouis immensisque

Digitized by Google

que ſpatiis extendis, altius exaggeratam, ad coelum extollis. Nec uero minus ingenio, quam animo, te praebes admirandum, cum nulla ſit uel elegantis, uel grauioris, diſciplinae pars, de qua perfcienter non exiſtimes, quam eo magis tutandam atque honeſtandam, non putes. Arbitraris enim ſapienter, ad commendationem ſaeculi tui pertinere, ut ingeniorum, omniſque uirtutis, ubertas aequalibus auctibus efflore-ſcat. Longum eſt, proſequi beneficentiam, qua largiter ſubuenis omni eruditorum generi, qua, in publicos intenta uſus et accincta, hominum doctorum inſtituta ſubleuas, ultroque ſuſtentas. Hoc idem tamen enarrare, eo minus habeo neceſſe, quo latius id ipſum percrebuit, tot tamque claris ad immortalitatem monimentis commendatum, ipſis etiam ſermonibus eruditorum literiſque celebratum. Vt multa praeteream, quantae benignitatis fuit, Kepleriana nuper opera, diu deſiderata, iuſſu auſpiciiſque tuis, in manus hominum dari, tam felici certe ſcriptoris praeſtabilique fato, ut, qui, ſapientia acerrimoque ingenio, aequales quondam anteiuiſſet, is, diutino ſitu obſitus, in obliuione iacens, ex tenebris euocaretur abs te, nouoque cultu expoliretur, Fuerit illa laus Octaui-

ani

Digitized by Google

ani Caeſaris magna, fuerit eximia, qua fertur hic ingenia ſaeculi ſui omnibus modis fouiſſe. At quanto magnificentius eſt, cum, factis in oculos incurrentibus, uere praedicamus, abs te non tui modo ſaeculi ingenia foueri, ſed aliorum ſimul memoriam famamque, una cum ſcriptis in puluere deliteſcentibus, ex praeteritorum caligine temporum, in lucem reuocari. Hoc, nauantes operam literis, homines cum ſpectant, hoc cum audiunt, nae illi, abiecto languore, animos capeſſunt, uires experiuntur, induſtria certant, et, alente ingenia aemulatione, illuſtriorem reddunt aetatem tuam. Legent, quos uidere non poſſint, Leibnitios poſteri, legent alios, illorum ſimiles, ſed eoſdem ii, ſi noſtrarum non ignari fuerint experteſque rerum, ita legent, ut, illorum mirati eruditionem, tuam ſimul benignitatem mirentur, quae illorum ſtudium prouocauerit, conata iuuerit, operum perficiendorum facultatem dederit. Namque, uel arceſſis ad te uiros, doctrina inſignes, uel, excitos tui ueneratione atque aduentantes, libenter accipis et prolixe, eos patienter audis et benigne, eorum ſtudia exploras, iudicia perquiris, conſilia, publice utilia, probas, animos confirmas, et, quanta ſapientiae tuae admiratione percul-

Digitized by Google

perculſos, tanto gratiae, ſibi factae, gaudio elatos, dimittis. Itaque multi, multis ornati magniſque rebus, cognoſcere tandem incipiunt, abs te parem uirtuti ſuae fortunam dari, multi iam, Carolini ſaeculi felicitate laeti, ſuis docent exemplis, quid quantumque praeſidii, contra inueteratam iſtam, et Alcyonio, Pierio, aliis, celebrem ſcriptoribus, de infelicitate literatorum, querimoniam, quantum ſpei uniuerſis, quae quidem ieiunae non ſint, literis, in Principe terrarum maximo, relictum ſit. Bene uero, bene ſperauerint, homines, liberali cultu politi, quoad uiderint, te non minus, quam Caeſarem illum uictorem, excellentibus ingeniis mirifice delectari, te praeſtanti uiros eruditione, ex omni nationum genere delectos, honoribus non tenuibus afficere, te aditum, humanitatis inuſitatae plenum, dare, cum tot aliis praeclarae ſcientiae, tum Garellis illis, uirtute doctrinaque egregiis, qui, una cum aliis, inter ampliſſimorum curas munerum, pro literarum bono incrementoque excubare, nunquam deſiſtunt. Hos autem, Cuſpinianorum Sambucorumque ueterum merita, aut maius quiddam ſpectatiuſque, complexos, cum amas, ipſas certe, ſimul cum ſingulari, quam uterque tibi praeſtat, fide, lite-

Digitized by Google

ras uideris amare. Hae enim, magnam gratiae, apud te ab illis initae, partem ad ſui leuationem tutelamque tranſduci, ſentiunt, neque patri magis, Ioanni Baptiſtae, quam ſibi, gratulantur filium, Pium Nicolaum. Quem quidem uirum quantae literis dignitati eſſe dicam, ingenio doctrinaque, omnis generis exquiſitiſſima, ſummum, tantis tot itinerum laboribus, tantis politiſſimarum ſtudiis gentium, tam inexplebili ſcientias, ſupra Baconianos auctus, prouehendi cupiditate, ad inſigne temporum noſtrorum decus, excultum, ut, in eo, dubitent ſolertes harum rerum iudices, maius ne Hieronymi cuiuſdam Mercurialis, an Ioannis cuiuſdam Vincentii Pinelli, an ſuperius utroque, ex Hippocratis Galenique memoria, nomen agnoſcant. Caeſar Auguſtus Antonio Muſae tantum quondam tribuit, ut, per hunc graui periculoſoque morbo leuatus, non eum modo ingenti pecunia, aureorumque annulorum iure, donaret, ſed, in eius gratiam, uniuerſo ſimul ordini medico immunitatem daret. Populus etiam Romanus eidem, ob Caeſarem ex arcipiti morbo ſeruatum, honorem tam ſingularem habuit, ut ei ſtatuam, aere collato, iuxta ſignum Aeſculapii, ſtatueret, Auguſto nihil abnuente. Non-

Digitized by Google

Nonne pari modo, Caeſar bene meritorum amantiſſime, nobis liceat illos amare, illos in oculis ferre, illos poſteris narrare, qui, praeter uariae et excellentis doctrinae decora, praeter artem medendi adeo probatam, haec ut ex ipſo comitatu tuo ab regibus expetita, ab eiſque, feliciter ſanatis, ſuorum inſignibus Ordinum decorata ſit, fidelitatis exemplo in primis commendati, tuendae ſanitatis tuae, tuaque mandata exequendi, cauſſa, nihil, ſtatuant, non experiri. Quo enim loco eos habeamus, qui tibi, Hiſpanias tuas repetenti, ac terra marique tot ac tanta ſubeunti pericula, fidiſſimi ac uigilantiſſimi comites haeſerint, qui, ſolicitudinum pleni, ab latere tuo nunquam diſceſſerint, neque minorem tibi fidem ubique probauerint, quam Muſa ille praebere tum potuerit Auguſto, uel, bello Cantabrico, Tarracone, uti uidetur, uel, quod dubitatione uacat, Romae deinceps, aegrotanti. Quo in numero ducamus hos qui Reginam, nunc Auguſtam, et euntem in Hiſpaniam citeriorem et inde redeuntem, perfideli cura proſecuti ſint, diuinoque nixi praeſidio, ac tua continentiſſimae uitae temperantia, quae Alexandro illi Magno defuiſſe traditur, ſapienter uſi, ualetudine tua religioſe, ſcienter, ſolicite, inter primarios eiuſdem cuſtodes, curata, te tuis, ac nobis omnibus, ſoſpitem, uigore corporis animique

Digitized by Google

mique parem, alacrem ſemper hilaremque, praeſtent. Omnino, quicunque, uelut excubitores, tuae ſalutis, cariſſimae cunctis, temporibus his perneceſſariae, incommoda quocunque conſilio, in quocunque uiuendi genere, declinant, his, dici non poteſt, quid nos quantumque debeamus. Talibus autem uiris longe praeſtantiſſimis affluit, heroibus quoque multis atque magnis floret, Regia tua, quorum conſiliis nihil prudentius eſt, quorum factis nihil praeclarius, quorum tam illuſtria ſunt nomina, ut ea in luce omnis memoriae clariſſima non poſſint non uerſari. Ita uero, quicquid in ullo laudum genere excellit, deligis, aduocas, honoras, et, ornamentis doctrinae uirtutumque ubique tuendis, ſupra, quam dici, ſupra, quam cogitari, poſſit, intentus, nouo quodam magnoque uiui ac ſpirantis exempli documento, in conſpectu ponis id, quod mente tantum concepit ille ingenii ac ſapientiae Graecae princeps, tum beatas fore reſpublicas, cum aut rerum potiantur ſapientes, aut ſeſe, qui rerum potiantur, ſapientiae dedant.

Dedis autem te, Caeſar, ad conſummandam patriae ſaeculique gloriam genite, illi ſapientiae, qua beatam praeſtes rempublicam, atque huic tanto iucundius te dedis, quanto iam minus habes, quod in ea diſcas, adiutus praeſertim tot

Digitized by Google

tot uel naturae praesidiis uel artis, quibus, nihil tam sit arduum, quin superari possit. Laudent alii, si partes has agere pro dignitate possint, ingenium, cuius acies, quid in re quaque uerissimum sit, perspiciat. Laudent industriam, quae, nulla publicorum mole negotiorum frangenda, omnes illustris et heroicae literaturae thesauros exhauserit. Laudent memoriam, quae, nulla rerum, domi forisque procurandarum, multitudine distrahenda, quicquid arripuerit, quicquid iudicio digesserit in ordinemque redegerit, illud, trabali uelut clauo fixum, teneat, nec unquam dimittat. Laudent alia, et, quoad posse sibi uideantur, extollant, quae in te magnifica, quae inusitata, quae incredibilia, putent. Ego, qui non possim haec omnia non agnoscere, cuncta nihilo secius haec mirari, cuncta suspicere, malo, quam ieiune et exiliter ea laudare. Si quid tamen, earum literarum caussa, quibus plurimum, sapientissimi cuiusque instituto, semper tribui, quarumque me, ut uulgus, nunquam pigebit, dici liceat, his quidem literis ecquid tandem, uel ad honorem praeclarius, uel ad releuanda laborum taedia praesentius, uel ad animos, in diligentia confirmandos, acrius, euenire poterat, quam, easdem illas tibi a teneris, quod aiunt, unguiculis dulcissimas fuisse, eas-

Digitized by Google

dem tuo ſtudio illuſtratas, et ſacrae perſonae tuae manibus quaſi conſecratas, cum ipſe, ſummus antiquitatis amator, quicquid relictum fuerit otii, nulla in re, quam in politiſſimis prudentiſſimiſque ueterum monimentis, ſuauius ponere conſueueris. Ab iis dimanauit fontibus illud ueteris ac florentis elegantiae ſtudium, quo uel audis dicta Latine, uel ſcripta legis. Ab eiſdem fluxit illa laute, eleganter, ſplendide, dicendi facultas expedita, cuius de principatu cum Iulio Auguſtoque contendis. Haec enim naturalem orationis pulchritudinem, utriſque cultam illis, ab utriſque, Iulio maxime, perfectam, uiua nobis imagine ac formoſiſſima reddit. Ea ſane tua oris Latini commendatio, ex omni ſcriptorum, quos noſtra uiderit aetas, quos futura ſpoponderit, laude, ſola tuae reſponderit magnitudini, ſola tuis magnificentiſſime factis digna fuerit. Itaque, cum ad noſtri gloriam ſaeculi, ad ſempiternam poſteritatis memoriam, haud parui interſit, res tuas, tam breui temporis ſpatio, tam nihilo minus ample, tam excelſe, geſtas, perſcribi, eas autem, ab Imperatore Romanorum adminiſtratas, antiqua potiſſimum maieſtas orationis Romanae, quae in te ſpiritum ducit, decere uideatur, ſentimus profecto nos, quid

Digitized by Google

quid optandum uideatur. Vtinam, quod pace maiestatis tuae dixerim, libeat tibi, utinam, per curas Imperii, liceat, dare quid Iulii Caesaris consilio, cuius commentarii adhuc supersunt, dare quid Augusti instituto, qui de sua exposuit uita, dare quid, ne plures ueteres externosque referam, exemplis maxime domesticis Maximiliani I, et Caroli V, de quibus dictum est. His enim rebus fieret, ut historia rerum tuarum, tam insignium, ab ipso te, auctore tam augusto, composita, nihilo minus Romae quondam florentis eloquentia splenderet, quam uirtutis Imperatoriae fontes uberrimos aperiret, et magni thesauri locum apud omnes, in excelso potissimum gradu positos, obtineret. Tanta, quam familiaritas ueterum tibi peperit, elegantia non exiguum prudentiae tuae decus adiicit, efficitque, ut nihil eius incommodi sentias, ex quo grauiter doluit Carolus Quintus. Hic enim, adolescens, literas minoris habuit, quam dignitas earum postularet, neque tam suopte ingenio, quam fraude quorundam imperitorum. Aetate deinceps prouectiore iuuentutis errorem perspexit, et, qualis fortunae suae cultus deesset, in Liguribus potissimum, Genuae, non sine animi dolore cognouit, ut ipse coram Paulus

Digitized by Google

lus Iouius audiuit. Cum enim, plurium sciens linguarum, in Latina minus progressionis, quam in ceteris, feciſſet, ut neque legatos diuersarum gentium, orantes Latine, satis intelligeret, neque iis eadem respondere lingua posset, eam rem, arbitratus est, in suam, Imperatoris Romanorum, personam parum conuenire. Itaque saepius est conquestus, id sibi nunc usu uenire, quod Hadrianus, magister uetus, non falso praedixerit, fore, ut se, pristini temporis reminiscentem, consilii poeniteat, quod, sese, passus sit, a studiis doctrinae citius, quam commodum fuerit, abduci. Quod si tanti est, multum operae in literis poni, quanti hoc Carolus Quintus iudicauit, quid dixerimus de multis, qui, ut nunc sunt tempora, nunc mores, aut nullum, aut humilem certe obscurumque, literis locum relinquant. At literarum non puduit illum Carolum, sed eum poenituit sui, quod, a studiis literarum se adolescentem, siuerit, tam celeriter abstrahi. Quid aliis iam conuenerit, de literis sentire, qui ab Imperatoris, tam potentis, uel maiestate, uel sapientia, longe absint. Idem certe, quod ipse sentis, Caesar, ornamenti omnino omnis multo capaciſſime, a literis in Rempublicam, magnamque fortunam, proficiſci

Digitized by Google

ſci non minus emolumenti, quam ornamenti. Habent ergo Principes, quod hoc loco nihilo ſecius, quam ceteris in rebus maximis, diſcant abs te, habent multo magis alii, quod, te auctore ſumnio, in literarum ſtudiis, uel dignitatis, uel utilitatis, quaerendum eruditis colendumque putent, reclamantibus quamlibet earum oſoribus atque ringentibus. Cum enim non tres modo linguas teneas, quot, filiis ſummorum in Imperio Procerum diſcendas, requirit Lex Karolina, ſed etiam multo pluribus, Etruſca, Hiſpana, Gallica, aliis, tam ſcienter utaris et commode, ut in earum, quibuſcum agis, gentium ſinu genitus uidearis ac politus, tum uero Latinis praecipue ſic innutritus es excultuſque literis, ut earum aequalem ſibi facultatem aſſumere non audeant, qui tempus aetatis ſuae in literis otiumque contriuerint. Ipſae quidem epiſtolae Diui Patris, antiqua Romani oris grauitate ad te, uixdum puerulum, ſed, aetatula iam tua, hoc in genere, doctiorem, exaratae, planum faciunt, te quaſi cum lacte nutricis ſuxiſſe florentis Latii decus et imbibiſſe. Multo earundem literarum uſu ſic eruditus es atque perpolitus, ut ſubitam melius, quam docti meditatam compoſitamque proferant, orationem fundas. Quo fit, ut magnifice referas Imperii,

Digitized by Google

cuius clauum tenes, Romani maieſtatem, non minus priſci ſermonis et incorrupti ſplendore, illaque antiqua, quae Principem deceat, eloquentia, quam ceteris togae bellique artibus, inſtauratam. Equidem, habito mei modo, illud mihi non ſumam, ut diuinam humanamque ſapientiam, qua flores, oratione complectar, ſed aptius tutiuſque iudicabo, gratulari ſaeculo, cui, proſpero reipublicae fato, tantus Imperator obtigerit, quantum, facilius ſit, exoptare, quam expectare. Neque eo ſecius, quaſi nunc demum ad doctrinae ſtudium te conferas, admirabili, quo nullius induſtria non exacuatur, exemplo praeis. Quanquam enim ſolus tanti onus imperii, tot tantorumque regnorum molem, ſuſtines, nullum tamen, pateris, intercedere diem, quo non, ubi quid a publicis excepti occupationibus et ſubſeciui nactus es temporis, redeas ad literas, quo non, illarum ſuauitate delinitus, tum relaxes a curis animum, tum ab eiſdem ſimul, diſcretis prudenter delectiſque, ſaluberrimas quaſque, ac tractandis Imperii magni gubernaculis accommodatiſſimas, artes repetas. Itaque ab ipſius otii, quo nullum praeſtantius repererit ullus ſapiens, dulcedine ſubſidia negotii Regii atque Imperatorii probatiſſima mutuaris. Reipublicae liberae, cuius

Digitized by Google

cuius magnum praesidium decusque fuit, relinquatur Scipio Aemilianus, quo nemo, ut ait ille, elegantius interualla negotiorum otio dispunxit. Nostra pluris refert, oculos in Iulios coniici, Augustos spectari, horumque similes, qui liberalis doctrinae studiis non modo quietem temporis, ab administratione rerum uacantis, oblectarunt, sed ab eis etiam reipublicae, optimis institutis ac legibus temperandae, prudentiam cupide petiuerunt. Augustus certe, auctor ille status florentissimi, utriusque scriptores linguae, ut in eius uita legitur, tanta triuit cura, ut, cum nihil, in euoluendis iis, aeque consectaretur, quam praecepta et exempla, publice uel priuatim utilia, ea quidem, ad uerbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum prouinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus, plerunque mitteret, prout quique monitione uiderentur indigere. Marcus autem Antoninus, is, qui, a singulari doctrinae studio, nominatur Philosophus, ingenii certe sapientissimi, cum de se scribit ipse, tantum momenti, quod ad rempublicam bene gerendam redundet, in lectione ueterum ponit, in uirtutibus Imperatoriis ut commemoret facilitatem quandam atque aequitatem probandi

Digitized by Google

ſententias ac ſequendi, quas dixerint homines, in rerum geſtarum cognitione, ſuperiorumque temporum memoria, nauiter exercitati. Non diſſimili affectus animo fuit Theodoſius II, iunior, is, ab quo nomen cepit Codex Theodoſianus, quantiuis pretii. Cum negotiorum ſtudiorumque tempus ita partiretur, ut illis diem, his noctem, ſicut relatum legimus, impenderet, omnium, quae ſiue Graeci, ſiue Romani, praeclare fecerunt, hiſtoriam didicit accurate, eaque re, ſic memoriae proditum eſt, magnam imperio felicitatem peperit. Mitto alios, leuiterque perſtringo Conſtantinum Porphyrogennetam, qui, peramans hiſtoriae, non ipſe ſolum, peruolutandis libris, facultatem ciuilis inſtruxit doctrinae, ſed aliis etiam populorum rectoribus, horumque amicis, theſaurum prudentiae regiae parauit. Nam conditores hiſtoriarum, qui quidem in Graeciae Orientiſque bibliothecis reperiri poſſent, undique ſumma diligentia coegit, ex iiſque hiſtoricum quoddam corpus concinnari iuſſit, nihilo ſecius, ac, ſuperior aetate, Iuſtinianus ille curauerat opus iuris, ex uoluminibus tot uaſtis colligendi. Ariſtoteles, quo indoles Alexandri, diſcipuli ſui, aſpiret, animaduertens,

ei

Digitized by Google

ei auctor eſt, ut ſtudioſe maiorum res geſtas euoluat. Leonem, filium, cohortatur ipſe Baſilius, Imperator, hiſtoriam ueterem ne quando de manibus ponat. Nihil, hic intelligimus, ab aliis, ad ſubſidium reipublicae, uel fieri ſapienter uel commendari, quin idem abs te, Caeſar Auguſte, multo ſapientiſſime perficiatur. Tuus enim te docuit uſus id, quod M. Tullius ait, nuſquam facilius, quam ex annalium monimentis, aut res bellicas, aut omnem reipublicae diſciplinam, cognoſci. Itaque, non ſolum paternas auitaſque uirtutes in Galeatio Gualdo, aliiſque, contueris, ſed etiam inſignia omnium temporum monimenta perluſtras, omnis aeui documenta, in illuſtri poſita loco, inſpicis, cum antiquis noua componis. Nullum praeterea literarum, maxime reconditarum, genus, quod te dignum ſit, non exploras, nullis ſumptibus parcis, ad hunc altioris doctrinae fundum, cunctis adiumentorum copiis, uel amplificandum, uel excolendum. Itaque Muſas, ſed minime uulgares, ſed regales et Orbis gubernatori decoras, maxime priſcas, una cum Iulio Caeſare ac Liuio, familiaribus tuis, in domeſticae et interioris uitae contubernium aſciſcis. Quibus ipſe quantum tribuas, manife-

Digitized by Google

ſto declaras, cum bibliothecam ſacri cubiculi, arbitratu tuo lectam, in Palatio dedicas, eamque, monimentis exquiſitae doctrinae apparatam, auges perpetuo ornatioremque reddis. Hoc ea mente facis, ut, illuc te cum intuleris, oracula ſapientiae regiae multo nobiliora capeſſas, quam, nocturno Egeriae deae congreſſu, in luco Camenarum, ſibi edita Numa ſimulauerit, ut in amoeno placidoque Mineruae ſeceſſu, tanquam in portu, compoſitus ad quietem, a muneribus reipublicae requieſcas aliquantum, curamque animi remittas, et literarum commercio familiariſſimo ſuauiſſimoque, remotis arbitris, nullis interpellatoribus moleſtis, nullo maieſtatis minuendae periculo, perfruaris. Sine, me, uenerabunda cogitatione te proſecutum, longius progredi, Muſarumque templum pulcherrimum, ipſius etiam mentis bonae delubrum, exagitatarum dilapſarumque literarum aſylum, in Bibliotheca tua, quae nulli, in terris, uel copia ceſſerit uel dignitate, multo auguſtiſſima, uenerari. Sine, me, qui prius eam, ex Lambeciana ac Neſſeliana recenſione, admirari conſueuerim, nunc, circumlatis per ſcrinia pluteoſque oculis, ſpecie rei librariae, plus quam regia, nec animo prouiſa, attonitum, mecum conſiſtere

ſtere aliquantum ac morari. Sine, me, Coruinianas bibliothecae Budenſis, et ipſas antiquae Vindobonenſis, tum alias, conquiſitas undique et coaceruatas, maximi pretii membranas, hic illic, animo conſiderantem, et, quid ab Rodolphinis inde temporibus tranſductum ſit, quid Fridericiana ſit auctum cura, quid potiſſimum Maximiliani I prouidentia uel ordinatum, uel expolitum ſit ampliatumque, quid ab huius aſtructum ſucceſſoribus, quid in primis, nouis auctibus, Leopoldi Magni beneficio, accreuerit, reputantem mecum, reuereri bonitatem magnificentiamque tuam ſingularem. Hac uſus nuper, difficillimo reipublicae tempore, cum belli calamitas exhaurire cuncta uideretur, librariae rei copias longe, quam, ante te, bonis acciderat et quietis reipublicae temporibus, locupletiores reddidiſti. Quo luculentius declaraſti, ubi grauiſſimum belli onus alii uix, ac ne uix quidem, ſuſtineant, ibi te nullo cuiuſquam periculi metu tardari unquam poſſe, quin, inter arma, pacis ornamenta retineas, eaque, multis modis amplificata, defendas. Geris iam, noua laceſſitus iniuria, in Sicilia bellum, ſed eius belli cura ſumptuque nihil impediris, quin, ueteri inſtituto tuo, iubeas, Vindobonenſis tuae magnificentiam pluribus

Digitized by Google

bus ſemper acceſſionibus augeri, exemplarium praecipue antiqua manu ſcriptorum. Horum tibi multa cum aliae terrae ac longinquae ſubminiſtrant, tum maxime, parens illa, nutrix, cuſtos, elegantiae omnino omnis, Italia. Proxime quidem membranas huiuſmodi lectiſſimas, plus centum, argumenti rarioris, notae ueteris, Garelliano, optimo certe, inueſtigatas, miniſterio, Neapolis una ſubmiſit. Haec enim urbs, Campaniae, in Italia, celeberrima, et perantiquae nobilitatis, praeſtantibus ſemper ingeniis floruit, aeque, ac noſtra adhuc aetate, omnium doctrinarum bonarumque artium ſtudiis, longe politiſſimis, abundat. Dulcis quondam Parthenope dicta fuit a Poeta, cui praebuit otium, multo et ſuauiſſimum, et poſterorum literis utiliſſimum. Nondum autem eius laude dulcedinis excidit, qua multi, in ſolitudine literata, deliniti, praeclara ingenii monimenta edunt, alii, modeſtia ſua operti, placidam doctrinae conſcientiam gloriae tumultuoſae praeoptant, ſic, ut aliis ſaepe locis rem fama minorem, hic fama maiorem, facile reperiamus. Taceo, ſed non ſine deſiderio rerum tam commemorabilium, antiquitates, quibus et ciuitas et ager Neapolitanus externas allectat gentes ac retinet.

Prae-

Digitized by Google

Praetereo, ſed non ſine honore, quem debeo, paratiſſimam ciuium humanitatem. Mitto ſplendorem hominum, tot lautiſſimorum, quos uel antiquitas generis maiorumque gloria, uel merita uirtutum, commendant. Alia, quae tacitus admiror, leuiter exponere non audeo. Quicquid de laudibus Neapolitanis uere praedicaui, hoc gentis humaniſſimae meritis dedi, hoc egregiae eius uoluntati, qua Caeſareae bibliothecae decus inſigne uoluit adiicere, eaque ſimul re ipſius Germaniae noſtrae honori ſeruire. Ipſa tamen Neapolis locuples manſit priſcis inſignibuſque libris, quos Ianus Parrhaſius reliquit, quos Antonius Seripandus triuit, quos tot alii uiri, ſine controuerſia maximi, publicis priuatiſque locis, uelut inſignia uenerandae antiquitatis monimenta, religioſe condiderunt. Digna haec praeclarae gentis elegantia tui, Caeſar, ſapientia regni, digna fides eius et caritas amore tuo. Quam quidem etſi, ſummis rebus clariſſimam, perſpicis, nihilo tamen obſcurius eam hoc ipſo cognoſcis tempore, quo theſaurus doctrinae ueteris, tam uetuſtus reconditusque, tam care aeſtimandus, ac potius auro carior, a Neapolitanis, tuam uenerantibus eruditionem, in Bibliothecae tuae ſcrinia tranſfertur. Ea uero

Digitized by Google

in bibliotheca non potuerunt tantum priſcae ſcripturae cumulum non mirari, qui quidem eum uiderint. Sed quanto admirabilius eis uiſum eſt, cum uiderent, membranis te uetuſtis delectari, quarum antiqua exoletaque ſcribendi ratio tametſi ſaepe uel doctiſſimis negotium legendi faceſſat, eam tamen abs te, non ſolum legi commode, ſed intelligi etiam ſine mora, potuiſſe. O quantum bonitatis, quantum, in poteſtate ſumma, modeſtiae, quantum ſapientiae, ſpecimen inſtarque praebes, Caeſar, quacunque exiſtimeris humanae facultatis laude, etiam ſine fortuna tua, Maxime, ac, dote tam uaria, Diuine. Bonitatem praeſtas, cum non modo palantium uulgo trepidantiumque Muſarum, uerus earum ſtator ac praepotens, fugam ſiſtis, ſed eas etiam, obſitas puluere, et cum blattis tineiſque conflictantes, e latibulis euocas, tuo redimis aere, nec, ueſtitu humili atque obſoleto offenſus, expoliendas eas ornandaſque curas. Spectantes in te, in palatium recipis, illa dextra, qua Barbaros percellis, qua tot regnorum, tantique Imperii, gubernacula tenes. Suſceptas, ut amiciſſimas tibi, in ſacro reponis ſinu, et, ſplendido domicilio collocatas, ſaepius adis ipſe, ſaepius, ad moleſtias earum ſuauitate con-

Digitized by Google

condiendas, aduocas. Quantum ipſae copiis, ex ingeniorum fecunditate collectis, creſcunt, tantum caritatis in illas tuae uim intendis, ut exules hae, tot erroribus actae, clientes hae, tam benigno exceptae patrocinio, apud te quiddam patria ſuauius, omni fortuna praeſtabilius, obtinuiſſe uideantur. Modeſtiam probas, cum, maieſtate tam alta eminens, ut Orbis terrarum oculos in te conuertas, oculos tamen in membranas, uetuſtate ſaepe confectas, ſaepe multa carie exeſas, coniicis, cum, oblitus quaſi maieſtatis eiuſdem, quae, ſoli Deo ſecunda, reges ac populos, ex omnibus terrarum partibus, ad ſui cultum trahit, ad inſpiciendas aetatis priſcae literas ipſe properas, cum, ſacra fulgens purpura, quam, beati uidentur ſibi, qui poſſint adorare, chartas nihilo ſecius, ſitu uetuſtatis obſolefactas atque ſqualentes, ſumis in manum cupideque uerſas. Sapientiam demonſtras, cum, populos imperio regundi, ſubiectis parcendi, ſuperbos debellandi, artibus his ipſis, quas Romanis Anchiſes ille commendat, tam excellens, ut operum, pace belloque geſtorum, gloria parem non habeas, reconditas ſimul literas, quas uel docti ſaepe reformidauerint, his, qui conſenuerint in illis, praeclarius habes cognitas, cum, ſcientia adiutus

Digitized by Google

exercitatiſſima, ab earum ſtudio rerum, quibus aliorum ingenia fatigantur, animi, ex curis negotiorum recreandi, ſubſidia petis, cum ipſius otii, proinde, ac ſi debeas eius rationem reddere, delicias in augendae ſcientiae, ſi tamen augeri poteſt ea, fructu, tibi dulciſſimo, ponis. Miro quodam amore praeſtantes amplecteris libros, quibus heroicarum adminicula uirtutum, et omnem reipublicae, domi militiaeque feliciter adminiſtrandae, regulam, contineri, unus omnium maxime noſti, idemque cum maiores tui, experimentis rerum probatiſſimis conuicti, exiſtimarent, tanto hi quidem ſtudio, tot ſumptibus iacturiſque, tuam condiderunt Bibliothecam, eamque nouo ſemper ſplendore cumularunt. Non dubito, fore, uel ipſis e doctis, complures, quibus, multas addubitandi cauſſas interſerentibus, ex ſuaque praeſertim conſuetudine iudicantibus, incredibile uideatur id, quod dicam. Sciunt tamen alii, non indiligenter edocti, abs te, muneribus reipublicae perfuncto, plures ſaepe horas, uel ipſa hieme, in euoluendis Amaltheae tuae monimentis iucundiſſime conſumi, et nuper admodum, ipſo huius anni menſe Ianuario, alieniſſimum, quod multi fortaſſis eruditi refugiant, anni tempus ne nihil ſ

nihil retardaſſe, quo minus in ea bibliotheca tres horas, idque mane, commorareris. Sic literae, uel ipſa aeris inclementia, cum frigent, tuus in literas amor non refrigeſcit, nec tua modo beneficentia, ſed etiam praeſentia, illuſtratur Auguſtiſſima Bibliotheca, quae Leopoldi, quae Maximilianorum, in primis munificentiam ſumma memoriae celebrat ueneratione, neutros tamen horum deſiderat, poſteaquam utrorumque prouidentiam, auxilio tuo reſtitutam, uigilantia tua redditam, tuis, multoque largiſſimis, auctam beneficiis atque ad ſummum perductam, quotidie magis magiſque perſpicit, ac te, pro altero ſui conditore, merito colit. Haec igitur, quantum eſt, quod expectare poſſit abs te poſtero tempore, cum omnes intelligant, eam tibi Bibliothecam, quam Aegyptiam ueterem Oſymanduae illi, uerius eſſe ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ, tuas in ea, uel inſtauranda uel amplianda, cogitationes euigilare, hoc diu iam te moliri, ut, opere nouo magnificentiſſime ſtructo, ſedibus, excellentia ſua dignis, eam reponas. Interea, dum ea res conficiatur, illam exaggerationem magnifici excelſique animi, quo maxima quaeque uel praeſidia doctrinae comparas uel ornamenta, ſpectant et reuerentur,

Digitized by Google

quotquot in Vindobonenſem tuam introeunt, talem certe, ut haec ipſa, opum ſuarum ſplendore, illius Ptolemaicae, illius Attalicae, quae tantum ſermonis ac deſiderii poſteris dederunt, memoriam facile, nec leuiter, obſcuret. Parem elationem animi, qui ſemper redintegrare literarum decus atque extollere nitatur, ſuſpiciunt omnes, quicunque Bibliothecae eiuſdem tuae praeſtantiam auribus accipiunt, uel eam cognoſcunt alia ratione, fama, literis, ſpectatorum iudiciis, latiſſime celebratam. Vtrique uero illi, qui uel propius adſunt, uel longius abſunt, conſpirantibus teſtantur iudiciis, tuae in literas munificentiae, tam piae, tam conſultae, tam frequenti, non defore nihil, niſi Palatinae tuae praefeciſſes Varronem quendam alterum, quo meliorem, atque doctiorem, neque Caeſar aſciuerit ſibi quondam, neque Auguſtus. Hunc nomine Ioannis Benedicti Gentilotti nobis cum laudant hoſpites, hac tranſeuntes, nos quidem, Alciphron, aliiſque ueteres, aeterni Bibliothecae tuae praecones, quos ille ad edendum recenſendumue, eruditis deprompſit, continuo nos admonent, ut huius uiri ſingularem, utilemque literis, humanitatem agnoſcamus. Cum meminimus, ab eodem, praeter hiſtoricorum, non editorum, opera,

Digitized by Google

ra, aliaque pulcherrima, quae tuis e theſauris euulganda ſint, nouam etiam tuae, eximio nomine ac proprio Auguſtiſſimae, recenſionem parari, quantum officii nobiliſſimis ſtudiis praeſtare et uelit, et poſſit, ſatis docemur. Vidimus, ſi hoc mihi fas eſt dictu, uidimus, bello ſuperiore Gallico, in externis regnis, homines, quos, haud imperitos, haud obſcuri nominis, noſtrae bibliothecas perluſtrandi cupiditati conciliare ſtudebamus, aduentus noſtri cauſſam mirantes, ut minus idoneam. Eoſdem audiuimus interrogantes, quid tandem ſit, quod, rei librariae, praeſertim ueteri exaratae calamo, ſtudioſi, tantas itinerum moleſtias, tot pericula, tot pecuniae grandis incommoda, ſuſcipiamus, eorum uel ignari, uel incurioſi, quae, in Germania, una nobis Auſtria, una Auſtriae Vindobonenſis, ex armariis ſuis, ſuppeditaret. Haec, opinabantur, quae nobis in eo genere Vindobona promeret, non minus fore bona nobiſque fructuoſa, eis, quae, procul domo, apud longinquas tranſmarinaſque gentes, ueſtigaremus, aut his meliora quoque, uel uberiora. Recte uero cenſebant illi, dicebant id, quod res eſt, nobis exprobrabant, quod infitiari non poſſemus. Qui tamen ipſi, cum tantum ſcirent modo, quantum ex Lambecianis

cianis Neſſelianiſque commentariis didiciſſent, ecquid tandem ſenſerint in reliquum tempus, ſi tot mirabilia Bibliothecae Caeſareae incrementa audierint. Quibus hi Germanos, ad ſe profectos, aſpicient oculis, quanta uidendi, quanta fruendi, cupiditate flagrabunt ipſi, cum narrabuntur eis, quae nulliſdum commentariis editis memorata fuerint, quae ſuperiori uoluminum apparatui, ingenti numero, acceſſerint, quae, tua maxime cura, forulis Vindobonenſibus adiecta ſint, tanta quidem tamque ſelecta, ut ea aliis in bibliothecis fruſtra quaerantur. Quanta ſit Numiſmatum ueterum praeſtantia, quantum ea comprehendant omnis doctrinae, praeſertim reconditae, theſaurum, quam ſine iis uel obſcura, uel anceps, uel mendoſa ſaepius deformataque, ſit hiſtoria, quanta rerum caligine, ſine lumine illorum, omnis generis antiquitas circumfundatur, quanta ex iis lux reſtitutis oborta ſit literis, quam in iis pulchre ingenium cum ſapientia, elegantia cum uirtute, ſuauitas cum grauitate, certet, omnes omnino, qui aliquem habent in literis uſum, facile norunt, etiamſi ne inſpexerint quidem amplas eruditorum explanationes, Spanhemianas maxime. Sed, quo rariores carioreſque ſunt illae priſci aeris reliquiae, quo aegrius

Digitized by Google

grius docti ſubſidiis earum carent, hoc maiores Principibus habendae ſunt gratiae, qui, facultatum non nihil exquirendis, colligendis, inſtruendis liberaliter, iis doctrinae opibus impertiri, ſtatuunt, eaque re id, quod modum priuati ſumptus excedit, magnificentius apparant, neque ab uſu copiarum ſuarum tenuiores, lautioriſque ſcientiae cupidos, excludunt. Hoc loco, quid oporteat fieri, quae capienda ſit Principibus ex antiquis Numis utilitas, alii laborant tradere. Sed quanto melius hoc, quam uel Giſbertus Cuperus, uel alius quiſquam, unus omnium praeclariſſime, quod pace maieſtatis tuae dixerim, tu, Caeſar ſapientiſſime, doces. Nam delectae ueterum gazae ſedes, ipſis in conclauibus tuis, arcanas attribuis, in eaque, occultis ſcriniis condita, maieſtatem ueteris aeui attente iucundeque contemplatus, regnorum, imperiorum, rerum publicarum, uel incrementa, uel inclinationes euerſioneſque, perpendis. Imperatorum, Regum, Principum, Legiſlatorum, bene de re publica meritorum, imaginibus, ad immortalem uirtutis memoriam excuſis, delectatus, ad clementer curandam, conſtanter protegendam, generis humani ſalutem, totus exardeſcis. Vultibus, e contrario, tyrannorum conſpectis, quae

Digitized by Google

tua eſt indolis beneficentiſſimae innocentia, grauiter offenſus, ad nocentiſſimas, et infames, generis humani peſtes exhorreſcis. Pie tum, ut ſoles, cogitas, quam ſit impium, ſummae poteſtatis ac ſacroſanctae, quae Dei perſonam in terris ſuſtineat, religionem libidinibus, flagitiis, nefariiſque facinoribus, pollui, quam dirum, ab iis, qui diuinitus, ad homines regundos, lecti ſint adminiſtri, hominem, animal, ut grauiter pronuntiat Ioannes Chryſoſtomus, Deo cariſſimum, male, aut negligentius, haberi. Cum, originis eius excelſae, quam coelo ducis, memor, nihil appetas, niſi magnum praeclarumque, cum magnitudinem non alia re, quam uirtute, metiaris, non potes mirifico non efferri gaudio, quotieſcunque in antiquis rei Numariae ſimulacris omne uirtutum genus reperis. Habes enim in eis tuarum moderatrices cogitationum, tui regni comites, tuarum adiutrices conſultationum, conciliatrices fortunae tuae, quarum, non modo ſatellitum miniſtrarumque fidiſſimarum, ſed ducum etiam optimarum, comitatu ſtipatus, domi militiaeque conſilio praeſis, rempublicam ordines, foedera percutias, in poſterum proſpiciens, pericula declines, geras bella componaſque, ſtatum ubique

que firmes, denique, ut paucis multa complectar, rempublicam, te beatiſſimo, beatiſſimam reddas. Itaque, cum priſcas huius generis imagines, aere ſignatas, oculis luſtras, laetiſſimo tibi occurrit PIETAS AVGVSTI, RELIGIO AVGVSTI, in primis illa ſanctior, quae CHRISTVM, cruci ſuffixum, oſtendit cum titulo rei conuenientiſſimo, ΚΟCΜΟΥ· ΤΟ ΛΥΤΡΟΝ· ΑΙΜΑ· ΤΟΥ· ΘΕΟΥ, s. IVGIS DEI MVNDI REDEMPTIO, ita quidem, ut eiuſdem femori inſcribatur, REX REGVM, DOMINVS DOMINORVM. Eadem te ſanctitas animi defigit in uenerabili crucis ſigno, quod, ante pugnam, cum Maxentio, tyranno immaniſſimo, commiſſam, a Conſtantino Magno in aere conſpicitur, quod, una cum ipſo nominis ſalutaris initio, hoc, ipſo in coelo inſcriptum, exhibet, ΕΝ ΤΟΥΤΩι ΝΙΚΑ. Pari religione animi legis illud, in aliis repetitum Numiſmatis, HOC SIGNO VICTOR ERIS, itemque modo Seruatoris Monogramma, labaris intextum, modo Crucem, ſanguine diuino reſperſam. Oculis praeterea fructum capis, animumque paſcis, non inani forte pictura, qualem Virgilianus Aeneas aſpicit, ſed conſpectu, non minus iucundo, quam utili, ſapientiae, pro-

Digitized by Google

uidentiae, iuſtitiae, aequitatis, moderationis, clementiae, liberalitatis, fidei, conſtantiae, aliarumque uirtutum, tibi familiariſſimarum, quae tibi ante oculos, quae animo, in omni actionum ordine, obuerſantur. Atque hae quidem uirtutes, metallo ueteri exſcriptae, tanto firmius te, ſui amore incenſum, tenent, tanto te magis ſincera quadam uoluptate complent, quanto minus in te reperiunt, quod ullis uitiorum probris contaminetur, aut ullo iure, in factis conſultiſque tuis, arguatur. Vt ampla iam eſt, ut cunctis reipublicae partibus inſeruit, rerum copia, quam priſtinae monetae uarietas promit, ac latiſſime diffundit. Oſtendunt enim hi Numi honorem et uirtutem, reſtitutorem exercitus, diſciplinam, qua regatur miles, uirtutem exercituum, tutelam Italiae, ciues ſeruatos, pacem fundatam, pacem Orbi terrarum datam, terram ſtabilitam, reſtitutam quietem, ſecuritatem imperii, ſecuritatem perpetuam, libertatem publicam reſtitutam. Subiiciunt oculis ſalutem prouinciarum, ſalutem reipublicae, calumniam fiſci ſublatam, fidem publicam, reſtitutam monetam, ciuitates Aſiae reſtitutas, renaſcentem et reſurgentem Romam, uias munitas. Praedicant ſaeculum frugiferum, abundantiam, laetitiam

Digitized by Google

tiam fundatam, hilaritatem et felicitatem temporum, beatam tranquillitatem, saeculi felicitatem, fortunam salutarem, spem felicitatis Orbis, aeternitatem imperii et perennitatem, salutem generis humani, memoriam aeternam et felicem, requiem optimorum meritorum. Haec, et alia generis eiusdem, in aeris prisci literis tecum consideras, sed ea nunquam ex eo, quod, illo monitore Patauino, in cognitione rerum salubre est et frugiferum, ponderas, quin, ne admonitus quidem, multa cum suauitate, perspicias, eis priscae doctrinae notis designari Principem, pace belloque optimum, siue, ut ipsa loquuntur Numismata, aurei saeculi parentem, hoc est, talem, qualis ut sis, eniteris semper atque contendis, qualis iam dudum, non elogiis, sed factis, supra ueterum exempla, repraesentatus es, qualis ut maneas diu saluus, omnes, quotquot nostra intelligimus bona, uehementer optamus. Ea uero splendida aeternae Vrbis, ac ueteris solertisque opulentiae, spolia tanti facis, ut haec eadem, pro tuo in delicias has, tam bonae frugis, tam plenas ingenii, amore, in penetralibus sacris ipsius domus augustae, condas. Tantum abest tamen, ut alios ad ea uetustatis pignora aditu intercludas, ut, eadem,

Digitized by Google

uelis, foribus reſeratis, proferri cunctis atque monſtrari, qui ſtudio uiſendi, perluſtrandi, proficiendi inde, teneantur, ut ad illa Muſarum ſacra, ad illud ſanctius aerarium Mineruae, inter tot rerum diſcrimina, Victricis, ciues ſimul hoſpiteſque, nullo gentium diſcrimine, nulla benignitatis defatigatione, ac perliberaliter, admittas. Atque hoc quidem beneficium, tam Regium, tam fama nobile, non paruo auges cumulo, quod literati magnificique theſauri ſpectatoribus comitem atque myſtagogum das, Carolum Guſtauum Heraeum. In hoc enim, dubitant docti, uimne magis ingenii, cum aliis exquiſitiorum literarum, tum elegantiae potiſſimum Numariae et Epigraphicae, ſpeciminibus, quae ad uetuſtatis elegantis leges effingantur, clari, an ſcientiam, priſcam maxime ac reconditam, an comitatem facilitatemque, ſua alios doctrina impertiendi, mirentur. A quo quidem, ſcimus nos, quid expectare quantumque poſſimus, ſi, praeter illuſtrium familiarum propagines, et alia, e tuis depromenda Muſeis, edatur in lucem tuae gentis Auguſtae hiſtoria, tuis pariter ſubſidiis Numariis illuſtrata, in primiſque ſplendidiſſimum illud opus uitae tuae, Numis ad exemplar antiquitatis expreſſae, quae omni

Digitized by Google

omni posteritati, ad imitandum, proponatur. Haec enim cuncta nobis, consilio tam bono laetis, Ephemerides eruditae promittunt. Da ueniam, Caesar indulgentissime, ut, quod expeditionum tuarum comites, non sine admiratione multa, uiderunt, id admirer ego, id cum literarum dignitate coniungam, id posteros ignorare, nolim. Te, longe a domo bellantem, nobis commemorant, conserentem proelia, hostes propellentem, urbes capientem, regna denique recipientem, perpetuo, cum uictricibus armis, ornatissimam rei ueteris numariae supellectilem circumtulisse. Neque enim Numos hos uersas, ut uarietate uultuum, externarumque notarum ac figurarum, tantummodo delecteris, sed in eis sublimem quandam arcanamque scholam reperire tibi uideris. In eis enim consideras belli pacisque ius, togae ac belli artes, consilia, coepta, euenta, magnarum rerum, fata regnorum, casus populorum, gentium motus, ac tot alia, quibus omnis uita, Principum maxime, instruatur. Atque hoc quidem portatile aerarium uetustae monetae, magno apparatu instructum, ordine concinno dispositum, tum potissimum creuit, cum tanta te belli grauissimi magnitudo atque soli-

Digitized by Google

ſolicitudo urgeret, ut omnes curas tuas in ſe uertiſſe, eaſque occupatas tenere, uideretur. Sed earum taedia curarum ſaepe leniit ſpectaculum ueteris literatique metalli, et praeclaros animi motus excitauit. Te enim uiderunt tui, toties in Hiſpania uictorem, cum ad ſcrinia Numiſmatum tuorum acceſſiſſes, aeriſque priſci formas attentius ſpectaſſes, nunc uetuſtae maieſtatis, in aere adhuc, cum quadam ſubigendi cuncta perdomandique ui, ſpirantis, ſimulacro inflammatum, nunc, alia omnis moderationis, omnis togatae uirtutis, effigie delinitum ſuauiter ac permulſum fuiſſe, et commemorabili, in ipſo belli tumultu, probaſſe documento, in Heroum ſtudiis Apollini cum Marte poſſe omnino longe, quam multi crediderint aetatis noſtrae, melius conuenire. Eius rei, de qua meminimus, fidem memoriamque fores ſeruant, quas Vindobonae ſine reuerentia, niſi barbarus, aſpiciat nemo. Hae ſunt illius Numophylacii, quod ex Hiſpaniis in Germaniam relatum eſt, annoque huius ſaeculi quarto decimo inſtauratum, quod, aureis literis inſcriptum, inſigni epigrammate ornatum, dicitur, primum Caroli, Principis iuuentutis, inſtitutioni, deinde, inter armorum ſtrepitus, in ipſa expeditione Iberica, Regis uictoris recrean-

Digitized by Google

creandae menti, inſeruiiſſe, ut Gades remotae, in hoc altero Carolo V, ipſum Herculem, non modo Gaditanum, ſed etiam Muſagetem, agnoſcerent. Hoc, nos, loco Herculem Muſageten legentes, uidemus, qualis in terris remotis, in ipſo armorum ardore, et uolueris eſſe, et fueris. Sed talem te domi, ſepultis iam ſublatiſque bellis, manſiſſe, indicio eſt nouum praeclarumque Numiſma, quod Herculem Muſarum exſcribit. Hac tui effigie, nemo non animaduertit, tutelare numen Caeſaris noſtri Muſis promitti, idemque, ne quis in poſterum diffidat, praeſenti ſplendidoque monimento declarari. Proinde, qui hoc inſigne uirtutis heroae, in auro impreſſum, in manus ſumunt, ad magna geniti atque ſurgentes, habent nimirum in hac imagine tua, quod contemplentur, diſcant, imitentur. Haec enim fortitudinem, ſapientia temperatam, eis oſtendit, ne magnis, quibus praediti ſunt, animis efferantur, ſed eos doctrinae ſtudiis ut mitigent, atque haec ipſa ſtudia, quae regnandi communiſque ſalutis conſeruandae prudentiam tradant, non ſolum, pro dignitatis inſtrumentis, ſed etiam pro firmamentis omnis reip. ſuſcipienda ſibi tuendaque, putent. Sic egregio omnis rei Numiſmaticae uſu uitam

Digitized by Google

tam fortunamque tuam imbuis, recentiorem tamen ſcientiae huius metallicae artem ueteri exemplo formaque dirigis, atque hoc iudicio tuo excelſo antiquitatis principatum, aere ſignatum, comprobas, et ſtabiliorem ornatioremque reddis. Sed tantum dedecoris ferre non potes in aetate noſtra, ut eius ingenia putentur effoeta. Haec enim tametſi ad aemulationem priſcae laudis exſuſcitas, haud probas tamen, ea ſibi adeo diffidere, ut, rebus apte excogitandis, ſuas quoque uires experiri nolint, neque audeant, quam poſſint, acerrime cum ipſis antiquis contendere. Quapropter, in aere flando feriundo, citerius nouiſſimumque aeuum nihil procudit, quo uel artificis ſolertiam, uel argutam deſignationem rerum, memoriae prodendarum, commendauerit, quin id omne, uel iam pridem cum tuis lautitiae numariae facultatibus conflatum ſit, uel mandato nunc tuo, cunctis latebris excuſſum, in Caeſareum Muſeum congeratur. Quae quidem res tanto, uel iudicio dignoſcendi optima, uel ſtudio comparandi lectiſſima, adminiſtratur, huius ut ſplendoris, arte noua fulgentis, nihil uſquam ſimile, ex poſteriore trium ſaeculorum labore, niteat

Tan-

Digitized by Google

Tantus tuae, Caeſarum maxime, uirtutis, quae in omni ſtudiorum ſeueritate atque elegantia, et omni uita tua, dominatur, cum praeſtanti ſapientia, ex omni maieſtatis parte, eniteſcentis, ſplendor oculos omnium praeſtringit, omnes ad te colendum ſimul inuitat, ut nemo ſit, ex omni bonorum ſapientumque numero, quin, felici laetus imperio, cum ſenatu Romano, Tacitum creante Imperatorem, cominus, eminus, ſucclamet, Ecquis melius imperet, quam literatus. Sic uſu tibi uenit id, quod ſenex Aſcraeus cecinit, Muſas ei, quem, in lucem editum, placidis oculis aſpexerint, diuinam quandam uenerationem afflare, qua hic talis ab exteris gentibus, aliiſque regibus, nihilo minus, quam a ciuibus ipſis, afficiatur. Merito uero te, Caeſar, qui non modo faſtigii ſanctitate, ſed magna etiam diuinorum humanorumque decorum excellentia, uenerabilis ubique ſis, ſummi infimique, aequali cultu, ſuſpiciunt. Merito te non modo ciues, ſed nationes etiam longinquae, uenerantur, in quo tantum, tamque claris radiis diffuſum, Regiae ſapientiae lumen eluceat, qui bonos omnes tam plena benignitatis miraque reſpicias humanitate, quem diuinitus eſſe datum, omnes uno

Digitized by Google

ore praedicent, nemo diffiteatur, niſi et fortunae noſtrae inimicus, et patriae. Haec una eſt, atque conſtans, optimi cuiuſque ſententia, haec una uox recte ſentientium, hic ſenſus ille, quem ipſe, ſi ueniam das, ego, pro ratione muneris Academici, publico iam pridem nomine profiteri auſus ſum. Id autem ſaepius feci, ſiue ad obſequentiſſimam pietatem, quae tibi, Auguſto recens creato, exhiberetur, ſiue ad aliam officii religionem, quae tibi, Regi Pannoniarum rite conſecrato, declararetur, ſiue ad alia gratulationum ſubiectiſſimarum obſequia, quae tibi religioſe praeſtarentur, aduocanda eſſet noſtrorum concio, tabulis, quas ipſe aſpicere dignatus es ac legere, more maiorum proponendis. Eis enim potiſſimum temporibus pietatem meam, duxi, explicandam, quibus diuerſa auſpicatiſſimorum dierum ſolemnia, tum Panegyricis feſto ritu dicendis, tum uotis pro ſalute tua fortunaque Auguſta nuncupandis, celebrarentur. Hoc ipſum felicitatis publicae momentum, hoc egregii publici faſtigium, quod tuo contineatur imperio, longe ſapientiſſimo, in primis mihi, et crebro ſerioque, uel ingerere, uel praeſenti temporum ſtatu probare, conſue-

uit,

Digitized by Google

uit, cum uerſaretur nobiſcum, frater, Ioannes Henricus. Hoc ipſum in memoriam redigere mihi, in eaque ſemper altius infigere, idem non deſtitit, ex quo, abs te, munera, quae adhuc praeſes Anteceſſorum Vitembergenſium, atque in Saxonico prouocationum tribunali ſenator, tenuerat, cum Imperiali Conſilio Aulico commutare, per ſummam clementiam iuſſus eſt. Atque ipſi quidem, Vindobonam accito, datur, te, Caeſarem admirabilium excellentia dotium ſemper Auguſtum, coram uenerari, tuam propius admirari ſapientiam, nec minus ſeſe, quam alios, ferre beatos, qui praeſentiſſimis, atque maximis, gratiae tuae beneficiis cumulentur. Sed, quod uidet ille, hoc, fama creberrima diuulgatum, omnes ubique audiunt, abs te ſua recte factis praemia tribui, abs te cunctos, negotii ſui bene gerentes, diligi, et omnes, idoneos, alacres, expeditos, ad rem, in uariis munerum generibus, adminiſtrandam, tam liberaliter atque clementer haberi, ut laboribus, quos eis reip. cauſſa impoſueris, grauibus quamlibet atque aſſiduis, fideliter hilarique ſemper animo, perfungantur. Talis uidelicet Imperator optandus erat nobis, talis cum nobis diuino munere obtigerit, a Deo precandum nobis eſt,

Digitized by Google

ut paterna eius cura, tutela, indulgentia, quam diutiſſime perfruamur

Quibus mecum conſideratis, etſi non poſſum felicitate rerum temporumque noſtrorum non laetari, uenit tamen ſimul in mentem ſubuereri, Domine, ne, oratione longius producta, oblitus quibuſdam uidear neceſſariae illius ſummaeque omnino obſeruantiae, quae, in publica peccare commoda, prohibeat, noſque monere debeat, ut ad tantae Maieſtatis Principem ſubtimide ſcribamus atque paucis. Ac danda quidem utique eſt opera, ut illa, quae pro Regnorum tuorum, quae pro Imperii, quae pro totius Orbis Chriſtiani, ſalute capis, conſilia, illa, tot tamque ardua, quibus diſtringeris undique ac diſtineris, negotia, habeamus reuerenter, eaque nulla interpellandi audacia, interrumpamus unquam, aut remoremur ullo modo. Sed tuae, Caeſar, quo nihil auguſtius inter homines colitur, maieſtatis lumen, tam infolitum, ubi ſemel mihi affulſit animumque percuſſit, me, ſui contemplatione obſtupefactum, retinuit, ac longiore ſui ſtudio traxit. Hoc igitur in lumine quo cupidius acriuſque mentis obtutum fixi, eo minus ab eius, longe ſplendidiſ-

Digitized by Google

didiſſimi atque iucundiſſimi aſpectu diuelli prius potui, quam ipſa mentis acies hebeſcere uideretur. Ita, quod animo pietas inſeruit, hoc admiratio, morae impatiens, immemorque infirmitatis ſuae, profudit. Et, quanquam curae poſteriores ingenii, ad ſpeciem formamque tanti Principis uel leuiter adumbrandam, ad ipſam quoque notionem tanti Caeſaris animo informandam, idonei, facultatem in uiribus meis ubique deſiderabant, hae tamen ipſae curae, perſancti memores officii, ſimplicem tantae maieſtatis cultum maluerunt, quam nullum, eoque magis probauerunt hunc ſimplicem cultum, quo minus eum corruptum iudicarunt, ullaque fuci labe aſperſum. Haec pii ſincerique officii conſcientia ſuſtinuit animum atque erexit, haec eum, ad propoſitum tenendum, alacriorem fecit. Sed ego, dum pulcherrimarum mirabiliumque uirtutum cogitatione multiplici occupor, accidit, ut nunc in tuas, excellentium imperatorum excellentiſſime, nunc in maiorum quoque tuorum, res, omnium ſaeculorum praedicatione digniſſimas, incidam, in earumque ſpatiis mente progreſſus, uix expedire me poſſim. Dum autem in rebus, uirtutibuſque ueſtris, uel malorum remedia, uel bonae ſpei praeſidia

Digitized by Google

sidia, literis reperio, faciundum putaui, ut ue-
stris, uindicum gradu prudentiaque excelsissi-
morum, tam iudiciis, quam exemplis, disciplinas liberales ab iniquitate multitudinis imperitae uindicarem. Itaque multa, quae cogitarem, multa, quae dicerem, nactus, ex magno quidem numero deligenda, censui, quae potissimum seruirent caussae meae, sed horum quoque delectus non nihil difficultatis attulit, quod in eis iam delectis non parua nihilo minus rerum aequalium copia mihi se offerebat. Quo longius igitur processi cogitatione, eo facilius haec secum ipsam simul orationem prouexit. Ea uero re, acta est literarum, indignissime spretarum, caussa, simul Austriae gentis uirtutes, quas omnis posteritas, in magno praesertim splendore stirpis ac fortunae, intueretur, perillustribus exemplis demonstratae sunt, tertio dignitas Germaniae, quae non modo armis, sed etiam ingenii cultu, illustraretur, omni gentium exterarum obtrectationi opposita est, in conspectum denique uenit, bonae mentis ac doctrinae studio, summas omni reip. utilitates, paremque gloriam, pari. Itaque a nobis haud neglectum est id, quod e republica sit, sed idem potius illud documentis exemplorum, amplitudinis

dinis ac fidei plenis, comprobatum. Atque hoc quidem sic expositum uidetur, ut, in oculis habitum, nauiter consideratum, imitatione expressum, non possit, tum nostris temporibus, tum insequentibus, non conducere. Iam scio, Domine, esse cum Principibus breuiter agendum, sed, ubi res aliud non monuerit. Cum eis potissimum, scio, Principibus esse sic agendum, qui, si qui tamen fuerint, neque intelligant, quae loquamur, neque morentur, quid dicamus. Inconsultum fuerit, eos, qui loquentes non intelligant, uerbis copiose factis, detinere, cum ignotae rei nullum esse iudicium possit, temerarium fuerit hoc idem, cum tali modo plus ab eis postulemus, quam ipsi tribuant sibi, periculosum denique, ne quando nos, quo plura dicamus, eo diutius eorum, qui peritos harum literarum se non ferant, abuti patientia uideamur. Alterum genus, audiendi insolens atque impatiens, istorum censeatur Principum, qui, clementiam, diuinum regiae fortunae decus, perosi, prae ferocia superbiaque, nullam suscipiant curam rei, quam ex aliis audiant, expendendae. At quantum cum omnis praestantiae, quam conditio mortalis recipiat, tum omnis eruditionis, quae in Principum Prin-

Digitized by Google

cipem cadat, quantum bonitatis, eruditis obuiae cunctis et expoſitae, quantum iudicii acerrimi, inſtar in te, Caeſar in exemplum nominande, dedicatum uidemus atque ſplendeſcens. Non enim homines, qui in literis aliquid experiri uelint, ſeueritate tua retardas, nedum abſterreas, ſed eos comitate, in cunctos effuſa, incitas, et acrius inſtigas. Haec, ego, mecum recordatus, ſuos iſti, ex ueteri memoria, relinquo Principes, ad quos, ipſe uelit, tam anguſte ſcribi et circumciſe, ut, ſi fieri poſſit, non modo ſententiarum uerborumque, ſed ipſarum etiam ſyllabarum, contracta quaedam breuitas eligatur. Ego potius ipſe, licet enim, decet enim, Carolini felicitate Saeculi, quod ubertatem ingenii prouocat, nullam huiuſmodi copiam repudiat, exulto, et, cum Oratore conſulari, quo ſimulate minus, hoc laetius, exclamo, O Caeſar, qui ad te dicere audent, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem

Fruere igitur, Auguſte, omni, quae uirtutem intelliget, aetati ſuſpiciende, fruere diu hoc, quem tuis iamdudum meritis in perpetuum deuinxiſti, bonorum cultu, ut tua cura, tuaque paterna caritate, boni diu perfruantur.

Frue-

Digitized by Google

Fruere gloria uirtutis tuae, ut ab ea, omnium oculis animiſque inſerta, quod imitentur, omnes capiant. Fruere noſtris omnium uotis, ut quam diutiſſime, quam beatiſſime, uitam degas, ut, coeleſti praeſidio, terra marique, tectus, hoſtes, patriae, communique gentium quieti, infenſos, obteras, ut, pace ubique conciliata, otio reddito, glorioſus pacator Orbis, haec aurea condas ſaecula, quae futuris Auguſti temporibus uates ille Virgilianus, Anchiſes, canit, quaeque aut nunquam, aut, te duce, ſperanda ſunt. Fruere denique gentili praecipuoque domus tuae bono, ut, quantum ſanctior Auguſto, tantum eo publice priuatimque felicior, et, quo Diui Patris, Leopoldi, ſimilior, hoc ei, domeſtica etiam fortuna, propior, nunquam uel ſeneſcentem uideas ſtirpem tuam uel deficientem, ſed, heredibus regnorum, et auitae paternaeque gloriae propagatoribus, tui quam ſimillimis, ſed futuris egregiiſque ſucceſſoribus, ſeriſſimis tamen, creſcentem ſemper uideas eam ſtirpem ac uigentem. Sit enim, pro acceptis tantis tot ſaeculorum beneficiis, crimen ingrati nefarium, ſit infelicis cuiuſdam atque fatalis, qua noſtram poſterorumque ſalutem prodamus, ſecuritatis, illius conſeruationem, propagationem, uberta-

Digitized by Google

tem, gentis non optari, non omnibus precibus expeti, quae niſi fuiſſet quondam, Germania futura non fuiſſet. Eſt enim ea gens, quae iacentem erexit patriam et ſeruauit, quae, pace fundata, republica domi foriſque ordinata, Germaniam legibus, omni diſciplina, literis, ſic mitigauit, ſic excoluit, ut, extinctis feritatis priſtinae ueſtigiis, nullum probitatis, nullum humanitatis, nullum ullius elegantiae, genus in ea deſideretur, quae, uindicatis acriter iuribus, aſſeruit Imperium, ſuaeque redditum dignitati, conſtabiliuit, quae, moderatiſſimo ſemper mitiſſimoque uſa imperio, amari maluit, quam metui. Haec, Barbaris, pro muro atque arce Chriſtianarum gentium, obiecta, hoſtes immaniſſimos ſuſtinuit irruentes, perculſos abiecit, agris opidiſque pulſos, fugauit, et, ſuperatis terrorum periculis, uictrix, in ſede dignitatis, terrarum celſiſſima, uelut in quadam Orbis ſpecula, ad agendas communis boni excubias, diu collocata, genus humanum multis ſemper maximiſque meritis cumulauit. Auſtria eſt progenies, quam ruenti Imperio Romano columen ac talum, qui fulciat adhuc compagem et ſuſtentet, in ſtatua Danielis Gigantea, diuino nutu conſtitui, maiores noſtri, cum Ioachimo Cureo,

Digitized by Google

reo, docuerunt, quae tantum laude, quantum aetate, proceſſit, editis ſatu, uere mirifico, et ſine pari Auguſtae cuiuſquam ſobolis fortuna, tot tantiſque Principibus ac Regibus, tot Reginarum, maximarumque Principum, progenitoribus, ut Auſtria neceſſitudo Principes Europae, maximam partem, uinculis ſuis obſtrictos teneat, aut antiquis, aut nouis. Quanti autem illud putetur, quadringentis, amplius, annis, ab eadem gente, Imperio praeberi decem et ſeptem Caeſares, ſapientes, bonos, ſtrenuos, quos non obtulerit ſors, ſed conſideratiſſimum liberumque iudicium Procerum tot ſummorum, ac patriae amantiſſimorum, non ſine diuinae mentis inſtinctu, fatis certe reipublicae ſaluberrimis, elegerit. Proinde, quam mirabilis eſt tam diutina Gentis huius Imperatoriae, florentiſque ſemper et amplitudine creſcentis, conſeruatio, tam clarum ex hac ipſa manifeſtumque Dei teſtimonium apparet, eam heroum familiam, rerum dominis, patriae patribus, uberem, qua nulla uel maior, uel bonis exemplis ditior, fuerit, de coelo in terras eſſe demiſſam, eamque ſimul eiusdem diuini Numinis, quod, teſte Vate Regio, iuſtitiae et clementiae obſeruantium propaginem benigne ſolet fortunare, benigno prouidentiſſimoque

Digitized by Google

conſilio collocatam in terris eſſe et confirmatam, ad gubernandam gentium nationumque fortunam, ad regenda ſumma terrarum imperia, ad incolumitatem humani generis tuendam. Haec ſanguinis Auguſti ſoboles, in omnia regiarum exempla uirtutum genita, quoad auitis pacis bellique florebit artibus, defloreſcet nunquam aut conſeneſcet. Floreſcet ſub ea ſemper, atque increſcet, illa, quam ſaepe numi Caeſarum falſo uenditant, ſaeculi fecunditas, felicitas temporum, ſecuritas imperii, beata tranquillitas, nec unquam Dauidicum illud, beatiſſimumque, iuſtitiae et pacis oſculum interrumpetur. Maxime uero florebit haec proles, ſalutis publicae conſeruatrix terris optatiſſima, ſi poſteritas, ſero tamen uentura, uideat Caroli Sexti filium, in patrio, altiſſimoque Orbis, ſolio iiſdem ſedentem uirtutibus, quibus Patrem nos uidimus, ſi uirtutes hae paternae nepotibus, auitae laudis ſtudio incenſis, prodantur, eaedem ſi, poſteris omnibus cultae, perpetuum dent exemplum gloriae, conſiliis, factis, meritis, amplificandae. Hoc Germania, atque Imperium, hoc Europa, qua meliorum eſt partium, hoc Orbis Chriſtianus, qua nomini ſuo reſpondet, conſpirantibus deſideriis exoptant. Nos idem,

Digitized by Google

idem, una cum bonis omnibus, nos, inquam, qui, pietate obſequii reuerentiaque erga Imperatorem ſanctiſſimum ſanctiſſima, nemini, quiſquis hic cuiaſue fuerit, concedimus, idem illud, ſuſceptis pro ſalute fortunaque Auguſta, pro fecunditate Auguſta, pro domo Auguſta, uotis, quam poſſumus, religioſiſſime precamur

Sis igitur Alberto primo fecundior, ſis Friderico quarto ſenior, ſis Leopoldo magno, felici Carolorum procreatione, qua nihil poteſt maius eſſe, par, ſis domi foriſque, pace belloque, tuo maior et ciuium uoto, maiorumque decora, ex omnium ſpatiis ſaeculorum collecta, iam pridem diuino complexus animo, cunctas pariter eorum res, ſecundiſſimas atque florentiſſimas, publica priuataque fortuna tua, complectaris. Sic fiet, ut, quoties in reliquum Imperator pius, felix, inclutus, uictor, ac triumphator, ſemper Auguſtus, neruoſe, breuiter, eximio elogio, praedicandus ſit, admiratione nominis, tam ingentis, in loquendi conſuetudinem uerſa, Carolus quidam Sextus appelletur, quoties, ex gradu dignitatis altiſſimo, Par et Coniugum, et Parentum, longe fortunatiſſimum, omnis aetatis uoce ſit celebrandum,

Carolus Sextus et Eliſabeta Chriſtina

nominentur

Digitized by Google

IIII

PANEGYRICVS HONORI SVPREMO FRIDERICI AVGVSTI

REGIS POLONIAE
PR. ELECTORIS SAXONIAE
PVBLICO NOMINE
DICTVS
IN ARCIS AEDE
PRID. IDVS MARTIAS
A. CIↃ IↃ CC XXXIII

Funeſtae Sarmatis, funeſtae ſimul Saxonibus, Calendae ſunt Februariae, Auditores. Hic enim dies Sarmatis Regem, omnis memoriae praeſtantiſſimum, Saxonibus Nouemuirum creandis Imperatoribus, ſumma quaeque maiorum decora complexum, utriſque patrem patriae indulgentiſſimum, luctuoſiſſimo, nec opinato, deceſſu eripit, et ſpectaculum funeris, longe triſtiſſimi, relinquit. Caſu, tam acerbo, ciues, fide obſequioque coniuncti, non poſſunt graui-

Digitized by Google

grauiter non affligi, ſi quidem boni eſſe, et officium ſuum fide tueri, uelint. Quid ergo mirum, ſi probis utriuſque populi ciuibus pietas, qua Principi ſuo tenentur, tantum dolorem commoueat, ut fortunam ſuam publicam priuatamque commiſerentur. Itaque, quantum eorum animi proſternuntur, moerore oppreſſi, tantum uultus eorundem deiiciuntur, lacrymis obruti

Vix dum Sarmatae Auguſtum ſuum ſecundum, ad eos ex Saxonia qui reuerterat, Varſouiae, ſumma omnium hilaritate exceperant, cum eum, in lectulo decumbentem, uident. Tantum quod, ad amplexandam oſculandamque eius dextram admiſſi, in ſpem uenerant, fore breui, ut Princeps ex morbo conualeſcat, cum, eum grauiore rurſus ualetudine premi, reſciſcunt. Secundiore denuo fama, inter ſpem metumque, ſuſpenſi, quem ſaluum uolunt omnes, eum mox ſubita morte defeciſſe, attoniti audiunt, exanimatum lacrymantibus oculis conſpiciunt, depoſitum conclamatumque lamentantur. Calamitate, tam improuiſa, percuſſi, querimonias ultro citroque iactant, omnes conſiliorum ſuorum rationes puncto temporis conturbari,

Digitized by Google

quibus insolita uoluntatum consensio res, ex sententia peragendas, ominari uisa sit

Saxones autem, etsi, pari fortuna perculsi, stupent, sentiunt tamen, praeter acerbitatem parentis communis erepti, ea sibi re moestitiam augeri, quod Friderici Augusti sui aspectu alloquioque extremo frui, satiari, non contigerit, quod, supremas eius uoces, quas penitus animo figerent, excipere, sibi datum non sit, quod, ipsum, nouissima in luce, non liceat, pluribus lacrymis componere, elatumque magnifico funere, tumulis auitis inferre. Itaque, cum Sarmatae id agant, ut Regis huius, apud se mortui, corpore famaque Mausolea sua illustrent, noster hic dolor est, nostrum uulnus, Herois nostri cineres, ad nos relatos, lacrymis nostris imbui non posse, neque ei tale monimentum statui, quod, eius ossa condens, semper in oculis haberet Saxonia, nec minore uisentium desiderio celebraret, quam Sigaeum Achillis sepulcrum, Aegyptus Osiridis, Persia Cyri, frequentare consuerunt

Tristitiae, tam grauis, qua gentium, communibus auspiciis gubernatarum, fides inter bonos, certat, uim magnitudinemque, neque ignorat Germania, neque improbat, sed,

Digitized by Google

ſed, momentis detrimenti, quod publice captum ſit, latiuſque pateat, conſideratis, ultro ſocietatem doloris init, eumque aequiſſimum atque iuſtiſſimum putat. Habet enim, quod, repetita meritorum inſignium memoria, defleat Principem Electorem, tanta auctoritate praeditum, quanta ſapientia, maxima fortitudine, nec minore bellandi peritia, ſumma reipublicae tractandae ſcientia, pari rerum uſu. Namque, hunc, recordatur, illum fuiſſe, qui dignitatem nominis Germanici, conſiliis perinde, ac factis, aſſeruerit, hoſtibus Imperii reſtiterit, Imperatori maxime aduerſus Barbaros affuerit, hiſque fugatis, et metum periculi multiplicis depulerit, et ultimos aditus Orbis Chriſtiani obſepſerit, ne quibus in eum uiribus effunderentur hoſtes infenſiſſimi, et, quacunque peruaderent, igni ferroque cuncta delerent

Nec uero luctus huius, qui futurorum plurimorumque incommodorum cogitatione ac metu ingraueſcit, expers ipſa eſt Europa, quae, tantae iacturae ſenſu permota, undique miſſis in Saxoniam nuntiis, doloris ſui cauſſas exponit, neque paucas, neque leues. In quibus etſi ſanguinis generiſque propinquitas, uel amicitia

Digitized by Google

foederumque coniunctio, merito commemorantur, plurimum tamen ualet dignitas atque admiratio uirtutis, domi bellique in tanto Rege ſpectatae, qui non ſolum aetate omnes praeſentis Europae reges anteceſſit, ſed ipſa etiam ſui fama Europam uniuerſam impleuit. Quanti tandem Europae, ſuperiore bello, cum res ad potentatum, neſcio quem, ſpectare uideretur, periclitantis, referebat, ne quo peregrinae ambitionis dominatu in Polonia fundato, armis tumultuque cuncta miſcerentur. Vnus tum fuit Saxo, qui, etiamſi maiores res, ſuis contentus florentiſſimis, ne appeteret quidem, optimo tamen cuique tantae molis capax uideretur, quae ſubeunda eſſet, ſi periculum mali tam propinqui mature profligandum foret. Hic ergo, partim Poloniae trepidantis ac ſuae timentis libertati, ſtudiis expetitus, partim cohortationibus maximorum incorruptorumque Principum incitatus, non dubitauit, magno animo, et opus, tam arduum, ſuſcipere, et, ſi quid grauius metuendum eſſet, ſe ipſum, pro libertate publica quaſi uictimam, offerre. Habet igitur omnis, quâ meliorum eſt partium, Europa, quod uirtuti unius Principis noſtri referat acceptum, habet, quod in eius conſilio exem-

Digitized by Google

exempli cauſſa ponat, quod in eius morte deploret

Vident omnes, quam multiplex doloris iuſtiſſimi ratio nobis conſtet. Quo tamen humilius eſt moeroris ingenium, eo remotius a Principis noſtri perſona ponendum uidetur, quicquid, languore ſenſus, ad humilitatem fletus planctuſque abiiciatur. Dignius certe praeſtantia Friderici Auguſti putetur, excitari languentes animos atque confirmari, contemplandis illius decoribus, quae, conſiliis factiſque, et omnis uitae inſtituto, probata, excellentis animi magnitudinem, auguſto nomini parem, oſtendant. Hanc in publico uenerari, pietas ſit, qua perfungamur in praeſenti, hanc poſteris tradere, honos, quem piis manibus habeamus. Princeps ergo noſter, quo ſtetit faſtigio excelſi animi, dum uixit, ex eo ſpectetur a nobis, Auditores, haud neſcientibus ſane, quantum nos operis conemur. Sed, neque deprimuntur arces atque caſtella, montium iugis impoſita, quae aliorum admirationi ex infima ualle monſtrantur, neque Principis noſtri decus altiſſimum non eminebit, etiamſi demiſſo dicendi genere exponatur.

Digitized by Google

Ac mihi quidem, de animi excelsitate, qua praeditum quondam Principem uobis, Auditores, ante oculos constituo, mecum cogitanti, animus huiuscemodi non iste uidetur esse, qui, superbia elatus, impotentia sui laboret, et immodica concupiscat, ac ne hic quidem, qui, semper alta spectans, nihil mediocrium rerum, ne dum humilium, admittat unquam. Illum demum intelligi, uolo, animum, qui nihil, de medio triuioque petitum, consectetur ipse, et altius omnino, quam popularis mos captusque ferat, enitatur, arduisque potius, quam procliuibus, amplis, quam exiguis, splendidis, quam obsoletis, ducatur. Haud tamen hic idem animus a modestia, sine qua nihil uere magnum est, alienus sit, quin, ubicunque consulendum fuerit in commune, ad alieni generis ignobilitatem dignitate ornandam, ad fortunae locique alieni obscuritatem auxilio tegendam, ad miseros cura indulgentiaque recreandos, summittatur, ubi, uel clariorem uirtutis indolem animaduertat, uel uitae morumque innocentiam agnoscat, uel leuiorem quoque errati humani culpam reperiat. Nullo enim honore dignari id, quod publice fructuosum esse possit, iniqui est, despicere, quod a turpitudine flagitioque uacet, sed lautum copiosum-

Digitized by Google

pioſumque non ſit, arrogantis, nulla capi miſericordia, unde prauitas atque ſcelus abſit, immitis. At reip. intereſt, quod optimum ſit, idem nobiliſſimum ideo cenſeri, neque uirtutem humilitate ſtirpis extenuari. Aequitas poſtulat, ut Principi, communi ciuium patri, non minus curae ſint infimi, quam ſummi. Humanitas exigit, ut uenia ſit parata peccatis, quae fragilitate mortali, non malitia, fiant, ſpe praeſertim emendandi uitii adhuc relicta. Nec uero magnitudinem animi deterit moderatio, ſed fortitudinem, prudentia temperatam, a feritate continet, eamque, ipſo rerum modo circumſcriptam, finibus cohibet officii, ne praeceps animus efferueſcat, impetuque ſuo impulſus, quaeuis in mala ruat. Hunc, quem informauimus, habitum animi, tam magnifici, expreſſit, ſi quiſquam, Fridericus Auguſtus, eumque, per omnes uitae gradus, perpetuis, luculentiſque, rerum teſtimoniis, comprobauit

Principio, ſi tanta uis eſt ſanguinis, a ſemine praeclaro ducti, ut patrium uigorem, in liberis exciratum, alat facile atque propaget, non eſt mirandum, ſi Princeps, antiquiſſima Saxonum ſtirpe generatus, Saxonicae gloriae, ad poſteros tranſ-

ductae,

Digitized by Google

ductae, igniculos ab eo patre accepit, quo acriorem Germanicae libertatis uindicem Germania non tulit. Nemo enim Ioannis Georgii tertii, Saxonis, reminiſcitur, quin recordetur ſimul, quid ille Germaniae Achilles, quantumque, terroris, et cladis, intulerit hoſtibus, ad Danubium, Moenum, Rhenumque, profligatis. Paternae uirtuti acceſſit materna, quae in regii et generis, et animi, genitrice, Anna Sophia, Danica, patrio Friderici tertii ſpiritu imbuta, eluxit. Horum ille diſciplina exemploque formari per aetatem ut potuit, quantae uirtutis indoles, quam rerum maximarum capax, continuo in puerulo fulſit. Namque, ad magna auguſtaque ſe natum, ipſis, quibus obſecutus eſt, ſtudiis oſtendit. Ecquae uero haec ſtudia. Togae bellique artes colere, regnorum ortus, incrementa, conuerſiones, ſuis ponderare cauſſis, cum his euenta conferre, cum euentis conſimilium gentium exempla. Ab his arcana dominandi, quae nihil tyrannidis haberent, petere, omnem reipublicae, uel condendae, uel regundae, diſciplinam, atque ipſum ciuilis prudentiae, quae belli paciſque iure inſtruitur, ſuccum, ueriſſimoſque neruos. Erudiri ſcientia rei militaris, adumbratiſque operum bellicorum ſimulacris,

cris, caſtella communire, propugnacula uel oppugnare, uel defendere, aciem inſtruere, ordines explicare, caſtra metari. Omnem armorum tractationem, omne genus decurſionum, exercitationumque equeſtrium, experiri, in campo hoc Martio ad omnes belli uſus parari. Nec uero pacis ornamenta poſthabere, manifeſtiſque iam auguriis portendere, aetate uirili quid expectandum foret. Hinc, architecturae ſtudio, arces extruere, palatia excitare, omne genus magnificorum operum moliri, lineiſque primis deſignare. Sed artis huius, ſumma priſcae memoriae ſolertia perfectae, exempla in antiquis monimentis ueſtigiiſque contemplari. Cum ueteribus contendere noua, ſed quae proxime ad ueterum excellentiam accedant. Splendorem talium operum in magnificentia Gallica mirari, ſed eorum perfectionem abſolutionemque in artis Italicae excellentia imitari. Hic illius labor erat, hoc rudimentum ſcientiae, quae, ab adoleſcentulo culta, a uiro abſoluta, Principem dedit, tum pace belloque optimum, tum illuſtri doctrina, quae remp. florentiorem reddat, excultum

Vt ſtudiis animum, ſic uenatu corpus, exercuit, laudabili certe inſtituto, quo uis animi,

Digitized by Google

negotiis feſſi, reficeretur, atque ad quoddam uirtutis experimentum, bellico ſimile, excitaretur. Ita quidem ſemper a bellicoſiſſimis fortiſſimiſque populis iudicatum eſt, a maioribus praecipue noſtris, priſcis Germanis, quorum, ut accepimus, uita omnis in uenationibus, atque in ſtudiis rei militaris, conſiſtebat. Sed Perſarum, quam ſingularis mos, tam magna de uenatione opinio, fuit, ea quidem aetate, qua ipſi Aſiae domitores erant. Horum enim rex, in uenando, ducis officio ſimiliter, ac belli tempore, fungi ſolebat, propterea, quod haec exercitatio rei militaris imago ducebatur. Itaque Cyrus, quantus bellator eſſet futurus, mirabili uenaticae rei ſtudio, multo ante, peradoleſcens, denuntiauit. Quin etiam priſcis heroibus uenandi cura non ſolum animum uirtutemque acuit, ſed prima etiam uirtutis Martiae palaeſtra fuit. Inuentum Deorum, ut arbitratur Xenophon, dux uenatorque ſummus, et Neſtoris, Theſei, Vlyſſis, Aeneae, Achillis, horumque conſimilium, prima, ſub Chirone magiſtro, ſchola. Hos aemulatus, Princeps noſter, cum Cyro illo Xenophontio, non minus uoluptatis ex feris mirae magnitudinis, manu ſua deiectis, cepit, quam animi, ea re, per ipſa adoleſcentiae tirocinia, probauit

In-

Digitized by Google

Indoli tam admirabili, qua praeſtantiorem ne heroica quidem laudauerint tempora, corpus mirifice ſubſeruiebat, pulchrum pariter, ac procerum, nec minus opportunitate membrorum habile, quam bonis lateribus firmum. Huius enim nerui Herculis cuiuſdam robore pollebant, tam mirabili certe, ut eius exempla, cum inſpectantium ſtupore ſaepius edita, aliis, qui non affuiſſent ſimul, incredibilia uiderentur, quamuis ab iis haberent audita, qui coram ſpectaſſent. Nec uero minus oculos omnium tenebat habilitas, mira membrorum commoditate, ad omnem motus facilitatem elegantiamque expedita. Ipſa denique ſpecies auguſta animum, tam praeclara ſede domicilioque haud ignobiliorem, ſed auguſtiorem multo, facile prodebat. Videreris igitur tibi, in ipſa ſtatim Principis noſtri pueritia, uidere alterum quendam Titum puerum, in quo corporis animique dotes tantum admirationis haberent, ut neſcires, utrum prius mirareris, formamne egregiam, et auctoritate gratiaque parem, ipſoque iam uirili robore ac praecipuo commendatam, an armorum, et equitandi, peritiam ſingularem, et alia, docilitatem maxime ad grauiſſimas quaſque, tum belli, tum pacis, artes

Digitized by Google

Habitat ſecum magnus animus, ut habeat ſui modum, ſed, pro ſtudio ſui perficiendi, anguſtiis locorum nunquam poteſt ita claudi, quin longius proſpicere uelit. Nunquam ſic torpet, ut uiarum difficultatibus, laboribus, ipſiſque periculis, retardetur, ubi, rerum inſignium conſpectu, diſcendi cupiditatem poſſit explere. Hac mente Princeps, ad ſumma exſuſcitatus, itinere ſuſcepto, obit Germaniam, maxime ſuperiorem, adit Gallos, tranſito ſaltu Pyrenaeo, commeat ad Hiſpanos, pergit ad Luſitanos, ſoluit in Britannias, traiecto rurſus mari, curſum dirigit ad Belgas, in Italiam, ſemel iterumque, contendit. In tam florentibus Europae regnis, tantis regum principumque Aulis, tanto gentium politiſſimarum cultu, nihil ullius generis eximium poteſt optare, quin reperiat, ſed nihil huiuſmodi reperit, quin ad uirtutis ſuae decus exornandum referat. Proinde, quanta inuſitatae indolis facit indicia, tantam ſui admirationem cunctis iniicit, quorum paullo ſagacior eſt nemo, quin mente praecipiat, quantis ille rebus fato deſtinetur

Id autem multo luculentius mox patet, cum, anno proximi ſaeculi nono et octogeſimo,

Digitized by Google

mo, Aprili fere extremo, domum reuertens, ineunte Maio eiuſdem anni, ductu auſpicioque Patris, ad Moenum Rhenumque iret, ac primum militiae tirocinium tam fortiter poneret, ut, Moguntia hoſtibus liberata, in partem haud minimam eius ueniret gloriae, quam Saxones incredibili fortitudine ceperunt. Virtus certe Saxonica iis in finibus ea gloriae monimenta ſibi ſtatuit, quae nulla temporis longinquitas deleuerit. Sed his ipſis in regionibus Friderici Auguſti memoria eo minus obſoleſcet, quo fuit admirabilius, in eo, uix dum adoleſcente, non tironis experimentum, ſed ducis cuiuſdam ſcientiam, aeſtiuis haud unis, cognoſci. Taceo, quantam fratri, Ioanni Georgio quarto, diui Patris ſucceſſori, in Gallos profecto, uirtutem praeſtiterit, quantam Belgis, ingentis belli mole preſſis, praebuerit, quantam ipſis probauerit hoſtibus, cognitam ſaepius, magniſque rebus perſpectam. Nemo enim ſuperioris tam ignarus eſt ſaeculi, quin, memoria rerum, illis temporibus geſtarum, repetita, multa ſimul recogitet, fortiſſime facta, quibus Saxo ſaepe multumque ſit illuſtratus

Suffectus in diui Fratris locum, quanti periculi metus a Barbaris, non ſolum Pannoniae,

Digitized by Google

ſed ipſi etiam Auſtriae, ipſi ſimul Germaniae, inferatur, uidet, bellique dux ab Imperatore, Leopoldo, ſumptus, fracto hoſtis impetu, imminens ſummumque rerum diſcrimen a ceruicibus Chriſtianorum repellit. Teſtis Dacia, cuius aditum, armis militum, fama nominis ſui, Scythis Thracibuſque intercludit, ne cui horum incurſioni furorique gens, tot minis, tamque infeſtis, ſaepius perterrefacta, uſquam pateat. Teſtis Temeſuaria, non modo, ut hoſti frenum iniiceretur, obſeſſa, ſed etiam proelio nota, acri illo quidem atque cruento, ſed neceſſario, cuius hic rerum felix erat euentus, ut, hoſte propulſato, Dacia periculo liberaretur

Multa tranſeo, Auditores, pluribus ab illo locis magnificentiſſime geſta illa quidem, ſed quae, iuſtis uoluminibus explicanda, non recipit hic ſcripturae modus

Quod ſi cetera excelſi animi teſtimonia, quorum infinita oculis omnium animiſque inhaerent, deeſſent, unum certe illud multorum pondus haberet, quod fortiſſima Sarmatarum natio, ac diuinitus in praeſidiis reipublicae Chriſtianae, aduerſus Barbaros collocata, Principem, locorum interuallis ſeiunctum, nihil huius

Digitized by Google

ius ſuſpicantem, nedum ſtudentem efficere, ita ſibi regem poſtulat, ac parat ad ſe perducere, ut in eius dignitatem, regno amplificandam, libera optimarum partium ſuffragia conſpirent. Miſſa igitur legatione ſplendidiſſima, inuitatur, magnifico comitatu deductus, intra fines introducitur, multitudine ciuium obuiam effuſa, recipitur, in ſede regia collocatus, more maiorum conſecratur, repulſis aemulis, qui adſunt, ultroque ſe offerunt, et multo ſtudio, ingenti ſumptu, magnis pollicitationibus, magnis neceſſitudinum ſuarum opibus, auctoritate, calliditate, confiſi, regnum prenſant. Fuit, ut inter omnes conſtat, Sarmatiae regnum multis, grauiſſimiſque, ſuperiorum temporum motibus concuſſum, quando diu fato, reipublicae irato, urgebatur. Rebus tam turbidis, multa, ciuilis diſcordiae malo, indigne facta ſunt, multa, quorum, rebus poſtea tranquillatis, ipſos poenituit auctores. Haec ingentium malorum tempeſtas, etſi tanta in rempublicam ui prorupit, ut acerrimi cuiuſque robur infringere potuerit, a Principe tamen noſtro, conſtantia quadam mirabili, ſuperata eſt, nec minore animi aequitate ſedata. Ille enim, de ſalute reipublicae dies nocteſque cogitans, ciues

prae-

Digitized by Google

praecipue in concordiam reducendos, putauit, et, eliſis odiorum diſſidiorumque ſtirpibus, otium reddidit, tam fortunatum, ipſum ut regnum, quod nuper facultatibus exhauſtum uidebatur, uires breui reficeret, fortuniſque locupletatum, dignitatem priſtinam recuperaret. Neque enim Princeps mitiſſimus irae paruit, ſed rationi, qua ductus, iniurias obliuiſci, maluit, quam ulciſci, promulgata etiam obliuionis lege, ne quis indulgentiae communis beneficio excluderetur. Sic ſe gerendo, ipſumque ſe uincendo, animi, uere regii, ſenſum explicauit, qui tanta manſuetudine ſubiectis parceret, quanta uirtute ſuperbos debellaret, mallet tamen ciuibus lenitatem patris adhibere, quam ſeueritatem ultoris. Haec illi noua ratio uincendi fuit, ut miſericordia et liberalitate ſe muniret, quod Iulius Caeſar olim de ſe praedicauit, generoſe quidem, at diſpari rerum exitu. Re ergo melius geſta, Rex noſter, cuius, iam mortui, auribus nihil dari poſſet, in ipſis Sarmatarum literis encyclicis, incorrupto, ad memoriamque inſigni, PRINCIPIS MAGNIFICI ET MVNIFICI, elogio, lugetur. Ipſa quidem res, quae geriſine ſingulari magnitudine animi non potuit, quam excelſi ille fuerit animi, docet. Regnum enim,

enim, quod, mortuo Ioanne tertio, turbulentiſſimum acceperat, pacatiſſimum reliquit, hoc certe uel uno meritus, cuius memoria nunquam deponatur

Sed ego quid externa conſector et longinqua, quae, ut Sarmatis exploratiora ſunt, ſic ab iis diligentius poſteris narrabuntur. Qua re ueniamus ad domeſtica, nobiſque proxima. In his autem quid maius, ac ſplendori domeſtico conuenientius, appareat, quam Principis connubium, uirtute mirabili, ipſaque auguſta ſpecie, Chriſtianae Eberhardinae quam maxime ornatum. Haec, regio corpore praedita, ſed animo magis regio, ecquam ſui ſimilem, inter ipſas Reginas, habitura uidebatur, etiamſi ſola proceritatis ſuae forma, et oris uultuſque totius dignitate, cenſeatur. Sed excelſae uirtutis quid non reperias, ac ſuſpicias, in filia patris optimi ac fortiſſimi, Chriſtiani Erneſti, Marchionis Barutini. Huius enim uirtutem, belli laboribus ac periculis inuictam, ac rebus, pro ſalute Germaniae ac dignitate, ad Orientem Occaſumque, excellenter geſtis, nobilitatam, nulla hominum obliuio, nulla temporum uetuſtas, obſcurauerit. Tanti patris uim, in animi ma-

Digitized by Google

gnitudine positam, in filiam defluxisse, omnes perspexerunt, qui, inter cetera eius ornamenta, constantiam animi, in omni fortuna aequabilem, cognorunt. Haec igitur, ex omni uirginum Principum flore lecta, quid eximiae commendationis non attulit matrimonio, quid ex eo, uirtute sua dignius, ferre potuit, quam ubertatis suae decus immortale. Quantum enim fuit, ex Matre hac, longe praestantissima, nasci Fridericum Augustum, unicam patriae spem, unicum Domus suae munimentum, solatium gaudiumque Saxonum, cuius in aspectu cunctae eorum curae requiescant

Iam ubique tot alti animi impressa sunt uestigia, quot opera Friderici Augusti sapientia prouidentiaque constituta sunt. Quantum enim splendoris habuit summus ille conclauis secretioris consessus, qui arcana Principis consilia tractauit, quantum dignitatis, sanctior ille amplissimusque senatus, qui rempublicam ordinauit. Praecipua uterque auctoritate praeditus fuit, tantaque sapientia, ut sedes consilii publici, neruus prudentiae, specula reipublicae, e qua futura longe in posterum prospiciantur, merito uocaretur. Videamur iam nobis ipsum uidere Regem, senatui utrique suo, rerum interiorum

Digitized by Google

rum participi, ut saepe factum est, praesidentem, de rerum summa omnique republica statuentem, decernentem denique, quid facto sit opus. Magnum sit, necesse est, consilium, quod ipsa maiestatis praesentia illustret, magna maiestatis huius benignitas, quae nullum laborem recuset, ut praesidio sit communi saluti

Nec uero minus cura Principis prouidentissimi uigilantissima pro ceteris reip. partibus excubauit, in muneribus maxime publicis quam optime constituendis. Difficile est, ipsum ordinem tot, ex omni genere, collegiorum, quibus floret Saxonia, persequi, quorum quidem omnium rationes tam sapienter initae sunt, ab iis ut exemplum rei, praeclare administrandae, ubique capi possit. In tanta uarietate consessuum, tot nobilissimorum, reperias occupationes infinitas, deliberationes grauissimas, sententias prudentissimas, merita plurima, et spectatissima, uirorum illustrium, splendidissimorum, amplissimorum, quorum labor omnis in conseruanda atque augenda salute publica consumatur. Haec multa cum admiratione, pari cum ueneratione, recordor, sed obruor multitudine rerum, quae dicendae uideantur hoc loco. Sed, quoniam Prin-

Digitized by Google

cipi noſtro, aequitatis ac iuſtitiae ſtudio, nihil antiquius fuit, ne dicam nihil, ſumma duntaxat attingam tribunalia, quae iuri dicundo praeſunt. Haec quidem ita iuſtitiae conſulunt, ut ſuum cuique diſtribuatur, recta honorentur, praua puniantur, nullus cuiquam locus querendi, niſi de culpa ſua, priuataque utendi fruendi bonis praeſentibus negligentia, relinquatur. Compreſſa pulſaque iuris calumnia, in forum ius faſque reuocatur, in hominum conſuetudinem fides, in uitae uſum aequitas. Suus innocentiae portus eſt, et beata fit reſpublica, quae tantum fraudibus ac maleficiis, quantum impunitate peccandi, liberatur. Tali modo potentem humilis obſeruat, non metuit, potens humilem non deſpicit, iniuriis non laceſſit, non opprimit, et aequali inter ciues iure uiuitur, pari ſecuritate rerum munitur tranquillitas. His rebus fit, ut, quo melioris auctor ſtatus fuit Princeps, eo ſplendidioris gloriae monimenta ſibi fecerit

Ipſa uero tribunalia ſtant legibus, quarum regula omnis iudicandi ratio dirigatur, ſuum cuique ius deſcribatur, reique publicae, uel tuendae bonis moribus uel emendandae, diſcipli-

na

Digitized by Google

na ſtabiliatur. Itaque merito ueniat in mentem mirari, quanta Principis, reipublicae amantiſſimi, cura omnis iudiciorum forma compoſita ſit, quam multa eiuſdem uigilantia de integro ſancita ſint, quot et quanta reipublicae ulcera, retractatis correctiſque legibus, in diſceptationibus potiſſimum forenſibus, ſanata, quam inueterata plurium generum mala, quae ſola conſuetudo inuexerat, penitus extirpata. Multa paucis dabo, ſi quidem uel unam forenſis actionis formulam, recens conditam, nominauero. Hac, nuper promulgata, lites, amputatis ambagibus, circumciduntur, calumnia iuris coercetur, modus iudiciis conſtituitur, quae dubia erant, certius definiuntur, quae obſcura, lucidius explanantur, quae conſuetudine, ſed inſtabili, nixa, lege ſtabili praecipiuntur. Ea re fit, ut ſua iuſtitiae uia aperiatur, nullo dignitatis, fortunae, aetatis, diſcrimine. Quicquid igitur, et quantumcunque, eſt ſalutis, quod ab iniuriis compreſſis, a ui cohibita, ab adempta impunitatis ſpe, in omnes reipublicae partes latiſſime funditur, id quidem ab unius huius ſanctionis fontibus profluere, prudentes confitentur, boni omnes, ſed omnium maxime ſuperiorum litium mora ſumptuque exhauſti ac

Digitized by Google

perditi, agnoſcunt, in eaque re momentum magni beneficii ponunt. Quo praeclarius igitur eſt, iniquitatem iuſtitiae, malitiam integritati, uiolentiam ſecuritati, cedere, hoc ampliorem, oportet, animi celſi laudem adipiſcatur, qui rem tantam, tam ſolida uirtute, tam uera utilitate, maximam, conſtituat, pro lege ſanciat, auctoritate publica communiat

Erat ſaeculi huius ineuntis labes quaedam et macula, turpis certe, ſi qua alia, et foeda, in pace otioque controuerſias, ſaepe leuiores, non lege, ſed armis, diſceptare, et, Barbarorum immaniumque hominum more, ius in manu ponere, ac, quos liberet, ad ſingulare certamen prouocare. Ea quidem res laudi ſolebat duci, qua uirtus, neſcio quae, magna certe praeſtantis animi praeſentia, declarari uideretur. Haec affectatae gloriae opinio, altis radicibus in multorum, praeſertim nobiliorum, animis defixa, indignationis, ſimultatis, leuioris etiam ſuſpicionis, omnis denique libidinis, impetum in alios, quamlibet inſontes, effundebat. Artubus, lacertis, neruis, gladiis teliſque, res gerebatur, proteruia, temeritas, furor, locum uirtutis, de gradu depulſae, occupauerant, ac

Digitized by Google

ac turbulentiſſimus quiſque, aliorum contumelia, ſuas experiebatur uires. Minis, collecto prudenter animo, cedere, ſui copiam prouocantibus non facere, pugnae ſe non offerre, iniurias lege in foro perſequi, imbelle, ignauum, infame, haberi ſolebat. Collatis igitur armis, mutua clade concurrebatur, rixis, conuiciis, cuncta fremebant, uulneribus, ſaepe caedibus, ſaeuiebatur. Nuſquam fere tuta fides erat, moreſque aſciſcebantur, non republica Chriſtiana digni, ſed Cyclopica, in qua lacertoſus ualeret ac furioſus, pulſaque e medio ſapientia, non rationi, ſed licentiae, non pudori, ſed ferocitati, non modeſtiae, ſed immanitati, locus eſſet. At ſatius erat, uirtutis, quae pectore tam generoſo geſtiret erumpere, impetum, in Imperii hoſtes conuerti, quam in ciues, ſocios, amicos, quos caritate, humanitate, officiis, complecti, conueniat, non, maledictis, pugnis, plagis, ipſa caede, inſectari. Hoc maiore igitur animo iſtam digladiandi, ſingularique conflictu decertandi, libidinem refrenauit Princeps, pacis diligentiſſimus, quo capitalior iſta reipublicae peſtis erat, et quo minus edictis, quamlibet ſeueris, perdomanda multis uidebatur. Si pluris eſt, iudice quidem Romanorum fortiſſimo, Scipione,

Digitized by Google

pione, ſuffragatore etiam huius ſapientiſſimo, Antonino Pio, Imperatore, unum ciuem ſeruari, quam mille hoſtes occidi, quo tandem in loco numeroque ducamus legis huius, tam ſalubris, praeſidium, quo ciues tot ab interitu iam retrahuntur, quot alioqui, mutuis uulneribus confoſſi, interirent. Eodem libidinis exultantis freno hoc proficiebatur, ut, depoſita et manſuefacta barbaria, ciuium animi uere magni exiſterent. Diſcebatur enim graui contumacium periculo, feruorem ratione temperandum eſſe, in eamque conſuetudinem mentes adducendas, ut homines ſe uincant ipſi, eaque ſui uictoria cunctas, quas licentia ſibi finxerit, laureas ſuperent. Sic ergo conſortionis humanae munus decorumque tenebatur, ſi placide, amanter, concorditer, ſine cuiuſquam moleſtia, omne tempus aetatis inter populares degeretur, ſi, conſeruato ubique otio, controuerſiae, quae caſu quodam interceſſerint, non ferro, ſed iure, diiudicarentur, ſi nulla ui telorum res gereretur, ſed ab omni iniuriarum genere abſtineretur, quas edicti, tam ſancti, ſeueritas ulciſci uellet. Multa relinquo, ſanctionibus aliis utilitatis egregiae conſtituta, quae, tametſi perpetuae tradenda ſunt memoriae, in admi-

Digitized by Google

admiratione tamen, malo, ea reponi tacita, quam uerboſius exponi. In tanta enim rerum, quae mihi ſeſe offerunt, copia, facilius eſt, orationis principium, quam exitum, reperire. Taceo, ea ne meam quidem operam deſiderare, quae, apud nos, in omnium uerſentur ore, atque omnium cognitione teneantur. Quod ſi quibus ea minus cognita ſint, haec certe in ipſis, quibus ſanciuntur, tabulis rectius leguntur, quam enumerantur hoc loco

Quantum fortunae, dignitatis, amplitudinis, ex perpetua Principis ſapientiſſimi cura uigilantiaque, in omnem redundauerit Saxoniam, fides potiſſimum publica, qua omni reipublicae nihil potius eſſe debet, ipſo finitimarum, diſiunctarumque, gentium teſtimonio, minime ſuſpecto, eoque probatiore, confirmat. Hac enim fide Principis auctoritas ſtat, hac florentis reipublicae firmamentum, laborantis ſubſidium, ſuſtinetur, hac fulcitur omnis negotiandi facultas, externorum populorum ſtudiis commerciiſque ſubnixa, cuius incrementis ipſae reipublicae opes effloreſcunt. Iam, hac de fide Saxonica ubique magnam eſſe hominum opinionem, toties animaduerſum eſt, quoties numis, qui

Digitized by Google

ponerentur in foenore, aerario Saxonico offerendis, inter ciues peregrinosque certatum est. At, locupletato iam aerario, quod huic creditum fuerat pecuniae, creditoribus, ne reposcentibus quidem, repraesentatum est, quod autem aeris, foenore accipiendi, aliunde, magna diuitum ambitione, delatum, eius aeris recusandi causſa in promptu fuit. Saxoniae enim, suis iam thesauris praeditae, rationes alienarum haud egebant opum. Sic rerum gerendarum neruus Saxoniae multis honestissimisque modis accedebat, auctaque domesticorum fructuum ubertate, in terris Saxonicis, simul cum auctoritate fidei publicae, omnium rerum copiae crescebant.

Habebat tamen Saxonia, quod desideraret, si non probis in numis aerarii publici, quo adulterini nihil admitti solet, at in ea certe moneta, quae uulgi usu teritur. Est sane uitium aegrotantis reipublicae haud postremum, quod rei numariae corruptela contrahitur, quocum tamen Germaniam conflictari, tot corrigendae monetae consilia, tot edicta, in Imperio promulgata, ac seuerius emendata, declarant. Eius morbi contagio, quae latius serpserat, ipsam inuaserat Saxoniam, eamque pestem sedari remedi-

is

is posse, multi, speciosis sententiarum argumentis, et, ut sibi persuaserant, inuictis, negabant. At malo, aliis tam insanabili, medicinam reperit Princeps boni consilii plenus, et, proscripto atque exterminato ex finibus suis aere notae non bonae, cuius generis mira colluuio aliis ex regionibus huc confluxerat, nitorem numis restituit, pretiumque uerum. Quae quidem res adeo prospere cecidit, ut aduenae numis, usu Saxonum receptis atque probatis, oculos animosque pascant, ut ipsi praedicare solent

Cum nolim actum iam agere, nolo equidem scrutari Saxoniae thesauros, in metallis abstrusos, quos annales domestici iam pridem narrauerint. Sed noui res exempli est, gemmas lapidesque pretiosos tantae magnitudinis in secturis uenisque Saxonicis reperiri, ut ex iis integra pauimenta potuerint excidi, tanta etiam copia et bonitate, ut hae splendoris haud uulgaris merces, quae a multis expetebantur, ad externas gentes, ipsos praesertim Italos, asportatae sint. Populis enim, harum peritis elegantiarum, dignae uidebantur, quae deportarentur in patriam, ut maiore sumptu, quam in Saxonia uenirent, aliis in locis uenderentur. Ex his enim

Digitized by Google

uarii, elegantiſque, artificii uaſa, atque alia, conficiebantur, opera, unde multum commodi ad emptores primos rediret. Quod quidem etſi ad honorem Saxoniae, lautitiarum inſignium, quas exteri appeterent, fertilis, pertinere uidebatur, tam intemperanter tamen ea res quaeſtui eſt habita, ut nuper edicto Regio uetitum ſit, ne qua mercatorum, uel domeſticorum, uel peregrinorum, fraude, natiuae gemmarum deliciae e Saxoniae finibus exportentur. Magnifici enim Princeps animi, quo ſtudio hunc Saxonici prouentus ornatum ex ſaltuum latebris extraxerat, eodem, illum Saxoniae ornamento ſeruari, cupiebat. Sic enim habebant alienigenae, uel politiſſimi, quod, praeter feracitatem patrii ſoli, mirarentur, cum reperirent in Saxonia, quod domi ſaepe deſiderarent

Circumferamus per Saxoniam oculos, ut uideamus, quot, et quanta, Friderici Auguſti opera fabricatoris ſui magnitudinem, quae his quoque rebus noſci poſſit, multis modis lociſque teſtentur. Sed ipſae uiae, quibus eundum eſt, nos morantur conſpectu ſtatuarum Mercurialium, tam ſolide ex lapide quadrato ſtructarum, his ut nihil ab iniuriis coeli metuendum ſit,

Digitized by Google

ſit, tam apte poſitarum, ut et interualla locorum accurata dimenſione notentur, et, quo pergendum ſit, uiatoribus monſtretur. Quin etiam uiae, uel refectae, uel ampliatae, ac longius productae, uel factae recens ac ſtratae, magno ſunt leuamento, atque adiumento, tum profectioni, tum negotiationi. Quam expeditum per tot pontes, non modo multis partibus meliores factos, ſed etiam nuper inſtitutos, iter, curſu quamlibet incitato, tempeſtate quamlibet foeda, facias, quantum eiſdem in pontibus non ſolum firmitudinis, ſed etiam amplitudinis ac dignitatis ſaepe, cernas. Aſpiciatur in primis pons ille Dreſenenſis, non ex ſublicis, ut Tiberinus olim, ſed ex lapide quadrato, conſtructus, opere etiam tam mirabili, ut ei parem, ſi non longitudine, at, uel pulchritudine certe, uel, in conferta hominum turba, eundi ac redeundi oportunitate, uel proſpectus amoenitate, quem ponas, inuenire uix poſſis. Quod ſi uarii generis, exquiſiti operis, aedificia, ingentibus ſubſtructionum molibus excitata, reſpicias, in his ſane quam plurimis nullum, uel artis priſcae, uel nouae, deſideres exemplum. Talia tibi opera, ne quid dubites, ponit ante oculos uel ſola, pluribus in locis, Dreſena, quorum conſpectu et admira-

Digitized by Google

miratione peregrinatores, aedificandi uſu periti, facile adducantur, ut confiteantur ipſi, in his quoque regionibus architectos habere, quod adiiciant ſcientiae ſuae. Quot praeterea uillae, quot arces, quot aliuſmodi aedificia, egregiis ſplendent artificiis, quae Regem habent uel auctorem, uel approbatorem, uel emendatorem quoque ſaepius. Hunc enim, ſcimus, non ſolum multos aedificatores illuſtres, exemplo ſuo, feciſſe, ſed ea etiam humanitate uſum fuiſſe, ut, et formas aedium, lineis adhuc deſcriptas, ſibi, pateretur, exhiberi, et, quae diſplicerent, nota miniatula diſtingueret, ea quoque interdum manu ſua emendaret. Addidit igitur ad ceteras meritorum ſuorum laudes, quibus in republica gerunda abundauit, hanc quoque eximiam curam, Dreſenae aedificiis excolendae. Gloriatur Auguſtus Caeſar, ab ſe Romam relinqui marmoream, qui lateritiam acceperit. Intuere, quaeſo, Dreſenae tot pauimenta, marmoribus ſtrata, tot parietes, marmore exornatos, tot alia plurium generum ornamenta, ex marmore ſtructa. Hunc praeſentem Dreſenae cultum cum ſuperiorum temporum facie, qua tecta antiquitus conſtituta, humilia etiam ac ruinoſa, ſaepe apparebant, confer, ut intelligas, quan-

Digitized by Google

quantum, hoc Principe, ſplendoris antiquae huius urbis formae, multis in locis neglectae, acceſſerit

Aedes autem ipſas, recens extructas, introire, ſi libeat, inſignem in his admirandamque plurium artium ſolertiam reperiemus. Artificia reticeo complurium generum, pannificii noua arte tractati, texturae ſericae, ex auro etiam argentoque, rei uitrariae, ſcalpturae, ſculpturae, picturae, atque alia uſus elegantioris opificia, quae gentium externarum myſteriis olim tenebantur, nunc Saxonibus frequentata ſunt ualdeque trita. Vna, tot ex munditiis, refero uaſa, ut dicuntur, Porcellanea, quae ueteres, ut non nullis placet, concham Veneream uocarunt, ut aliis, murrhina. Non diſputo, quam recte. Haec autem uaſa, quae ex India aduehuntur, ſuperiore memoria, fortunae lautioris, etiam regiae, theſauros ornabant. Eadem, iiſdem ex oris in Europam poſt importata, emuntur adhuc mercantium ingenti ſumptu. Sed merces huiuſmodi Saxonicae, peritorum iudicio, ipſis praeſtant Indicis, ſiue materiae, unde fiunt, ſubtilitate, ſiue compactionis firmitate, ſiue operis uerſicoloris, etiam auro picti, elegantia, iudicentur. Haud igitur habentur indigna haec uaſa,

quae

Digitized by Google

quae muneri regibus mittantur, et aularum palatiorumque ornamentis inſerantur, ea certe oculos omnium, etiam Aſianorum atque Afrorum, defixos, uenuſtate ſui mirifica, tenent

Sed tot Saxoniae decoribus antiquitatis eruditae Muſeum deeſſe uidebatur. Hoc peregrinatores, elegantiae priſcae ſtudioſi, delectandi erant, hoc ipſi ciues erudiendi, ſiue uarias antiquae doctrinae partes excuterent, ſiue, ueteris operis exemplo, omnibus numeris abſoluto, ſuas fingendi pingendique artes excolere ſtuderent. Similia tamen antiquitatis ſpolia ubinam reperires his in terris. Ea uero ueteris aeui ſupellex, quae temporum iniurias effugerit, rectius aliis in regionibus, Italiae uicinis, in gaza in primis Gallica, quae ſignis, ex Italia deportatis, adornaretur, requirenda uidebatur, maxime uero Florentiae ac Romae, quae his doctae uetuſtatis pignoribus abundarent. Neque eo ſecius Princeps ingentis animi, qui iam pridem nihil harum deliciarum, ipſis in ſedibus ſuis, non uidiſſet, ſuſcepta earum cura, omnium expectationem ſuperauit. Nullis enim pepercit ſumptibus, ut, conquiſitis in Italia, Vrbe praeſertim, ſignis, ſtatuis, marmoribus, omniſque generis

Digitized by Google

neris monimentis ac tabulis, quae ſeruatae eſſent ex artis uetuſtae naufragio, potiretur. His ſtipatum eſt ornatumque Muſeum Dreſenenſe, his alliciuntur exteri, his ſpectatores omnium generum, lautiore praeſertim doctrina exculti, ad ſpectaculum, ſibi iucundiſſimum, inuitantur. Eo certe rerum uiſendarum apparatu tantum Dreſenae decus adiicitur, haec ut, in regionibus, ab Italia remotiſſimis, quo Romani nunquam uenerunt, ſita, maiori cum admiratione, quam Florentia, Romanis finitima, ſuo quodam modo paruula quaedam Roma dicenda uideatur

Miremur, oportet, Florentinos ueteris memoriae theſauros, miremur noua eorum opera, quae ex marmoribus, gemmis, aliiſque magni pretii rebus, elaborantur, ſumma arte, inſigni ſplendore, incredibili ſumptu. Ipſi tamen Tuſci, Dreſenenſe naturalis ſcientiae Muſeum ſi uideant, pro aequitate animi ſui, haud negauerint, nihil huic ſimile, uel apud ſe, uel in omni Italia, reperiri. Haud deſunt huic naturae ſtudio, aliis in gentibus, uel ingenia, uel impenſae. In primis Britanni huius doctrinae principatum tenere uiſi ſunt, eiuſque opes, undique collectas, tam cupide ſibi comparare, ut exiſtima-

Digitized by Google

ſtimatum ſit, Auguſtae Trinobantum quoddam uelut naturae horreum inſtrui. Laudandum eſt nobiliſſimae, ac doctiſſimae, gentis ſtudium, aliorum ſimul populorum, huic doctrinae deditorum, ſua cuique tribuenda laus eſt. Haud tamen uidetur caritati patriae nimium dari, ſi quidem nationes externae, quae naturali ſcientia delectentur, in Regiam Saxonicam, ad ſpectaculum naturae, operibus ſuis illuſtratae, inuitentur, ut uideant ipſae et iudicent, habeatne forte Dreſenenſe illud naturae armarium aliqua, quae domi, in ſcriniis ſuis ac myrotheciis, fruſtra quaerant. Multa enim integra, quae diuerſis in terris coempta ſunt, Muſea in Dreſenenſe confluxerunt, multa, quae aliis, quamlibet illuſtribus, poſſeſſoribus defuerant, inſolito exemplo apparata ſunt, et undecunque excuſſa, multa, quae ne fando quidem fuerant audita, doctiſſimi ſaltem cuiuſque cognitionem effugerant, ex uariis Orbis partibus, conquiſita ſunt, ex locis etiam ſaepe obſcuriſſimis. Neque eo ſecius interioris Africae ſolitudines, quo paucis aditus pateret, tot exquiſitis eruditorum ſtudiis, quibus aliae terrarum partes perueſtigatae ſunt, multa ſubtraxiſſe uidebantur. Qua re, nuper hominibus quibuſdam

Digitized by Google

buſdam doctis, ſcimus, has Africae latebras perquirendi, negotium ab Rege fuiſſe datum, eamque rem in oris illis diligenter adminiſtratam, ut ſperandum ſit, nouam inde acceſſionem rerum commemorabilium, uulgoque ignotarum, Saxonicis naturae deliciis adiunctum iri. Etſi multa, quae uoluminis inſtar exigerent, nobis, tam exiguo dicendi curriculo circumſcriptis, praetermittenda ſunt, haec tamen, de quibus dictum eſt, quantam Saxoniae amplitudinem famamque afferant, nemo non uidet. Ea uero quanti ſint animi, quanti etiam ingenii, opera, facile intellexerit, qui ea tantummodo audita habeat, nedum cognita, ac nauiter explorata

Quam acri autem ſemper animo in bellis proeliiſque uerſatus ſit Princeps fortiſſimus, ſupra demonſtratum eſt, eoque minus idem denuo commemorandum uidetur, quod de inuicta uirtute Herculis huius Saxonici, ac Germanici, nemo bonae mentis, rerumque noſtrarum ſciens, unquam dubitauit. Illud etiam, quod pluribus hic enarrandum foret, in commentarios temporum iam relatum eſt, et, iis quod deeſt, rectius iuſtis operibus explicatur, quam,

Digitized by Google

modicae orationis anguſtiis arctatum, recenſetur. Sed fortiſſime factis haud cedit domeſtica Principis prudentia, qua ſolitus eſt in ipſa pace de bello cogitare. Pax enim in tutela belli conquieſcit, belli praeſidia laceſſendi periculum oſtendunt, metu periculi uis arcetur. Quo ſcientior igitur rei militaris fuit, eo firmiora paci munimenta dedit. Hoc uidere licuit in toto rei bellicae ſtatu, qui eius prudentia fundatus eſt. Intueamur conſilii bellici ſenatum, diſciplinam bellicam, duces praefectoſque copiarum, milites ipſos. Nihil hic, niſi lectiſſimum, factis probatum, uſu eximium, ipſa ſpecie praeſtans, Martium plane. Vidit ſuperioribus annis Saxonia, uidit Sarmatia proximo, caſtra, ſed animi exercitationiſque cauſſa utrobique poſita, in quibus belli ſpectacula, cum magnifica, tum noua miraque arte compoſita, edebantur. Inſtructa acie, commutata etiam ſaepius, ac uarie directa, ſigna inferebantur, concurrebatur, pugnabatur, pede relato, cedebatur, inſtabatur rurſus, acriuſque proelium inſtaurabatur, omnis artis militaris periculum fiebat. Ea uero re, tum inſignis militum peritia, tum forma etiam totius exercitus, oculorum ac uultuum ardore, corporum proceritate,

Digitized by Google

tate, membrorum agilitate, pulcherrimi, ora omnium oculoſque in ſe conuertebat. Sed quantum inſtar cunctis in copiis Saxonicis, quae ſtipendia faciunt, et numeroſo delectoque exercitu conſtant, adhuc apparet, quantum etiam robur, quanta armorum ſcientia, ut milites hos Saxonicos uere, uel Fabianos uel Iphicratenſes, dixeris. Horum, ſuperiorumque, uirtuti reſpondebat Principis cura, quorum ille hoſpitiis opera moliebatur ampliſſima, quorum morbis ac ſenectuti, bellis exhauſtae, nihilo minora ſtruebat. Omitto recens inuenta, uel exercitationum militarium, uel machinarum bellicarum. Haec enim, omniſque militiae apparatum, multo ornatiſſimum, uidere qui ſtudeat, is quidem Dreſenam potiſſimum adeat, ut quandam Gradiui patris officinam conſpiciat, atque operum, quae nec Homericus ille, nec Virgilianus, Vulcanus diis heroibuſque ſuis procuderit, praeſtantiam admiretur. At horum, quae commemorauimus, quid fuiſſet unquam futurum, niſi hoc ipſum, ſapientia Friderici Auguſti curaque, ex animo nobiliſſimo ac uere auguſto, extitiſſet

Quod ſi requiras illuſtria omnium gene-

Digitized by Google

rum decora, plura maioraque, quam dici poſſint, in ipſam te ſedem Regiam infer, ut in ea uideas uniuerſa, quae aliis in locis diſperſa compareant. Ab hac autem Principis noſtri Regia diutius, quam uellem, me continui, cum ſplendor eius aciem oculorum ſic praeſtringeret, ut, illam propius adire, uix auderem. Fuit enim haec Aula, quod ne ipſi quidem peregrinatorum lautiſſimi infitiantur, fuit, inquam, haec una ex totius Europae magnificentiſſimis, quae omni nobilitatis flore ornaretur, omnis lautitiae cultu expoliretur, omnibus purpuratorum ornamentis abundaret. Nihil enim hic eſſe potuit, niſi auguſtum, ubi Friderici Auguſti purpura ſapientiaque omnia fulſerunt. Adeo cuncta, quae multiplici cura Regis huius inſtituta ſunt, excelſi Principem animi, nec uno nomine auguſtum, qui ſui certe menſuram nominis impleat, in omnibus uitae partibus, cunctiſque locis, cumulatiſſime demonſtrant

Sed, quo ſpectatius eſt tanti Principis ac Regis exemplum, eo nunc dolentius, comploratione miſerabiliter edita, profuſis uberrime lacrymis, deflendus eſſet illius exceſſus, ſi quidem, uel defleri ſatis pro dignitate poſſet, uel ipſe Diuus

Digitized by Google

uus Fridericus Auguſtus ſolam collacrymandi materiam nobis reliquiſſet. Auguſtus, Caeſar, cum, aperto Alexandriae in Aegypto Alexandri Magni tumulo, regem, tot gentium uictorem, contemplatus, impoſitaque corona aurea, ac floribus aſperſis, ueneratus eſſet, interrogatus, numquid etiam uidere Ptolemaeos uellet, Regem, inquit, uolui, non mortuos, uidere. Magnifica uero uox, Auguſtoque digna, quae declarat, regibus, ac principibus, immortalitatem, non dignitate loci fortuniſque, ſed excellenter factis, parari, et, his qui careant, eos mortuorum ſimiles eſſe, his qui excellant, eos demum uiuere, nec mori unquam poſſe. Hac mente idem Imperator, ut accepimus, arbitratus eſt, immortalitatis, quam mortalitas hominum non capiat, genus quoddam ſola uitae mortiſque gloria comparari. Quam quidem gloriam, tum uitae, tot rebus, magnifice geſtis, ornatae, tum mortis, in medio reipublicae ſinu, in ipſis regni comitiis, cum ſaluti ciuium ualetudo, alieniſſimo anni tempore, poſtponeretur, oppetitae, ſic reliquit Auguſtus noſter, ut eam ſimul adeptus ſit nominis immortalitatem, quae non indecora deſideret lamenta ac muliebria, ſed decorum uirilemque cul-

cultum. Colamus igitur, ac fidelis animi memoria proſequamur, curam paternam, qua Pater patriae indulgentiſſimus, Traianus noſter, ac Princeps potius optimo Traiano melior, noſtram omnium ſalutem complexus eſt. Colamus, alteque defigamus in pectore noſtro, ſenſum beneficentiae, qua mitiſſimus Princeps, ac munificentiſſimus, Titus noſter, fouit nos atque cumulauit. Colamus, nobiſque contemplanda, poſteris omnibus ſuſpicienda, proponamus cetera, et maxima, Principis, immortali memoriae commendandi, decora, quibus partim Saxonicum totumque Germanicum, partim Sarmaticum, nomen illuſtrauit. Viuit ergo, uiuetque in animis noſtris Fridericus Auguſtus, uiuet in commentariis temporum, per aetates quaſque ſeriſſimas, uiuet in fama rerum, citiuſque genus hominum, quam illius memoria, extinguetur

Nobis autem illud magno eſt ſolatio, poſſe a nobis uirtutis, in tam illuſtri poſitae monimento, quam in Friderico Auguſto, Patre, uenerati ſumus, uiuum ſpiranſque exemplar, quod in Friderico Auguſto, Filio, diui Patris ſimillimo, relictum eſt atque expreſſum, adhuc

Digitized by Google

huc coli, tantaque Heredis, atque Succeſſoris, ſapientia, clementia, atque effuſa in bonas artes gratia, animos noſtros, fatali patriae caſu proſtratos, erigi denuo, atque ſuſtentari. Quem quidem unicum Saxoniae, ad obligandum patriae uulnus ſanandumque, diuinitus eſſe datum, merito laetamur. Huius enim uultu tranquillo ſerenoque reficimur, huius in ſapientia, iuſtitia, clementia, res ſpeſque noſtras ponimus, hoc paratiſſimo doctrinae liberalis propugnatore, nihil extimeſcimus mali, hoc munificentiſſimo literarum ſtatore, nihil boni non ſperamus. Ecquid enim ab eo boni non expectemus, qui, cum ſumma quaque ſcientia, perſonae Principis conuenientiſſima, a paruulo ſit excultus, tum etiam optimarum ſtudia artium in deliciis habeat, ab iiſque, et ſapientiae Regiae, qua pacis bellique decus continetur, inſtrumenta, et heroum exempla, literis illuſtrata, ad imitandum ſumat. Quid boni nobis ab eo non polliceamur, qui iam pridem, naturali quodam bono, ſic uniuerſa, quae prudentia ciuilis inuenerit, ſibi fecerit lucri, ut omnium caritates, miro efficacique promerendi amoris ſtudio inuitatas, arctiſſime ſibi deuinciret. Quid nobis ex eo boni non auguremur,

Digitized by Google

qui, rerum potitus, ipsa Principatus sui initia tot ac tantis mirabilis gratiae documentis repleuerit, ut publica quadam hilaritate ipsa praesentium temporum tristitia non parum mitigaretur. Felix successionis auspicium, quod benignitate, uirtute, Deo carissima, Principibus digniſſima, Patrem patriae optatiſſimum desideriis ciuium uotisque pollicetur

Salue igitur, Princeps cunctis exoptatiſſime, Friderice Auguste, salue una cum Maria Iosepha, Austriaca, quam auguſtae stirpis, tam auguſtae bonitatis, salue, una cum Excelsa Domo, quae tot generis humani Deliciis, quot fecunditatis domesticae pignoribus, utroque in sexu, floret. Suscepisti rempublicam. Feliciter. Imperas praeclare. Feliciter. Nobis omnibus, ad bene de omni republica sperandum, quasi signum aliquod tollis. Feliciter. Sic enim Tibi, solemni ueterum formula, acclamamus. Noſtri quidem gaudii uim, quis miretur, si quo sensu communis miseriae reprimat Aulae silentium triſte, ueſtimentum funebre, squalor in omni cultu domeſtico, quarum certe rerum facies, tam luctuosa, laeti nihil admittere uidetur. Sed tanto magis, coniunctis precum noſtrarum uiribus,

Digitized by Google

ribus, Deum rogamus, ut, fomentis diuinitus adhibitis, moerorem ſedet, ac, ueſtigiis luctus omnis domi foriſque deletis, aduerſa ſecundis, triſte ſilentium laetis gratulationibus, ueſtes lugubres togis candidiſſimis, ſqualorem cultu fortunae omnis ſplendidiſſimo, mutet. Eidem Deo immortali ſupplicamus, ut Gentem, Saxonum dominam, aduerſus incertos ac funeſtos praemuniat caſus, cunctis rerum periculis liberatam, nouis ſemper munimentis firmet, coeleſti denique praeſidio ſeptam, ac felicitate, quantam mortalitas capiat, affluentem, quoad homines erunt, conſeruet

Viuas ergo, Pater patriae, Parens fortunae noſtrae, mitiſſime, ualetudine ſemper proſperrima, aetate ad extremam ſenectutem, ſed uiridem ſemper, prouecta, quoad naturam ipſam ſatietate uiuendi expleueris. Viuas, una cum Maria Ioſepha, Matre patriae, tantis in ſtirpis Saxonicae florem meritis, quantis auctae prolis ornamentis, felici. Viuas, rebus Altiſſimae Domus Tuae ita florentibus, ut acceſſione uirium ſemper creſcant, et proxima quaeque fortuna ſit inſtrumentum ſequentis

Digitized by Google

Viuas Saxoniae, cuius bono natus es, cuius decori excultus, cuius ſolatio ſeruatus. Viuas Germaniae, totique Imperio, quod nihil inſignium expetit decorum, quin, id ſibi, putet, ab ornamentis tuis, utique maximis, ſponderi. Vndique Tibi plauditur, cum nemini ſit dubium, quin tanto praeſtantiora fortunatioraque futura ſint conſilia tua, quanto ea ſapientius atque ſanctius, pro aſſerenda patriae ſalute, tuenda Germaniae ſecuritate, retinenda Europae tranquillitate, more inſtitutoque Maiorum tuorum, capiantur. Gaudebit his publicus rerum ſtatus, laetabuntur optimarum partium ſocii, amplificabitur antiqua Saxonici nominis gloria, et quotidie magis floreſcet, nominis denique immortalitas Tibi, tam ſalutari bene conſultorum auctori, parietur. Hoc mente diuina, qua futuris temporum caſibus occurrit, proſpicit Carolus Sextus, Auguſtorum maximus, et, quo Tibi, non affinitate ſolum, ſed omni etiam caritate, coniunctior, eo conſiliis tuis laetior, ex iis noui ſpem firmamenti, quo ſecuritas Germaniae muniatur, noui praeſidii, quo iura Imperii defendantur, ſuſcipit, eaque re ingentem illum, atque coeleſtem, mirifice reficit animum, qui, diurnis nocturniſque curis preſſus,

ſed

Digitized by Google

ſed oppreſſus nunquam, in altiſſimo Orbis gradu, tanquam in editiſſima terrarum ſpecula, pro incolumitate Germaniae, dignitate Imperii, otio Europae, ſecuritate Orbis Chriſtiani, excubat, admirandum poſteris in modum. Nos ergo, ſpe deliniti ſuauiſſima, acquieſcimus in ominibus his pulcherrimis, quae tanto conſenſu in principatus tui felicitatem conſpirant. Sed, ipſo rerum expetitarum perceptarumque ſenſu admoniti, multo magis conquieſcimus in bonitate gratiaque tua. Haec enim multiplici iam pridem beneficio Muſis noſtris cognita eſt, haec tuo nobis praeſidio adhuc conſeruata, haec explendis omnium deſideriis tam parata, ut in ea merito reſpublica, cunctaque noſtra, curae potiſſimum ac ſolicitudines noſtrae, uelut in paterno ſinu, ac tuto tranquilloque portu, requieſcant

Digitized by Google

ORATIONES
V
PANEGYRICVS
IN
SOLEMNE CRACOVIENSE
QVO
REX POLONIAE
AVGVSTVS TERTIVS
INAVGVRATVR
ACADEMICO NOMINE
DICTVS
IN ARCIS AEDE
XV CAL. MARTIAS
A. CIↃ IↃ CC XXXIIII

Breui tempore magna rerum commutatio in Sarmatis facta eſt, Auditores. In huius enim gentis finibus tanta, tamque improuiſa, fortunae uarietas animaduertitur, ut primum inopinato ex ſecundis aduerſa, paulloque poſt, opinione citius, ex aduerſis ſecunda, naſcantur. Sarmatia enim nuper, felicibus Auguſti Secundi auſpiciis, otio iucundiſſimo domi

Digitized by Google

mi quieta, cunctis rerum copiis affluens, omni gloria abundans, excelſe floret. Ecce ſubito fama, Varſouiae Regem, omnibus bonis cariſſimum, cum in regnum, ualetudine tenui, uix reuerterit, morte repentina deceſſiſſe. Ea re ciuibus tantus inceſſit dolor, ut cuncta luctu compleantur. Itaque caſu tam triſti ipſae Calendae ſuperioris anni Februariae funeſtantur, communiſque moeroris materiam optimo cuique praebent. Inde repentini cientur ingenteſque motus, quibus omnes regni partes agitantibus, concordia ciuilis in partes diſtrahitur, armis caſtriſque diſſidetur, in eumque res locum deducitur, ut in praeſens exitium uocari omnium fortunae, ipſaque ſalus, uideantur. Sed tanto maiorem Sarmatis inſperantibus laetitiam, interiectis uix octo menſibus, affert tertius Nonas Octobres. Hoc enim die Auguſtus Tertius in locum Diui Patris ſufficitur, liberis Procerum ſuffragiis ſapientiſſime delectus. Quicquid tamen recentis gaudii animis conceptum eſt, hoc in publicas omnium gratulationes, huius demum anni ſexto decimo Calendas Februarias, erumpit. Hoc enim die Rex, nuper auſpicato creatus, frequentiſſimo gentis conuentu, ſumma caerimonia, maximo ſplendore, Cracouiae inauguratur. Itaque

Digitized by Google

que cuncti, qui recte ſentiunt, hunc ſibi diem illuxiſſe fortunatiſſimum, praedicant, eiuſque ſolemni, bonae ſpei pleno, effuſiſſime gaudent

Omnis certe, qua meliorum eſt partium, Sarmatia communi quadam laetitia exultat, et, ciuium, inter ſe congratulantium, plauſu uocibuſque, perſonat, nec modo praegeſtientis animi uoluptate, ſed etiam officii religione, certat. Tam fauſti enim diei lucem, regno mediis in tenebris obortam, non aliter aſpicit, ac ſolem, rurſus orientem, qui, diſpulſa diſſipataque temporum caligine, coeli ſerenitatem Orbi Polonico reddat, conſpectu ſudi iucundiſſimo, mentes animoſque recreet, calore quodam ſalubri uires regni refoueat, et nihil incrementorum polliceri non uideatur. Extollens igitur caput, ſeque erigens, ſpei contra fortunam temporum inſiſtit, noui Regis aduentum ſolemni conſecrationis ritu pompaque excipit, eiuſdem Regis auſpicium, ac uota, pro Principe ſuo nuncupata, Deo immortali commendat. His muneribus perfuncta, inter acclamationes publicas, inter editos machinarum fulminantium fragores, accenſoſque noctu feſtos ignes, gaudio triumphat

Amici

Digitized by Google

Amici atque ſocii undique ſucclamant, ſecundiſque rebus exhilaratae gentis, uelut ſuis, ſtudent. Hac mente, miſſis publice legationibus, gratulatum ueniunt, omina ferunt, foedera uel arctiore uinculo aſtringunt, uel noua ſanciunt, quantamque animo capiant uoluptatem, patefaciunt, quibus poſſunt modis

Vel audiunt haec Saxones abſentes, uel praeſentes inſpectant, et iudicant quidem, nihil eorum, qui ſuo habeantur Principi, honorum pro meritis ei non tribui, ac nihil eidem tantae dignitatis deferri unquam poſſe, quin eius multo plus mereri uideatur. Sed, eum, ubi animaduertunt, tanta Sarmatarum cupiditate in regnum arceſſi, quanta, ſecum, ipſi uelint, retineri, tum uero ſubuerentur, ne quid huius accidat ſibi, quod piis liberis ſolet. Hi enim, certiores facti, in peregrinis remotiſque terris, noua patri ornamenta parari, his primo gaudent, ut ſuis. At illum, in uiam ſe dantem, ut cernunt, profuſis repente lacrymis, diſcedentem proſequuntur. Quem diutius abeſſe domo, poſteaquam intelligunt, iam eius deſiderio angi, iam periculorum, quae ſubire poſſit ille, imaginem, mente fictam, ante oculos ſibi proponere, iam ſibi,

Digitized by Google

neſcio quid, timere, illud poſtremo, ne diu fruſtraque reditus expectetur deſideratiſſimi patris. Tam ſoliciti timoris plenum eſt amoris ingenium, quem pietas inſerit, fides alit, officium deuincit. Senſus idem caritatis, Patri patriae optatiſſimo deuotae, ſi cadat in bonos fideliſſimoſque ciues, ſi commoueatur in eis uehementius, quis miretur

At uero ciues iidem, cogitatione decoris, quod, ab aliis prenſatum, Principi noſtro, nihil huius captanti, ac ne cogitanti quidem, ultro defertur, excitati, eo inſtituunt animum, quo ratio, quo ſanctitas officii, quo religio obſequii, uocant. Altius enim repetenda eſt auſpicii regii origo, ut praeſens manifeſtumque Numen, quod, fatis regnorum arbitratu ſuo uerſatis, ſceptra liberrime tranſfert, inter ipſas hominum de rerum ſumma conſultationes, regumque ſucceſſiones, ſumma cum ueneratione agnoſcamus. Suſpiciendum in coelum, ut a praepotenti regnorum praeſide ac ſummo cuſtode, qui precibus religioſiſſimis exoretur, auſpicatiſſima regni ineuntis primordia, uberrimos rerum auctus, proſperrimae fortunae ſtabilitatem, impetremus. Ipſa denique rerum ſecundarum ſpes, quam ponimus

Digitized by Google

nimus in opé diuina, non ſuaui modo atque otioſa cogitatione complectenda uidetur, ſed gratulandi etiam pietate teſtificanda, ut cultus, qui tanti Regis Principiſque debeatur meritis, omni ex parte declaretur

Quas quidem dicendi partes illis, uellem, datas fuiſſe, qui magis, ad eas ſuſtinendas, idonei forent. Sed, quoniam cunctis ampliſſimorum Patrum ſententiis mihi demandatum fuit, ut hodierno die in concionem aſcenderem, et Academicae pietatis interpres eſſem, ego, adductus officio, quaſique mei oblitus, auctoritati, quam defugere non poſſem, cedendum parendumque, duxi. Cogitanti autem mihi, quid huius diei celebritate, quid perſona maxime noui Regis, eſſet dignum, illud animo occurrit, quod Sarmatae, in ſuis de Rege eligendo deliberationibus, potiſſimum in oculis et habuerunt nuper, et habere ſoliti ſunt. Circumſpexerunt ſibi Principem, apprime inſtructum ad tuendam libertatem regni, in qua, tanquam in auito ſingularique gentis ſuae bono, ſumma omnia reponunt. Hunc autem talem Principem, in aliis, dignitate generis, illuſtri uirtute, plurimis laudibus, ornatiſſimis, cupide quaeſitum, in ſolo Saxone, Impe-

Digitized by Google

rii Nouemuiro, Friderico Auguſto, inuenerunt. Dicam igitur de Libertate Poloniae, per Electionem Auguſti Tertii optime aſſerta. Vos, Auditores, ſumma, ac iuſtiſſima, in optimum Principem noſtrum reuerentia inter uos certatis, omneſque noſtis, eiuſdem ſummi Principis honori publico ſeruire negotium, quod mihi datum ſit. Quo minus rogandi eſtis, ut ueſtram in audiendo beneuolentiam mihi, uerba facturo, praebeatis

Libertate, qua gentes nationeſque utuntur, nullum diuinius eſt munus, quod rebus publicis tribui poſſit. Nam libertate conſtat ea uiuendi facultas, quae non ex metu herilis imperii pendeat, ſic quidem, ut omnis praecipiendi parendique ordo ex domino ac ſeruis conſtituatur, ſed, quae praeſcripto regatur optimarum ſaluberrimarumque legum, ſine quibus nec reipublicae ſalus, nec ſingulorum fortunae, ſe tueantur. Conſtituta enim ciuitate, iſti demum ſine legibus uixerint, qui, nullo, firmo arctoque, inter ſe uinculo contineri, uoluerint, nec habere, quod, in capiendis conſiliis agendoque, ita ſequantur, uti nobis bene ſit, ciuibus noſtris haud male, ac potius communi quodam ſtudio conſpi-

Digitized by Google

conſpiretur ad incolumitatem publicam, ubique conſeruandam. At leges, in republica ſancitae, libertatem non tollunt, ſed praeſidiis muniunt, prudentia moderantur, ipſaque coercenda libidine, omni libertatem iniuria prohibent, ac tutam ſecuramque praeſtant. Vltimas igitur rerum publicarum origines ſi reteximus, illae quidem non alia ex re, quam iuſtitiae fruendae cauſſa, conditae uidentur. Iuſtitia enim frui, difficile erat, ubi uel ſinguli ſingulorum, uel pauciores plurium ac potentiorum, inſidiis atque iniuriis patebant. Sublata uero iuſtitia, ne ipſa quidem libertas, ubi conſiſteret, habebat. Vis enim, atque, hac ſaepe periculoſior, fraus, quandocunque poterant, in aliena inuadebant bona, familiarique ſibi tyrannide illam, quae in bonis emineret, facultatem uiuendi, ut uelis, appetebant maxime atque opprimebant. Sic iuſtitiae nerui ſunt leges, leges ſimul, per iuſtitiam, libertatis praeſidia. Cuius quidem libertatis dignitatem, tantum abeſt, ut, in regno quoque florentiſſimo, cuſtodia legum atque auctoritas, aliqua ſui parte, deterat, ut nihilo magis auita populi iura conſeruet, quam ipſam regum maieſtatem, obſequio populi ſanctam, confirmet. Eadem enim ultima regum creandorum cauſſa

Digitized by Google

fuiſſe uidetur, quae legum ferendarum, ut deligerentur ad imperandum, qui pari iuſtitia ſapientiaque ceteris antiſtarent. Ius enim aequabile horum, uel aequitate in omnes erat deſcribendum, uel auctoritate uigilantiaque defendendum, quo libertatis ſecuritas, legibus ſepta, in tranquilla rerum ac iurium poſſeſſione, uigeret.

At nihil huic libertati, cui ratio praeeſt, modumque prudentia ſtatuit, huic, inquam, nihil eſt negotii cum licentia, quae, ſui prodiga, excuſſo rationis freno, indulget ſibi, neque ius, niſi in manu poſitum, habet, factaque ſibi latius euagandi uia, quocunque ſuo rapitur impetu, eodem effrenate fertur. Hanc gentes, tantum a temeritate, quantum ab ignauia, ſeiunctae, perpeti non poſſunt, hanc, uelut capitalem reipublicae peſtem, omni ſeueritate reprimunt, hanc, tanquam nominis labem, nec leuis notae maculam, ex omni memoria funditus delendam, putant. Abhorrent igitur ab iſtorum conſiliis, qui libertatem patriae turbulentis machinationibus ſubruunt, libera gentis ſuffragia, in quibus libertatis ipſius cardo uertitur, terrore miniſque circumſcribunt, non legibus, ſed libidini ſuae, ſeruiunt, nec, quod, publice fructuoſum ſit, ſed quod

Digitized by Google

quod priuatim utile, ſpectant. Hos, indignantur, eo audaciae prolabi, ut patriam externae dominationi prodere, dum ſuas expleant cupiditates, non dubitent, eandem certe patriam, diſſenſionibus diſtractam, conuellere, ac Barbaris, undique excitis, lacerandam tradere, malint, quam, errore correcto, more prudentioribus geſto, a ſententia ſua pertinaciaque dimoueri

Hoc ſtatu rerum perturbatiſſimo, male cum libertate, a maioribus relicta, agitur, quam ciues ipſi, in ſua ſaeuientes uiſcera, mutuis odiis, et cladibus ultro citroque illatis, affligunt. Eius autem libertatis, non ſolum intermiſſae, ſed etiam euerſae propemodum, cum morſus ſint acerrimi, non eſt mirandum, ſi uiri, amantes patriae, multum proſpicientes in poſterum, imminentis fataliſque calamitatis diſcrimine, tam praeſenti, grauiſſime commoueantur. Sed tanto magis illorum praedicanda eſt uirtus, qui, nullo periculi metu de gradu deiecti, animum capeſſunt, conſilio rebus aſperis occurrunt, ac ne deſperatis quidem animi praeſentia deſunt. Bene enim ſapienterque rem gerunt, nautas imitati, quibus laudi non ducitur, in portu, aut in tranquillo, nauigare, ſed nauem, fluctibus ac procellis

Digitized by Google

cellis iactatam, ex hyeme marique ſcopuloſo ſeruare. Namque, ut aurum igni, ſic uiri periculis probantur

Haec tanta uirtutis gloria, ſi unquam ulla in gente, in Polonis certe ac Lithuanis, qua in meliore ſunt cauſſa, ſic nuper enituit, ut hi, perpetuo foedere in unum reipublicae corpus conflati, communi laude, quantum ſapientiae exemplum edidiſſe, tantam Sarmatici nominis dignitatem ſuſtinuiſſe, uideantur. Quid, Martia Sarmatarum gente, praeſtabilius. Haec enim, ſpiritus auiti decoriſque plena, rebus, magnifice geſtis, abundat, haec, diuinitus in extremis Chriſtianae ditionis finibus collocata, ſacras quaſi ac perpetuas agit excubias, haec, Barbaris toties, non ſolum domi, ſed etiam in Pannonia, propulſis, longiuſque reiectis, ea profecto re hoc ampliorem conſecuta eſt nominis famam, quo ſanctiorem, quo minus Chriſtianorum ſanguine commaculatam. Quid, libertate Polonica, praeclarius. Haec enim, a maioribus accepta, inter tot rerum temporumque uiciſſitudines inuiolate conſeruata, antiquo ſemper iure graduque ſtetit, haec, nata cum ipſa republica, formam populi regundi fundat, nec modo regni

Digitized by Google

regni legibus, ſed uicinorum etiam pactis ac ſponſionum tabulis, ſtabilitur, haec, in regni comitiis, omnique procerum conuentu, primas tenet. Ea quidem tanta eſt, ut, libero ſuffragandi iure, inops locupleti, infimus nobilium ſenatorum principi, aequetur. Quicunque horum in deliberando obnuntiauerit, eum ad rationem facti ſui reddendam adigi, fas non eſt. Itaque haec libertas cum tantam ſanctitatis auctoritatem obtineat, omni tempore pro ea, cum ipſo capitis ac fortunarum diſcrimine, dimicatum eſt. Plures etiam regni conuentus, hiſtoria omnis memoriae teſte, diſturbati ſunt, ut illud eſſet integrum, quod uulgo dicitur, Liberum Veto, ſiue, cum Romanis loqui ſi malis, Intercedo. Et, quoniam, ipſorum etiam uicinorum intereſſe, uiſum eſt, ut eadem reipublicae adminiſtrandi ratio, idem nobilitatis ius, retineretur, ſaepenumero illi, ſimul ac periculi ſuſpicio increpuit, Polonicae illico libertati ſunt opitulati, ut plura plurium temporum exempla teſtantur. Sic auitae Polonorum libertati non ſolum a ciuibus, ſed a finitimis etiam populis, ſemper eſt quam ſtudioſiſſime conſultum

Quo periculoſius igitur, hoc indignius, res

Digitized by Google

nuper acta eſt, cum proiecta quorundam licentia in libertatem Polonicam tantum ſibi permitteret, ut, in re maxima, cuius momento ipſa rerum ſumma ſtaret, non commune Reipublicae conſilium liberis procerum ſententiis relinquerent, ſed, aliorum iudicia ſuis aſtringi, uellent, non rationem, ciues, inter ſe diſſidentes, concordia coniungendi, inirent, ſed nouis factionibus diſſociandi, non integra in medium conſilia afferrent, ſed deliberationem, priuata iam conſpiratione decretam. Prius enim, quam ferendi ſuffragii cauſſa in campum deſcenderetur, aut nomen foederi, aduerſus libertatem icto, dandum erat, aut ex medio excedendum, aut expectanda peſſima quaeque. De quibus autem conſultabatur, in his eo minus calliditas frauſque apparebat, quod ea Reipublicae, temporum difficultatibus explicandae, quod libertatis tutandae, quod omnis externi terroris expellendi, cauſſa, proponi, commendarique, dicebantur. Sed haec multo periculoſius ab iſtis iactabantur, qui plurimum auctoritatis ad mouendum habere uiderentur, plurimum eloquentiae ad perſuadendum, plurimum animi ad audendum, nec minus ſolertiae ad agendum, inſtandum, perficiendum. Accedebant externae blanditiae, nec minus

Digitized by Google

nus aſtutae, quam malo publico facundae, pollicitationum liberaliſſimarum ſpes immenſae, harumque illecebrae, largitiones profuſae, ut ſimulata caperetur amicitia, quicquid ui non poſſet. Quibus quidem, aureis quaſi aureae fidei atque caritatis pignoribus, cum ſingularis beneuolentia ſponderetur, id unum laborari petique, prudentiores intelligebant, ut hoc ſeruitutis auctoramento libertas conſtringeretur, his iacturis auiti iuris iactura fieret, his ciuium corruptelis fides, patriae caritas, ipſa denique ſalus, labefactaretur. Illud iam tempus rei obtinendae ueniſſe fallacibus Poloniae amicis uidebatur, quo, pecuniam in loco perdere, maximum foret lucrum, quo gradus ad machinationes futuras ſtrui poſſet, quo denique, aliter fieri ſi non poſſet, tranquillum nihil immotumque relinqueretur. Quid multa. Decurrebatur ad illud extremum, ut dictis adiicerentur minae, minis armorum terror, ferrumque, in concilio gentis, in campo, ubi Rex, quem Deus oſtenderet, liberrime creandus eſſet, ſtrictum, non iam, ut olim, libertatis inſigne foret, ſed, cunctantium terror, repugnantiumque fatum

Inde, ingenti rerum animorumque motu, alii

Digitized by Google

titubare, quos firmiores credidiſſes, alii trepidare, quos fortiores, alii muſſare, quos apertiores, alii penitus obmuteſcere, quos diſertiores. At multi tantas indignitates diutius non pati, nulla timoris ſignificatione, ſumma animi conſtantia, obniti, de iniuriis, quibus omnia, diuina et humana, iura permiſceantur, queri, clara uoce reclamare, conceptis uerbis obnuntiare, et, quicquid ui metuque coactum ſit, hoc reſcindi merito, irritumque fieri, atque haberi pro nihilo, aperte, ſub dio, citatis, quotquot adſint, teſtibus, animoſe ac ſapienter demonſtrare. Actum uidebatur de libertate comitiorum, actum de libertate gentis, quam, fato quodam reipublicae irato, ſub Principis domeſtici nomine, peregrinae dominationi, ac nullum ferenti liberum ſpiritum, ſubiici, meliores cordatioreſque ciues iudicabant

Tam neceſſario tempore, dominante licentia, iamque triumphante, uiri exardeſcebant acerrimi, parique animo, ac reſtiterant conſiliis, patriae inimicis, trans Viſtulam, a ceteris, tam loco, quam propoſito, ſeiuncti, laboranti patriae ſubueniebant. Hos enim Deus, qui regnis prouidet, excitauerat, ut, ad libertatem experrecti,

Digitized by Google

recti, iura patriae integra ſibi reſeruarent, hos eoſdem inſtigabat, ut nullis muneribus corrumpi, nullis inuitamentis pellici, nullo terrore infringi, poſſent. Itaque hi bonorum ciuium retinent officium, et, conſiliis ſtudiiſque conſociati, cura prudentiaque ſua Rempublicam ruentem excipiunt, et, liberis incorruptiſque ſententiis, ei rerum ſummam tradunt, quem piis mentibus Numen indidiſſet. Mira igitur animorum alacritate in conſilium itur, mira uoluntatum conſenſione Saxoni, nec opinanti, nedum aucupanti, ſuffragia feruntur, iiſdem in campis, ubi quondam Henricus Valeſius, Francogallus, Rex ſalutatur, mira omnium laetitia Regis, frequenti ſolemnique uoce appellati, auſpiciis acclamatur. Atque hic quidem, miſſa publice legatione ſplendidiſſima, in regnum, quod ei, more maiorum, ab optimo quoque delatum confirmatumque ſit, iam occupandum, inuitatur, hic, mirifico omnium ſtudio, tanquam uindex aſſertorque periclitantis libertatis atque incolumitatis certiſſimus, expectatur.

Haec dum geruntur, uim coeleſtem, cui cedendum ſit, aduerſarii ſentiunt, ac, repentina rerum conuerſione perculſi, uia decedunt,

Digitized by Google

fugaque dilapſi, latebris abduntur. Haeccine merces laboris noſtri, uociferantur nonnulli, procerum nobiliſſimi, ut fama tulit. At, ſalubriore conſilio alii, quos, opinione lapſos, communi errore deceptos, rerum poenitet anteactarum, mutant ſententiam, famaque Saxonis, iam aduentantis, ad officium reducti, quem unum ante alios regno digniſſimum ponunt, huic demum uni parere ſtatuunt. Duces auctoreſque magnos ſequuntur eximii comites, his autem alii, ut fit, adiunguntur, ampliſſima dignitate praediti, et magno praeclaroque comitatu cincti. Horum conſpectu atque auctoritate trahitur multitudo, agmine undique facto, paci ſeruitur, deleta diſſidiorum memoria, in priſtinam gratiam reditur, in Regem modo lectum conſentitur, quantoque hic iudicatur praeſtantior, tanto melius de omni republica ſperatur. Sic, fortuna propere commutata, libertas, quae demerſa uidebatur, ſe emergit, ac ſpes, in prouidentia Rectoris ac Principis Optimi collocata, rerum ſtatum, qui breui ſit expectandus, optimum promittit.

Dignus hac tot hominum, tot populorum, ex latiſſimis Regni finibus affluentium, expectatione

ctatione fuit, ſi quiſquam, Auguſtus Tertius. Hunc enim ipſa libertas Polonica uidetur aduocaſſe, ut, ſecundum Deum, eo potiſſimum duce, ab incommodis temporum uindicaretur, quo nemo ſit inſtructior ad munus hoc obeundum, nemo quoque cunctis rebus ornatior, quibus regni dignitas teneatur, aliaque ſalutis publicae adiumenta arceſſantur. Opus, tam arduum, non mediocrem quandam facultatem poſtulat, ſed, ex frequenti uirtutum praeſidio, prudentiam in primis, qua uulnera, Reipublicae impoſita, ſanentur, iuſtitiam, qua ſuum cuique reddatur, magnitudinem animi, multiplici ratione conſtantis, moderationem, qua nihil intemperanter fiat, aut iracunde, ſed placide quietis, ac ſedate

Hae uero diuinae Principis noſtri, ſapientis, iuſti, magnanimi, placidi, dotes ſunt, haec bona eius naturalia, quibus omnis illius uita actioque exſplendeſcit. Nam, cum in uirtutis cultu ſumma ponat omnia, tum illam maxime conſilii gubernatricem amplectitur, quae, ad cauendum ſemper accincta, futura uelut e ſpecula proſpiciens, totum uitae curſum regit, atque ipſum Reipublicae clauum tenet. Hoc uſus guberna-

Digitized by Google

bernaculo, omnes fortunae ſcopulos praeteruehitur, ex ipſis etiam, quae obiiciuntur, uadis eluctatur, deliberando conſideratus, ſtatuendo prouidus, agendo acer, conſultis facta coniungendi peritus. Itaque de rebus inſtantibus ueriſſime iudicat, futurarum iudicia ex praeſentium praeteritarumque cauſſis, inter ſe comparatis, ſumit. Sed, in omni conſultatione, rationes omnes ſubducit, ne quando ſecuritate, uel uirtus remittatur, uel diligentia fallatur. Contra ea, perpetuo pro Republica conſilio curaque excubat, ut cunctis huius partibus peraeque conſulat, nihil eorum non annuens, quae ciuibus ſint ſaluti, ſed iſtorum nihil indulgens, quibus adminiſtratio Reipublicae, inſtituta maiorum, iura ſingulorum, uiolentur. Nerua, Caeſar, ut felicitatem temporum ſuorum doceat, ab ſe, edicit, ſecuritatem omnium quieti ſuae praeferri, ita quidem, ut, et libenter noua beneficia conferat, et, ante ſe conceſſa, ſeruet. Hanc autem benignitatis fidem, quam ciuibus ſuis Romanorum Princeps facit, Noſter ſuis, ipſo ſtatim regni initio, praeſentibus nobiliſſimiſque bonitatis ſuae argumentis, egregie praeſtat. Neque enim aliter regnum capeſſit, quam dandis cumulandiſque beneficiis, ac iuribus uoluntate

Digitized by Google

luntate manuque ſua confirmandis, a maioribus quae tranſdita ſunt. Quae quidem auctoritate ſua tam rata certaque facit, nihil ut ſanctius eſſe poſſit, tam prompto eadem animo tuenda ſuſcipit, ut ne ipſa quidem res tanta multis egeat precibus. Ipſa enim Principis aequiſſimi ac beneficentiſſimi uoluntas ultro tacitis ciuium deſideriis occurrit, his quoque ipſis ſaepe anteuertit. Stat igitur reſpublica ſtatu, quo ſteterat olim, ſtat maxime legibus ſuis, ſtat antiqua gentis dignitate, et plurima ſalutis incrementa capit. Ex ea tamen Principis noſtri ſapientia, non minus in Germaniam, totumque Imperium Romanogermanicum, commodi, quam in Saxoniam, redundat. Auitum ille in Imperio, excelſumque, gradum tenet, ubi, pro dignitate loci, pro caritate patriae communis, de iure belli et pacis, ſtatuendum eſt, de foederibus, de finium praeſidiis, de arcenda ui, de legibus, uel ferundis, uel interpretandis corrigendiſque, de republica Germaniae ordinanda, omnique huius iure tuendo. Quae quidem res, tam graues, tam late etiam fuſae, etſi curam ſapientiſſimi cuiuſque fatigare poſſunt, Principis tamen noſtri ſtudium, quod nunquam relangueſcit, ſic exſuſcitant, ut hic ipſa multiplici uarietate occupatio-

Digitized by Google

num, quibus profuerit quam plurimis, refici uideatur. Hoc animi ſapientis habitu, quem nomine actuque exprimit, Saxoniae Fridericum quendam Sapientem reddit, hoc, Auguſtum quendam, quem Imperii cor, manum atque oculum, praedicare ſolebant, hoc, magnum praecipue patrem, Fridericum Auguſtum, qui, nomine Friderici atque Auguſti coniuncto, decus utriuſque, ſed animo ſimul, tam excelſo, cuncta maiorum ornamenta, complexus eſt

At, quae prudenter quamlibet ac ſalutariter in republica ſunt prouiſa, parum certe profecerint, niſi, perpetua, fulciantur, et conſtanti, uoluntate, ſuum cuique diſtribuendi. Ex ea enim animi inductione, quae ad communes hominum utilitates adiungitur, fructus percipitur commodorum, quae a ſalutaribus praeclariſque conſiliis manant. Hae uero partes cum ſint iuſtitiae, in qua uirtutis ſplendor eſt maximus, tam iuſtum reperimus Principem noſtrum, ut iuſtitiae ſtudium eius maxime proprium cenſeamus. Res ſeuera eſt iuſtitia, quae, ab omni ſimulatione abhorrens, neque uerba, neque uultum, callide fingit, ſed eodem omnes ore intuetur, eadem cum omnibus uoce loquitur, ut ſummi cum infimis

Digitized by Google

infimis pari iure retineantur. Interdum tamen, ſummum ius ſumma ne fiat iniuria, iuris triſtitia aequitate mitiganda eſt, hominumque fragilitati ſuccurrendum. Haec mitiſſimi Principis noſtri indoles eſt, quem etſi, ad magna natum, ad ſeueritatem natura genuit, eundem tamen, noſtratis imbecillitatis memorem, benignitas, ſimul ingenerata, ad comitatem lenitatemque flectit. Ex ea re ſuum cuique ius, nullo hominum diſcrimine, dicit, nec patitur, ut leges malefactis obruantur. Nec tamen, eam ſibi uim, ſinit, afferri, quin, ſicubi res monuerit, aliis rigorem iuris molliat, aliis, facta culpae gratia, poenae metum demat. Quo fit, ut, quam, ſeuerus iudicando, timeatur, tam, mitis ignoſcendo, ametur. Et, quoniam iuſtitiae fundamentum eſt fides, quanti iam fiat haec dictorum conuentorumque conſtantia et ueritas, qua ſeruat inuiolate ille, quicquid recepit. Hac eius ſanctitate ciues iura, a maioribus accepta, ſibi firmant, hac omnem futuri temporis metum expellunt, hac ſuſtentant res ſpeſque ſuas. Atque haec quidem ipſa Principis iuſtiſſimi fides eſt illa, quae tantam Saxoniae fidem conciliat, ut nihil inſignium ſit negotiationum, quin ei, ex finitimis, diſiunctiſſimis etiam, gentibus, accedat.

Digitized by Google

Qua de cauſſa tot opes aerario Saxonico ab exteris quotidie offeruntur, eas, certo perſuaſis, nuſquam tutius, quam illuc, inferri, nec aliunde, minore ſortis periculo, uſuras capi. Adeo iuſtitia Principis, quanto illuſtriore fertur laude, tanto pleniores ipſas Saxoniae copias efficit

Quanquam ex ipſo iuſtitiae ſtudio uis animi, altius exſurgentis, fulget, haec tamen uis clarius elucet in ea animi magnitudine, quae nihil mollè, nihil ſuperbum, nihil remiſſum timidumue, admittit. Haec igitur adhibet earum maxime rerum deſpicientiam, a quibus inuicti ſaepe uictores ſolent uinci. Voluptates enim, blandiſſimae dominae, eos fere ſuis tentant deliciis, ac multis illecebris obſeſſos tenent, qui paullo ante nullo hoſtium terrore ſubigi poterant, ſed, laboribus iam periculiſque perfuncti, quod agant, aut metuant, habere ſibi non uidentur. Itaque maiores partes animorum, quamlibet acrium, a uirtute ſaepe numero detorquent, et, ignauia, libidine, aliiſque uitiis foediſſimis, bellatores illos clariſſimos, omnemque eorum gloriam atque fortunam, corrumpunt. At, quam tandem Principis noſtri uoluptatem dixeris, quam

Digitized by Google

quam animi oblectationem, niſi eam, quae ex uirtutum, eius faſtigio dignarum, exercitatione capiatur. Nam, ſi qua res ampla, ſi qua publice ſalutaris, fuerit obiecta, haec demum illum conuertit ad ſe totum ac rapit. Honorem uenationis, clarioremque huius uſum, neſciat, qui, eius ſtudio indolis feritatem, negotii fugam, oblectationem animi otioſam, declarari, credat. Romanae quidem gentis principibus tanti fuit uenatus, ut dicatur opus Romanis uiris ſolemne, nec modo uitae et membris utilis, ſed etiam famae, propterea, quod in uenatione ſigna fortitudinis apparent. Venatio enim fortium ſemper uirorum eſt habita, eaque priſci heroes ſunt uſi, non ſolum ad animi remiſſionem, ſed ad ipſam etiam uirtutem, uel inſtruendam, uel alendam. Nec uero aliter iudicatum eſt a ueteribus, iis praeſertim, qui, uenatores, meminerunt, aſſuefieri ad mane ſurgendum, ad frigora laboreſque perferendos, ad moleſtias itinerum et curſuum tolerandas, ad multa ſtrenue impigreque facienda. Tali modo Princeps noſter uenationem in delectamentis habet, ſed tum demum, cum, feſſus reipublicae curis, otii quid aſſumit, quo ſubrefectus, acuatur rurſus ad rem, multo acrius gerendam. Huic enim curae ue-

Digitized by Google

naticae, antiquorum ducum inſtituto, a puero ſtuduit, ſiluas peragrans, ſaltus excutiens, montibus inerrans, nullo frigoris aeſtuſue incommodo retardatus, ut, conſectatione ferarum, praeda potiretur, quam petierat, eoque ſe ſtrenuo labore exerceret, atque duraret. Adeo ne illae quidem ſuauitates uirtutis opera uacant, quas Princeps noſter, fortiter uenando, cum heroibus omnis memoriae, capit

Sunt tamen, qui uoluptates, ut ſordidas ad famam, contemnant, ſed, rebus ſecundis elati, ſuperbiam atque arrogantiam fugere non poſſint. Res enim proſperae ſtimulis acrioribus animos explorant, ut, humanae conditionis obliti, ſe non capiant ipſi, et difficilius eſt, res ſecundas, quam aduerſas, ferre. Iam Princeps noſter tantis affluit omnium rerum copiis, quantas fortuna quaeque ampliſſima recipere uideatur. At, quantum ab omni aliorum faſtidio abeſt. Vt neminem ſupplicum ſuo prohibet aditu. Quam clementer libellos ſupplices accipit. Quam miſeros deſertoſque, ut pater, conſolatur, iuuat, protegit, diem, quo benigne non fecerit, arbitratus, periſſe. Hoc, opinor, eſt animi, qualem ciues optauerint, excelſi, hoc

eius

Digitized by Google

eius etiam animi, quem, ut Deo probatum, dubitare non possis, corroboratum diuinitus iri, ad quaeuis periculorum genera, uel subeunda, uel sustinenda, uel superanda. Strenuae huic et inuictae menti quanta lenitas sit coniuncta, uident iam Poloni, re sui famam superante. Poloniam enim prius intrare noluit, quam clementiae suae fama ipsam implesset. Alit ciuilis discordia partes, diuersasque partium causas. Alios enim spes metusue, alios ira atque odium, alios libido nouarumque rerum cupiditas, quosdam etiam ignoratio melioris consilii, et opinio officii, uarie trahit. Multa igitur, necesse est, impie fiant, accedente praesertim illorum cohortatione, qui partibus se duces praebent. Sed proinde, ac si nihil, ullam in partem, fuisset peccatum, omnibus a Principe, maxime placabili, ignoscitur, rerum anteactarum obliuio sancitur, idque tabulis publicis, in regnum praemissis, promulgatur. Hoc perindulgentis animi temperamento, quid diuinius, quippe, cum diuinitas ipsa placabilitate, iustas iras temperante, uelit censeri

Habent animi magnitudinem labores, sed ardui, constantes, pro salute publica suscepti. Quos

Digitized by Google

Quos quidem in Principe noſtro qui deſideret, is nimirum rerum noſtrarum expers eſt. Ignorat enim, quot ille, et quantis, in republica regunda, negotiis diſtringatur, quoties cum amicis, arcanae deliberationi ſuae, pro ſumma eorum fide prudentiaque, aſſumptis, rationes conſiliorum conferat, quanto cuncta rerum deliberandarum momenta ſtudio ipſe ponderet, quam ne quieſcere quidem poſſit, niſi cunctis probe curatis. Sed praeſtantis animi robur, uelut auitam palmam, quis dubium Saxoni faciat, ſanguine illorum procreato Saxonum, quos animi excellentia, rebus fortiſſime geſtis cognita, maxime illuſtrauit

His prudentiae, iuſtitiae, conſtantiae, fundamentis conſtituta, uirtus illum quaſi uitae ornatum facile oſtendit, quem praebet temperantia, ſedatio perturbationum, rerum omnium modus. Cuius quidem ornatus decoriſque uiuum quoddam exemplar intueri qui geſtiat, is uero Principis noſtri Aulam ingrediatur, uitam conſideret, facta contempletur. Splendidus ſane eſt totius huius Aulae cultus, qualem dignitas Heri tanti poſtulauerit, ſed nihil in ea luxurioſum, ſobria cuncta, exemplo Principis, maxime

Digitized by Google

me ſobrii. Opulentus Princeps, magnificus, lautus in primis, ſed hoc praeclarior, quod omni uita ſui modum habet, omnem intemperantiam grauitate ſua continentiaque ponit indignam. Hoc compoſiti, hoc temperantis, animi iudicio, quicquid ſuſcipit, tractat, et, appetitu refrenato, quicquid deliberat, id ratione metitur, uerecundiaque ductus conſultiſſima, non tam famam, quam conſcientiam, reueretur. Forma corporis, quae, ſui aſpectu, moueat oculos ac teneat, pulchra, ſed animi habitu, quo tranquilla, diſpoſita, circumſpecta, moderataque, ſint omnia, multo pulchriore. Statu, inceſſu, omni geſtu motuque, quam decorus, tam auguſtus, ſed ordine, conſtantia, moderatione dictorum omnium atque factorum, conſpectior idem, ac longe uenerabilior. Eodem uultu, eadem fronte, utraque in fortuna, ſibi ſemper ſimilis, ſed aequabilitate uniuerſae uitae, ſingularumque actionum, quo uirtuti coniunctior, hoc admirabilior, ſuae ſemper perſonae conſentaneus, ac dignitati. Scientia opportunitatis, idoneorum ad agendum temporum, praeſtans, eoque rerum curam atque delectum accommodans, ut maximarum, ſic optimarum. Gloriae tam appetens, quam qui

Digitized by Google

maxime, at illius demum uerae, nec infucatae, quae uigeat illuſtri, et peruagata, multorum magnorumque in patriam, in Imperium, in omne genus hominum, fama meritorum

Sed quota haec pars uirtutum, quibus Princeps noſter excellit. Quas quidem ſingulas perſequi ſi uellemus, et dies nos deficeret, et rei magnitudo nos opprimeret, et ipſius modeſtia Principis, quae in tanto faſtigio eminet, factis contenta, nos cohiberet

Inuictum ſui robur haberet uirtus, ſi tanti ſemper fieret ab omnibus, quanti oporteret. Sed, quoniam uirtuti ſaepius hominum appetitus reſiſtit, quam rationi paret, extrinſecus aſciſcendum eſt praeſidium, quo uirtutis auctoritas inter homines muniatur. Quo quidem adiuuat plurimum dignitas generis, amplitudo loci, potentia, tales certe res, quae uirtuti tot inſtrumenta, quot ornamenta, afferunt. Vbinam uero maiorem generis uel antiquitatem, reperias, uel ſplendorem, quam in Gente Saxonica, quae, non ſolum Regibus, ſed Imperatoribus etiam, antiquis oriunda, maiorum gloriam ad poſteros, uel regiae dignitati pares, uel ipſo

Digitized by Google

ipſo nomine regio rurſus auctos, protulit, et potentiſſimos Europae Reges ac Principes, ipſos etiam Caeſares Auguſtos, pluribus neceſſitudinum uinculis, ſibi coniunxit. Secundum Imperatorem, nulla loci amplitudo in Germania illuſtrior eſt, quam dignitas Nouemuiralis, Regia haud inferior, ipſumque Imperium, ut merito dixeris, Germanicoromanum cura prouidentiaque ſua fundans. Haec, creandis Imperatoribus Auguſtis, ſummum Imperio faſtigium imponit, haec, ſoli Caeſari ſecunda, primo loco, primaria auctoritate, de principatu terrarum excellentiſſimo ſtatuit, haec, ſanciendis foederibus, propulſanda ui, conficienda pace, non Germaniae modo ſecuritatem aſſerit atque firmat, ſed totius etiam Europae, Orbiſque Chriſtiani. Plus ſatis dictum ſibi putet, nihil requirat amplius, qui legat in Sanctione Caroli quarti pragmatica, dignitates Principum Electorum dici Solidas Baſes Imperii, et Columnas Immobiles, ipſos autem hos Principes dici eos, qui, Ad tractandum de ipſius Imperii Orbiſque ſalute, congregentur. Magna, fateor, dignitas quondam fuit Praefecti Praetorio, tantae certe poteſtatis, ut, ab ipſo, relatum legamus, ſaepe et ſalutatos fuiſſe Imperatores, et loco motos. Sed iuri Ro-

Digitized by Google

mano nimis indulgent, qui dignitatem illam cum Archimareſchallatu Imperii comparant, cuius auctoritatem, in Aula Imperatoris, in Comitiis, in uniuerſo Imperio, altioris longe iuris eſſe, niſi hoſpes in republica noſtra, omninoque peregrinus, ignorat nemo. Multo ſine dubio eminentius eſt ius Saxonis, quod tranſit ad poſteros, firmior potentiae gradus, qui et hereditario iure nititur, et inſigni fortuna plurimarum ampliſſimarumque poſſeſſionum. Hic fertilitas ſoli, frugum fructuumque abundantia, rei pecuariae copia, prata, ſiluae, ferae, fluuii, lacuſque piſcoſi. Metalla omnis generis, nec ſecturae modo aerariae, uerum etiam argentariae, nec nullae auri uenae, lapicidinae, marmora, gemmae, merces exteris haud inuiſae, ab iis etiam appetitae tam cupide, ut eorum cupiditas eſſet edictis reprimenda. Rerum exportandarum multiplex copia, facultas etiam ex opportunitate locorum ac fluuiorum. Frequens inde mercatura, et opulens. Nundinarum ſolemnium magni quaeſtus, et antiqui. Ius Stapulae, quod dicunt, magni emolumenti, ciuium incolarumque multitudo, artificia, ſolertia, opes. Multi ex his, atque aliis, reditus, totidemque rerum gerendarum nerui. Viri, equi, arma, quibus

Digitized by Google

quibus uis illata defendi possit. Foedera, cum aliis, etiam potentissimis, icta. Regio urbibus, urbes aedificiis, aedificia omni splendore exculta. Magna passim dignitatis ornamenta, nec minora praesidia stabilitatis. Sed, his omnibus, longe potentius regnum illud, quod ciuium beneuolentia munitur. Horum enim neminem reperias, quin pro Principe suo fortunas omnes, ipsumque caput, in discrimen offerat, neminem, qui rempublicam aliter saluam, quam saluo Principe, uelit. Saxonia igitur, suis usa uiribus, non solum grauissimis temporum difficultatibus expediuit sese, sed aliis etiam laborantibus subuenit, ipsamque Germaniam praesentissimo rerum discrimine saepe liberauit. Patriae enim consulere, patriam quaestui non habere, Saxonicum est. Hac rerum gestarum fama multos semper Europae Principes, ac Principum optimos, ad foedera, secum pace belloque percutienda, adduxit

Iamque antiquitus Saxonia, arctiore quadam necessitudine, deuinxit sibi Polonos, qui perpetuam amicitiae foederumque fidem cum Saxonibus, maxime cum Marchionibus Misniae, iunxerunt. Hinc multa, ac uetera, necessi-

Digitized by Google

tudinum uincula, quibus plura matrimoniorum foedera aſtringuntur. Saxones autem hoc loco ex iis ſpectamus originibus, quae, ab antiquiſſima quidem, ac praeclariſſima, ſtirpe ductae, ſed deinceps a Thuringis propagatae, cum Miſnia, Luſatiaque, coaluerunt, in Miſnia tamen potiſſimum radices egerunt. Itaque Mieciſlaus primus, Dux Poloniae, Odam, Theodorici, Marchionis Miſnenſis, filiam, ducit uxorem. Mieciſlai filius, Boleſlaus, Ricdagi, Marchionis Miſnenſis, filiam, cuius nomen adhuc latet. Odam poſtea, Eccardi primi, Marchionis Miſnenſis, ac Ducis Thuringiae, filiam. Caſimirus tertius, Magnus, Rex Poloniae, progeniei Piaſteae uirilis ultimus, filiam Henrici, Thuringiae Lantgrauii, Adelheidam. Rurſus Guncelinus, Marchio Miſnenſis, Boleſlai, Poloniae Ducis, ſororem, cuius nomen tacetur. Hermannus, Marchio Miſnenſis, Regilindem, filiam Boleſlai, ex Conilde. Georgius, Dux Saxoniae, Barbaram, Caſimiri tertii, Regis Poloniae, filiam, ut alios, quos recitare longum eſt, omittam. In medio relinquimus id, quod ex Ditmaro quidam ſuſpicantur, ipſum Boleſlaum, Poloniae Ducem, ex Ricdagi, Marchionis Miſnenſis, ſorore, Guntheri, Marchionis Miſnenſis, uxore,

ab

Digitized by Google

ab exceſſu mariti, nupta Mieciſlao, genitum fuiſſe. Quanquam uulgatae Polonorum propagines ſeriem naſcendi aliter ſtruunt

Itaque Poloni, ueteris amicitiae, fidei, ac uirtutis, quam in Saxonibus perſpexerant, nuper, ſuperiore ſaeculo praecipitante, memores, cum reſpublica, uelut nauis ſine rectore, fluctuaret, ad Saxones ſe receperunt, pulſoque externo Principe, a quo libertati ſuae timebant, Auguſtum Secundum expetierunt Regem. Cuius quidem conſilii quam nihil ſe poenituerit, ipſi declararunt elogio Principis Magnifici, ac Munifici, ueriſſimo, quo mortuum, in publicis, eiſdemque Encyclicis, literis ornarunt. Ea profecto re ſignificant, tantam in eo gloriam bonitatis enituiſſe, ut nihil in Rep. ſuſceperit, niſi quod huic fuerit magnae dignitati, nihil in uita iucundius duxerit, quam benignum ſe cunctis praebere. Eadem ſimul profeſſione, toti regno promulgata, monimentis ampliſſimis mandata, poſteris narrata, demonſtrant id, quod in Rege, e Saxonibus ſumpto, experti ſunt. Docent enim, quantis opibus, ad magnificentiam uitae tuendam, tanta animi magnitudine, ad colendam munificentiam, praeditos

Digitized by Google

ditos esse Principes Saxonicos, eosque potentia sua non ad auaritiam, impotentiam animi, saeuitiam, uti, sed, ad beneficentiam, in homines conferendam, ad splendorem, negotiis publicis, et operibus, publice utilibus, dandum. Quae quidem commendatio in Patre, tam praestanti, si uiguit, in Filio certe, aemulo Paternae gloriae, eo minus obsoleuit, quo plura huius iam, maioraque, magnificentiae et munificentiae exempla, multis in locis, apparuerunt

Sed nulla laudis egregiae dos strenuae Sarmatarum genti, uel salubrior, uel optatior, esse potest, studio tuendae libertatis, pro qua semper ea propugnauit acriter, multum sanguinis quoque profudit. At libertatis, quam Germanum Bonum ipsi Romani, ueteres Germanorum hostes, appellarunt, a maioribus traditae, studio innutritus est Nouemuir Saxo, libertatis, in Germania tutandae, consilia, pro dignitate loci sui, inter praecipuos Imperii nostri Proceres, capit, libertatis, ab omni domestico externoque periculo prohibendae, memoriam, posteris colendam, a maioribus suis accepit. Extincto enim Maximiliano primo, de successore Imperii cum

Digitized by Google

cum diſceptatur, Fridericus, Saxo, excluſa Franciſci primi peregrinitate ac dominatione, Carolo ſuffragatur, ſub iis tamen legibus, quibus in regno, electionis iure ſubnixo, iura priſtina reddantur tuta, omniſque dominatus herilis metus, quem finxerant tunc obtrectatores Caroli, reprimatur. Ea quidem cura facit hic Saxo, patriae amans, ut Romani Imperii Apex, quem dicunt Annales, hoc eſt, libera Principum Electio, retineatur, ſecuritati omnis libertatis Germanicae, ad poſteros ſeruandae, caueatur, fundamentumque iaciatur, ſolemnis illius formulae, qua Imperatores, recens lecti, ſuam ordinandae reipublicae, ac protegendae libertatis communis, fidem iurato, nec minus ex pacto, quam caritate erga patriam, aſtringant. In Saxone igitur tantum libertatis praeſidium habent Poloni, quantum Germani, cuius habere quid tandem poſſent, ſi regem dominumque acciperent, iis moribus inſtitutum, quibus licet, quod libet, libidoque dominandi tranſit in Legem Regiam

At, neque hac tali poteſtate iubendi maieſtas augetur, nec minuitur imperii moderatione. Quanquam enim ſummum imperium eſt

Digitized by Google

res omnium, quas mortalis conditio recipit, ſanctiſſima, Deoque proxima, ſuae tamen praeſtantiae robur ab humanis uiribus haud capit, ſed a dignitate imperii diuini, cuius exequitur munus, cuiuſque partes, ſibi delegatas, gerit, ut locum eius amplitudinemque cura ſua tueatur. Quo fit, ut imperii altitudo atque excellentia non licentia poteſtatis infinitae, ac dominatione ſine lege modoque, quaſi priuati res patrimonii, ac uoluntarii quotidianique uſus, abſoluatur, ſed religioſa quadam cuſtodia tutelaque contineatur finium, quibus circumſcribitur imperium, diuinitus commiſſum. Cum igitur ſuus cuique imperio modus ab ipſo Deo, cuius perſonam ſuſtinent Principes, ſtatuatur, tum uero, quo magis ab eo imperandi modo aliqua regnandi facultas, in alterutram partem, diſcedit, hoc longius ab ipſo ſummae ſanctitatis, ac diuinae auctoritatis, abit faſtigio, eaque diſceſſione ab regula ſua propius ad profanarum uulgatarumque rerum ſimilitudinem accedit. Contra ea, maieſtati Principis cum libertate populi, per manus tradita, adeo bene conuenit, ut haec illi ſit decori, quando rationi conſentaneum eſt, imperantis dignitatem dignitate illorum creſcere, quibus imperetur. At quantum eſt decoris, quod

Digitized by Google

quod in Poloniam ex tot tantiſque regni primoribus, tanta nobilium, tam fortium, multitudine redundat. Itaque, cum libertas in hoc nobilitatis ordine nihilo minus, quam in ipſo regni ſenatu, reſideat, nihil profecto impedit, quo minus ipſum hoc Regnum antiqua libertatis nobiliſſimae ſedes, iure quodam ſuo, praedicetur. Qua re, neque Saxoni Regnum, Polonico, nobilius deferri poterat, neque Regno Polonico conſeruator libertatis, Saxone, praeſtantior deligi. Etſi ergo ceterae Saxonis uirtutes omnino ſunt admirabiles, hoc tamen, de quo mentionem fecimus, libertatis defendendae ſtudium, ut temporibus his neceſſarium, ita Poloniae in primis ſalutare, iudicamus

Habet fortuna domeſtica magnam uim in publicam, uaria uel matrimonii felicitate, uel ſtirpis. Vtraque enim re Principem proxime cum attingat, non poteſt hunc uarie non afficere, ut, uel hilaritate alacrior, uel triſtitia remiſſior, fiat ad rem gerendam. Cum urgeatur grauibus, ac perpetuis, reipublicae curis, ubi tandem uel honeſtius, uel iucundius, moleſtiae leuamentum quaeſierit, quam in ſuauitate, fide, caritate, coniugis, ſecundarum aduerſarumque

Digitized by Google

rerum ſociae, cui cogitationes intimas edat, cui paruos liberos tradat, ut, rei familiaris cura uacuus, ſe totum dare reipublicae poſſit. Qua quidem mutui amoris ſpe ſi ceciderit, non eſt mirandum, ſi taedia Principis non nunquam euadant in publicum malum. Similiter de liberis cogites, qui et munimenta domus, et deliciae parentum, eſſe debent. At, his, fortuna ſua corruptis, a parentum uirtute deſciſcentibus, quo tandem animo Principem eſſe, putes, qui hanc fundi ſui calamitatem, hanc familiae labem, hanc nominis ſui maculam, ſpectare cogatur. Teſtimonio ſit Auguſtus, qui, liberorum recordatus, ingemuiſſe fertur, ex eaque re grauem concepiſſe dolorem, atque aluiſſe, ſenſibus intimis abſtruſum. Hac igitur re ſola, cum ceteris uteretur ſecundiſſimis, infelix eſt habitus, pudorique fuit, a tanto tanti Imperii Orbiſque Romani rectore domum regi non poſſe. Quam ſanctum igitur eſt Principis noſtri connubium, tam caritate concordi ſuaue, quanta ubertate utroque in ſexu laetum, tanta uirtute ſobolis inſigne. Nihil integrius, amore, quo Fridericum ſuum Auguſtum complectitur Maria Ioſepha, nihil, hac ipſa, praeſtantius, undecunque ſpectetur. Ioſepho, Auguſto, Amalia, Auguſta, ſummo

Paren-

Digitized by Google

Parentum, ſummo generis, ſplendore, in faſtigio dignitatis, a natura acceptae, ac quaſi conſecratae, nata. Maximo fortunae cultu, in Aula terrarum principe, educata. Praecipua domi, praecipua in Saxonia, omnium admiratione, ob ſingularia uirtutum ornamenta, affecta ſemper atque celebrata. His tamen tantiſque rebus nihil indulget, nihil ſe gerit elatius, ſed eodem, quem natura tribuit, diuinae mentis habitu, eadem, qua inſtituta eſt, ſapientiae diſciplina, perpetuam modeſtiae legem ſeruat. Tam comis, ut humilem deſpiciat neminem, tam benigna, ut miſeris ultro ſuccurrat, tam effuſae in omnes gratiae, ut eam hilari uultu praeferat maximam, maiorem tamen prolixa ſemper uoluntate praeſtet. Sic, manſuetudinis Auſtriacae antiquam gentilitiamque dotem, lumen diuinae mentis ſuae clariſſimum, liberis poſteriſque tradit, et, apertis beneficentiae fontibus ac late diffuſis, Matrem Patriae ueriſſimam, ac ſine pari, experimentis, non dubiis, probat. Eadem re omnium in ſe oculos animoſque conuertit, omnium ſibi amorem atque obſequia deuincit. Fert ſimul benignitatis ſuae fructum, multis a Deo magniſque muneribus ornata. Quod enim fortunae beneficium dignitate aequiparauerit illa domus ex-

Digitized by Google

celſae Munimenta, quae Mater eximiae fecunditatis praebuit, tam multa praeclaraque, ut in eis haud dubia poſteritatis auguſtae ſpes atque ſubſidium poſſit inſiſtere. Itaque, hac tam felicis uteri Puerpera, hac Vxore tam commemorabili, quid maius, quid optatius, largiri matrimonium poteſt. In eo quidem Princeps hoc ſingularis fortunae munus habet, ut, ingentium curarum mole feſſus, duplici ſe domeſtica ſuauitate recreet. Hoc enim connubium dat, ſimul Marito fortunatiſſimo, ut in complexu ſuauiſſimo fideliſſimoque acquieſcat, ſimul Patri laetiſſimo, ut aſpectu, alloquio, oſculis, liberum, ſibi cariſſimorum, reficiatur

Haec, et alia, quae moram nimis longam exegerint, Principem oſtendunt, publice priuatimque felicem, nec domi magis clarum, quam foris, cunctis denique adiumentis publicae ſalutis inſtructum, cui nihil adeo ex decore Regio deſit, praeter inſignia Regis atque nomen. Iam tamen Princeps Regius Poloniae ac Lithuaniae iure ſuo dicitur, iam, Regiis uirtutibus excellens, optimo cuique Sarmatarum probatur, admirandum in modum. Merito igitur, praeter ceteros, dignus iudicatur, qui, Regiae digni-

Digitized by Google

dignitatis faſtigio admotus, ipſum Maieſtatis Regiae nomen capeſſat, et una gentis totius uoce Rex appelletur. Quo fit, ut Reipublicae Proceres, qui de ſalute regni ſancte integreque cogitant, dum Regem, in interregno legendum, quaerunt, non, regni fortunam potentiorum aemulationibus obiiciendam, putent, ſed eum, qui emineat ut optimus, regno praeficiendum. Alexander Magnus, cum, afflictus morbo atque exhauſtus, deficere iam uideretur, amicis, cui tandem rerum ſummam relinqueret, rogantibus, Optimo, inquit. Magnifica uero uox, uereque regalis, qua optimus regno declaratur digniſſimus, quaſi nefas eſſet, tanti regni opes aliis concredi, quam probatiſſimis. Pyrrhus, rex Epirotarum, a filiis interrogatus, quemnam ſibi ſucceſſorem deſtinaret, Eum, reſpondit, qui acutiſſimum gladium haberet. Haec quoque uox animi magni, et Aeacidarum genere digna. At optimi uirtus latius patet, quam fortiſſimi, nec bello ſolum conſulit, ſed etiam paci. Armis certe, quantum conſilii, tantum adiumenti, affert, cum parui ſint foris arma, niſi ſit conſilium domi. Igitur, regem qui creant optimum, ſuae gentis optimos ipſi ſe praebent. Hunc enim patriae reddunt, cuius ſapientia, uigilantia,

Digitized by Google

tia, conſtantia, ciuium concordia reuocetur, diſſenſiones ciuiles extinguantur, pacataque republica, ſuus patriae ſtatus, ſua reſtituantur iura, illud maxime, deſideratiſſimum cunctis, Liberum Veto. Hoc enim ius in primis, optant patriae libertatis diligentes, in antiquum uindicari, quod eis tam antiquum eſt, tam ſanctum ſemper in comitiis habitum, tantis perpetuo ciuium ſtudiis, ſaepius etiam flagitatis populorum finitimorum auxiliis, defenſum, ſed eo indignius nuper, in turbis ciuilibus, uiolatum. Sic, aſſerta huius, omniſque alius patrii iuris, cauſſa, erectaque ſimul, quae iacere uidebatur, libertate, a proximorum malis temporum requieſcet Reſpublica, atque a metu tempeſtatis, quae uidebatur impendere, reſpirabit. Animis, e contrario, in priſtinam concordiam reductis, et uoluntatibus mutua caritate copulatis, nihil externorum metuetur periculorum, ſed, fecunditate pacis beatiſſima, quanta temporum tranquillitas, tanta rerum omnium copia, proueniet, et, praeſidiis firmis ubique conſtitutis, Regni gentiſque, uigore animi acerrimae, gloria, auſpiciis Regis Optimi defenſa, atque in exemplis Maiorum innixa, altius ſemper eminebit. Ita uero, libertate Poloniae, quae ex inſidiatorum quaſi faucibus eripitur,

Digitized by Google

eripitur, reſtituta in integrum, ac triumphante, multo uerius, multo praeclarius, praedicabitur id, quod Auguſto quondam, dominanti potius, quam ſecundum auitam libertatem regnanti, in Puteolano ſinu, acclamabant, Per illum ſe libertate, per illum ſe fortunis, frui

Tibi iam, Deus immortalis, cuius arbitrio Regum regnorumque fortuna temperatur, ſupplicamus, ut Fridericum Auguſtum, Saxonem, quem, liberis cunctiſque bonorum ſententiis, in Regni Sarmatici faſtigium, Auguſti tertii nomine, extuliſti, tanto praeſidio in eo munias, quanta prouidentia mentes hominum ad eum, ſpretis aduerſariorum minis, rerum ſummae deligendum, excitaſti, ut, diſturbatis hoſtium molitionibus, eiuſdem conſiliis, quibus pro otio, ciuibus conciliando, Orbiſque Chriſtiani terminis aduerſus Barbaros tuendis, nitetur, proſperos des ſucceſſus, ut ſaluum Regem, ſaluam Reginam, ſaluam Familiam Regiam, conſerues. Fac denique, Gentem hanc Auguſtam auguſtis omnis fortunae incrementis ita augeas, ut nunquam ei deſint Optimi, quorum ſucceſſione, liberis Reipublicae ſuffragiis expetita, Regnum, auſpiciis his dexterrimis

Digitized by Google

gubernatum atque illuſtratum, quotidie magis floreſcat, ac, rebus ubique ſecundiſſimis, magnis omnium populorum gratulationibus celebretur

Tu uero, Rex Indulgentiſſime, Pater patriae Clementiſſime, accipe hunc, quo Te ex Saxonia Tua proſequimur, animum, obſequii pleniſſimum, accipe hanc, quam Tibi ſtudemus approbare, pietatem ſubiectiſſimam, hunc denique accipe ſpiritum, Maieſtati Tuae deuotum, quem pro Te, quotieſcunque poſtulaueris, profundere non dubitamus. Dulce enim, et decorum, eſt, ut pro patria, ſic pro Patre patriae, mori

Digitized by Google

VI

PANEGYRICVS IN FELICEM EX ITALIA REDITVM FRIDERICI CHRISTIANI POLONIARVM PRINCIPIS REGII DECRETO ACADEMICO DICTVS IN TEMPLO ARGIS XVII CAL. OCTOBRES A. CIↃ IↃ CC XL

Diuturnum, grauissimumque, desiderium, quo, duos hos annos, amplius, tenebamur, tandem aliquando praesenti tempore, cunctis exoptatissimo, lenitur, ac potius eius, nunc expleti, solicitudo mirifica omnium hilaritate

Digitized by Google

mutatur. Poſt longam enim ſatis peregrinationem domum redit Princeps iuuentutis Regiae, Fridericus Chriſtianus, ex Regis, ac Principis electoris, filiis natu maximus, quem tantus proſequitur plauſus externarum gentium, eius ut uirtutes, magna cum gloria ſpectatae, ab optimo quoque ac prudentiſſimo, dignae, tum Paterno, tum quouis Regali, faſtigio ponantur

Diu Saxonia ſuis, generiſque humani, Deliciis caruit, diu curas, pro ſalute Principis ſuſceptas, aegre ſuſtinuit, diu uehementer expetiit, auidiſſime expectauit, diem hunc feliciſſimum, quo florentiſſima Patriae Spes communi ciuium laetitiae ac gratulationi redderetur. Quo cupidius nunc eadem Saxonia Principi, itineris Italici ſpatio proſperrime decurſo, domum reuertenti, obuiam deſcendit, et, multitudine undique effuſa, reditum ſalui eius ſoſpitiſque expectatiſſimum tanto omnis ordinis, aetatis, fortunae, ſtudio celebrat, uti nunc demum cunctis leuari curis uideatur, ac penitus recreari. Haec enim illa uis eſt pietatis, in omnium animis intimoque ſenſu infixae, quae deſiderium Principis abſentis aluit, quae, praeſentis eius conſpectu,

Digitized by Google

ctu, omnem releuat aegritudinem, quae ciet mentes, Principi caritate atque obſequio deuinctas, eaſque tanta complet uoluptate, ut laetitiam, ubique geſtientem, et pectore erumpentem, cohibere non poſſint

Habet ſane haec iuſtiſſima laetandi cauſſa in Principis, reducis in patriam facti, incolumitate pondus ſuum, longe grauiſſimum. Huic tamen ponderi quantum iam momenti dicas accedere, ſi Principis excellentiam conſideres, quae, notis inſignibus, in ipſa eius profectione, cunctis, attentius paullo cogitantibus, ſe prodit. Videor enim mihi, in itinere noſtri Principis Italico, tale indolis excelſae ſpecimen reperire, quale Romani ueteres in erudita peregrinatione Germanici laudant. Erat hic Germanicus Druſi maioris filius, Octauiae, ſororis Auguſti, nepos, cuius, Graeciam Aſiamque explorantis, iter memoriae traditur, ut habeant poſteri, Principes maxime, quod imitentur. Quae quidem laus imitationis generoſae cum in Friderico Chriſtiano noſtro maxime uigeat, nefas ſit, committere, haec unquam ut obſoleſcat. Digna certe uideri debet, quae, literis mandata, ſempiternis ſaeculorum aetatibus tranſmitta-

Digitized by Google

tur. Documentum enim magni Principis, in illuſtri prudentiae monimento poſitum, dat omni poſteritati, ad ſummae fortunae cultum et genitae et excitatae. Nam ſuo declarauerit argumento ſapientiae praeſidia, quibus Principes Iuuentutis, ad rempublicam bene gerendam, et ſpem patriae tuendam ornandamque, mature inſtruantur

Sed utinam tantae rei par dicendi facultas poſſit dari, cuius in me nihil reperire poſſum. Quid mirum ergo, ſi oneri tantae molis, quod auctoritate publica mihi impoſitum eſt, ſuccumbam, uerſaque in metum laetitia, quam modo ex communi omnium gaudio perceperam, rebus meis diffidam, ac timide aggrediar ad uerba, hodie facienda. Animaduerto tamen, quanta Principis noſtri ſit gratia, in omnes effuſa, quam prolixa eiuſdem mitiſſimi uoluntas, ignoſcendi uirium infirmitati, quae quidem pietate nitatur. Itaque, ſatis ad obſequii gloriam eſſe, arbitror, ipſa dicendi ſimplicitate animi religionem, ſine fuco, explicari

Adeſte animis, hac religione plenis, Auditores, adeſte cultu, quem reditus Principis noſtri fortunatiſſimus poſtulat. Quam Germanici illius

Digitized by Google

illius Romani similitudinem in Principe nostro reperiam, summatim accepistis. Expectatis ergo sine dubio, ut, quod breuius dictum est, explicatius iam reddatur. Alterum igitur Germanicum peregrinantem, in persona Principis Regii, Friderici Christiani, considerandum, suscipio, eumque uobis ante oculos constituo, Auditores

Germanici huius alterius, de quo proponere ausi sumus, persona nostros ad se oculos uenerationemque conuertit. Cuius quidem praestantiam, cunctis in rebus summam, hoc loco exponere uniuersam, instituti nostri breuitas non sinit. Ea tamen aliquantum ut Itinere Italico cognoscatur, tria potissimum tempora respicienda nobis uidentur. Primo contueamur Principis excellentiam, qua domi enitet, tum eum comitemur, Italiam longe lateque peragrantem, eundem denique, in patriam reductum, Saxoniae, ut decus, nouis maximisque incrementis cumulatum, gratulemur

Ac primum quidem tempus Principis nostri, quod eius profectionem anteit, quid non habuit, ut Germanicum aliquem, cunctis laudatum, animo uere repraesentet. Germanicum,

Digitized by Google

cum, Octauiae ſororis ex Antonia minore nepotem, tanta laude florentem, cum uideret Auguſtus, hunc aliquando uoluit rei Romanae imponere, ſed, precibus Liuiae retardatus, Tiberio Germanicum, ſibi Tiberium, aſciuit. Traditur enim Germanicus mirae humanitatis atque comitatis, eaque re, praeter ceteros, idoneus, ad caritates hominum complectendas. Ingenio, in utroque eloquentiae ac doctrinae genere, excellens, et magnis animi bonis ornatus

Ecquam autem indolem, quam heroicam, tibi ſpondeat Fridericus Chriſtianus, ſi cogites magnitudinem Ioſephi Auguſti, cuius eſt nepos, Leopoldi Magni, cuius pronepos, ſumma Regii faſtigii decora Friderici Auguſti, et Mariae Ioſephae, quorum eſt filius, paterna auitaque gloria excelſus, ſed, per imitationem huius gloriae, multo excelſior. Itaque nullam laudem tam alte natura conſtituit, quo ille uirtute ſua non enitatur, nullum genus honoris eminet, quo ciues eum afficiendum, non ducant. Sed in tanta Principis praeſtantia admirationem in primis efficit manſuetudo morum atque facilitas, naturali quodam bono, adde etiam gentilitio, in omnes adeo benigna, adeo bene-

Digitized by Google

benefica, ut nemo tam humilis sit, cui non aditus ad eum pateat, nemo tam tristis accedat, quin ab eo recedat laetior. Qua quidem re, cum nihil in republica, nihil in hominum societate, copulatius sit, difficile dictu est, quantus ciuium amor Principi tam bono deuinciatur

Quanto iam ingenio opus est, ad ingenium Principis aliqua sui parte declarandum. Eloquentiam in Germanico laudant, doctrinam laudant, utramque praestantem. Recte uero. Quid enim magis deceat Principem, quam sapientia copiose loquens. Quid in eo maiores efficiat admirationes, quam ratio, scientia multiplici exculta. Atqui hae dotes illae sunt, quibus Princeps noster, ut aliis compluribus, excellit. Haud eum suppudet eloquentiae Germanicae, nihilo certe magis, quam nationis Germanicae, cuius uirtuti ac gloriae ipsa maiestas Imperii Romani parta est. At uernaculae Latinam adiicit, quam, a Romanis, rerum dominis, ad Germanos simul cum principatu transductam, filiis Procerum summorum, Lege Carolina, praecipi, et negotiis Imperii, contrahendis cum exteris, more maiorum adhiberi, nouit. Ad Latinam addit Italicae neruos ac le-

Digitized by Google

porem, Gallicae elegantiam, ut taceam linguas alias. Sic antiquae eloquentiae iungit nouam, noua utitur quaſi domeſtica, atque hanc tot linguarum nitore exornat eo, qui genti cuique ſit natiuus

De doctrina quid dicam, ac potius, quid eſt doctrinae, Principi decorae, quod hoc mihi loco commemorandum non eſſet, ſi temporis anguſtiae ferrent. Videor enim mihi uidere Principem, cuius illuſtri ſtudio non poſſim non commoueri, in conclaui conſidentem ornatiſſimo, inter libros omnis generis nitidiſſimos, uelut Apollinem illum, ſemper iuuenem, ut in Numis Gemmiſque effingitur, inter Muſas. Quam autem, in ſplendidiſſimo hoc Muſeo, quamque ex omni ſtudiorum liberaliſſimorum flore delectam, cerno uarietatem, qua Princeps, omnis ſapientiae et cupidiſſimus, et capaciſſimus, animum reficiat, memor ingenii, quod optime nunc hac, nunc illa, meditatione recolitur, memor agri, ſimilis ingenio, qui uariis ſeminibus mutatiſque gaudet. Sed, in libris tot euolutis, conſpicor potiſſimum ciuilis prudentiae auctores, hiſtoricos, antiquitatum monimenta, phyſicos, mathematicos, tabulas geographi-

Digitized by Google

graphicas, genealogicas, heraldicas, ac, neſcio quae, ſcientiae nobilioris inſtrumenta. Haec ſibi Princeps cur deligat, quo mecum diligentius exquiro, eo grauiores huius conſilii cauſſas reperio. Sed hic mihi ſimul propono ante oculos Principem, qualis Germanicus ille poſteris narratur, et uariae doctrinae, et exquiſitae. Huic igitur nullum grauioris diſciplinae genus, quod quidem altae mentis uigor appetat, offerri, arbitror, poſſe, quod reſpuendum putet. Cogito de Principe, qui domi uelit erudiri, ut multis de rebus atque praeclaris ſcienter exiſtimare poſſit, nec domi ſolum, ſed in aliis etiam peregriniſque locis, quos adire geſtiat. Idcirco Principi cuique politiſſimo, haud arbitror, dedecori fore, leuiorum quoque artium, ſed elegantiorum, peritiam, Plaſtices, Statuariae, Picturae, et ſi qua praeterea eſt, quam deſideret facultas, ingenioſa, ac rariora, elegantiarum lautitiarumque opera, intelligentius, inter artifices, dignoſcendi

Quidni animum inducam, ut ita putem. Rationum enim earum, quae poſſent hic reddi, ſummam in ipſa repono ſapientia Principis, cum uideam, illa, quae dixerim, cuncta noſtri

Digitized by Google

Principis iudicio, egregioque documento, probari. Prudentia enim ciuili magistra, res suas omnes summa aequitate constituit, omne deliberandi momentum, ratus, ab honesto, iusto, aequo, tanquam a capite, repetendum. Itaque, cum uirtuti semper studeat, non solum se, sed alios etiam, regendi artem tenet. Cum aliorum spei regundorum natus sit, nullum est uitae ciuilis, uel praesidium, uel ornamentum, quin, explorandum sibi, ducat. Hac incitatur nobili cura, ut omnes rerumpublicarum formas, in iisque cuncta dominationis arcana, cognoscat, ut morbos publici status, eorumque remedia, suis ueriſque pendat causſis, ut, quid imperio decorum sit, obsequio tutum, saluti publicae communiter prouidendum, consideret omni ex parte

Haec, et alia, in fontibus ciuilis philosophiae Princeps nauiter contemplatur. Sed eorum omnium lucem maiorem, amplosque thesauros, reperit in rebus omnis memoriae gestis. Eas uaria uti fortuna, pro uariis hominum moribus atque consiliis, uidet. eis contineri auspicii publici doctrinam, animorum notitiam, ingeniorum intelligentiam, imagines uiuas quasi

Digitized by Google

& atque ſpirantes omnis uitae, tum publicae, tum priuatae. aut nuſquam certe, aut hic, Principibus aperiri ſcholam, in qua incrementa conuerſioneſque imperiorum, ſucceſſiones gentium, togae bellique artes, exemplis expreſſas, ſalubre denique illud ac frugiferum, diſcere poſſint, unde ſibi ſuaeque reipublicae, quod imitentur, capiant, ut foedum inceptu, foedum exitu, uitent.

Antiquitatis affectationem humilioribus relinquit ingeniis, ipſe tamen, ut moris antiqui, ſic antiquae doctrinae, artis, elegantiae, cum optimo quoque Principe ac maximo, perſtudioſus. Quas enim huius ſtudii delicias agnoſcit, quot eius, quam ſuauia, habet incitamenta. Vide tu mihi, qui Dreſenam adis, Bibliothecam, regio ſplendore dignam, quae et libris exquiſitiſſimis, ueteribus nouiſque, ornatur, et, quicquid eſt monimentorum, literis proditorum, formis exſcriptorum, habet, undique, omni ratione, conquiſitum. Vide mihi Tabularium, antiquis ſecretiſque literis, pactis, diplomatis omnium generum, ſigillis, inſtructum. Numquae admiranda quaeris, quae nequicquam alibi requiras. Vide mihi, et integro

gro die, ſi potes, excute, Theſaurum antiquum, nouum, copiae, argumenti, artis, mirabilis, qui cunctis patet hoſpitibus. Abiſne, aduena, et, Numos Gemmaſque, credis, aliis in locis rectius uiſendas. Quin tu redis ad noua ſpectacula. Quin tu aſpicis ſcriniorum pretioſas opes. Huc ades. Quid ceſſas. Ecce Armarium, refertum Numis antiquis, electis, Graecis, Romanis, aliis, ex auro, ex argento, ex aere, quorum fama ſtudioque ducti, aduolarunt uiri externarum gentium clariſſimi, ſed eos uidere tum non potuerunt, neque eo minus laudarunt. Ecce Gaza, ornatiſſime diſpoſita, Gemmis referta, priſcis, raris, artis mirificae, quam ſi uel Romae, uel Florentiae, inſpexeris, tui, dixeris, acceſſus te non poenitere. Eamus iam rus, introeamus Hortum ſuburbanum, omni amoenitate, topiario, euripis, ſignis ex marmore, aere, Italicis, uaria Labyrinthorum arte, alia quoque, excultum, uere Regium. Sed quantum huius uiridarii decus nitet in Muſeo antiquitatis lectiſſimae Regali, quod ſtatuis uetuſtis, pulcherrimis, rariſſimis, delectu uaſorum, operum caelatorum, antiquae ſupellectilis, apparatiſſimo, abundat. Quot hic uultus, ex marmore Pario ducti, ſpirant.

Digitized by Google

rant. Quantum Graeci cultus atque artificii hic ſplendet. Quantum temporis hoc in loco tibi poſtules, ut ſpectandi tam mirabilis apparatus, tanta rerum uarietate diſtincti, uoluptate oculos paſcas, animum exatures, cupiditatem expleas, repetendi iam uiſa, diligentiuſque recognoſcendi. Vetera haec ſunt, quae contueris, quorum aſpectu obſtupeſcis, ingenti ſumptu comparata, ex compluribus Italiae locis, Roma maxime, aduecta, quae priores eorum poſſeſſores ex Graecia, Aſia, Aegypto, collegerint. Ea uero lectiſſima uetuſtatis monimenta, non eſt mirandum, ſi quidem Italia, harum intelligens mercium, Saxoniae inuideat, ſi eadem ipſimet Itali, aliique hoſpites, ex pluribus Europae populis, fama operum pulcherrimorum exciti, auidiſſime ſpectent, ſi eadem illa Saxoniae, priſcis et incorruptis artificum nobilium laboribus adeo florenti, tantum concilient honorem, uti iam non modo Florentiae, ſed Dreſenae etiam, paruulae cuiuſdam Romae uiſenda quaerantur. Hos plurium generum theſauros, ex priſci manubiis aeui ſuperſtites ſtudioſeque collectos, inſpicit Princeps, uerſat, ponderat, auiditate inflammatus, ſuauitate perfuſus, noua ſemper delectatione refectus. Ea re fit, ut, ueteri

Digitized by Google

teri elegantique auctus scientia, mystagogum non desideret, sed eum, si patiatur loci dignitas, ipse aliis praestare possit

Sed longe iucundius, pulchriusque, sui spectaculum exhibet rerum natura, quae Principem, inuestigandi atque sciendi percupidum, sui studio tenet. Hic ergo in recessu naturae percontando eo felicius uersatur, quo maiorem habet facultatem eius rei gerendae. Quis enim nescit Museum rerum naturalium Dresenense, quis, hoc si lustrauit, idem non admiratur, sede ipsa speciosissimum, copiis opulentissimum, rerum selectione exquisitum, partium dispositione concinnum, pretio non aestimandum. Hoc etsi pluribus ex thesauris, quorum singulos opulentia claritasque fecit insignes, in immensum creuit, idem tamen illud nouum, amplissimumque, incrementum cepit ex nouo, necdum ante id tempus cognito, Africae foetu, qui nuper in Saxoniam illatus est. Proinde, quicunque hoc naturae Magisterium, ex remotioribus maxime gentibus, inuisunt, haud inuiti confitentur, nihil huius in Germania simile cerni, nihil ne in Italia quidem. Quod si Bononia gloriatur Aldrouandino Museo, Londinum Sodalitatis Regiae, Oxonium

Digitized by Google

um Asmoleano, Hasnia Vormiano, cur Dresenae non liceat, suo gloriari

Eandem Saxonis Regiam quis accessit unquam, quis palatia eius Regia, ingentesque moles substructionum, conspexit, quis aedificationis concinnitatem formamque pulcherrimam intellexit, quin animaduertere continuo potuerit, hic artem Italici nitoris exerceri. Huius artis, et scientiae omnis Mathematicae, uel praecepta, uel exempla, literis formisque descripta, lineis designata, si requiras, quid ullus rei Mathematicae apparatus ostentare potest, quod in Regio desideretur. Saxonum Principes, memineris, magnos fuisse Mathematicos, ex his nuper Fratres duos, nunc Diuos, Ioannem Georgium Quartum, et Fridericum Augustum, utrumque tum alibi, tum in Italia, limatum. Num ergo mirari subeat, si Dresdenenses plutei nouos omnis Architecturae, omnis inuentionis Mathematicae, tibi thesauros ostendant, si uideas his adiectum, quicquid descriptionibus Geographicis signari potuit, multa etiam, manu Regia, in argumentis uariis praecipuisque, adumbrata, et instrumentorum tanta ex uario genere subsidia, hic nihil ut ei

deſit adiumenti, his in ſtudiis excellenter proficere qui uelit. Quis autem excellentius in his profecit, quam Princeps, tum domeſticis illis adiutus adminiculis, tum ingenii maxime ſubtilitate, et induſtria perſeuerantiaque mirabili

Quid habet iam illuſtrium Familiarum omnis Europa, quid Inſignium clarorum, quid ullius cognitionis eminentioris atque elegantioris, quod quidem literis traditum celebratumque ſit, quin eius, undique conquiſiti, magna utique, Regiis in ſcriniis, copia fiat. Haec ſcrinia Princeps noſter excutit, horum opibus et otium ſuum oblectat, et tantam ſibi ſcientiam inſtruit, ut, quod alii ex libris demum recitant dubitanter, ille habeat in numerato, memoriaque cuſtoditum, expedite reddat

Tot tantaque liberalis doctrinae adiumenta Principis noſtri ſtudio, in uariis diſciplinis defixo, ſeruiunt, eique dant facultatem, quicquid coeperit, feliciter conficiendi. Cuius quidem ingenio diuino cum facillime nihil comprehendi non poſſit, domi iam cognitum habet uſuque tritum, quod pauciſſimi, multo peregrinandi labore ſumptuque, conſequuntur. Hactenus Princeps noſter, domi eruditus

Tanto

Tanto iam felicius iter capeſſit Italicum, quod, dubium non eſt, quin multis parum proſit, minore, quam par erat, ornatu ad illud inſtructis. Doctiores expectat Italia, ac multiplici iam ſcientia tinctos, qui uaria eius altiorique doctrina recte uelint uti. Magis enim neruis ingenii, quam agilitati corporis, ſtudet, prudentiae potius, quam loquentiae, ſeruit, ac, grauitati dedita, leuitatem uanitatemque odit, uel in moribus, uel in ſtudiis. Haec, artium bonarum nutrix, ſummos ſemper uiros aluit, haec, iudicii ciuilis eruditrix, quicquid eſt doctrinae ciuilis, dictis factiſque, et antiquis et nouis, docuit, haec, omnis elegantiae cuſtos, artificibus floret, quos imitari neminem externarum gentium artificem pudet. Cum igitur Italia hoſpites tanta ſui laude praeſtantiaque alliciat, hoſpitum eſt, praeparatione adhibita, curare, ut percipiantur commoda, quae bene praecultis Italia ſpondet.

Hac, Germanicus, rerum cognitione imbutus, Roma, per Illyrium ac Dalmatiam, proficiſcitur, traiectoque mari, in Achaiam uenit Nicopolin, ut monimenta uideat Actiacae pugnae. Pergit Athenas, ut parentem Graecae ſapientiae colat, honoribus exquiſitiſſimis a

Digitized by Google

Graecis ipse cultus. Petit Euboeam, transmittit Lesbum, extrema Asiae, Perinthum, Byzantium, adit. Propontidis angustias, atque os Ponticum, intrat. Tum alias Asiae urbes lustrat, tum Colophona. Hinc Rhodum, alioque, progressus. Sic iter facit, flectit, repetit, multosque labores sustinet, cupidine, ut loquitur scriptor grauissimus, noscendi ueteres locos, famaque celebratos. In ipsam denique Aegyptum descendit, studio cognoscendae antiquitatis, ut idem dicit

Ad Princeps noster, quem Sororis, Reginae, comitem, pietas, in eam singularis, Neapolin perduxerat, illud facit iter, quod diu erat animo meditatus. Habet in complexu Regis, Caroli, cui Sponsam, sibi Procuratori Dresenae commissam, adducit, quicquid uel honoris mente fingi potest, uel suauitatis. Sed hanc ipsam suauitatem dulcedine mirifica condit Regis sapientia, tanto fastigio par, et omnis scientiae, quae quidem in Principem Stirpis Regalis cadere possit, comitatu ornata. Hoc enim duce Regali, hoc monitore doctissimo, incredibili cum uoluptate inspicit, et naturae, et artis, antiquae potissimum, miracula, quibus

Campa-

Campania, regnumque Neapolitanum floret, ac diſiunctiſſimarum ſtudia gentium ad ſe rapit

Graeciae ueteris gloriam in noua uenerantur Germanicus, ſed Graeciae Magnae famam, in agro Neapolitano Princeps noſter. Comperit quidem, partem antiquitatum Neapolitanarum maximam aeque, ac Romanarum, ruinis obrui, multas tamen, intelligit, parietinarum reliquias in Cliuo, antiqua urbis ſede, cerni. Ex pluribus magnificentiae priſtinae ueſtigiis ſpectat cupide rudera ueteris Amphitheatri, Frontiſpicium Templi, Apollini quondam dicati, Columnis ordinis Corinthii, caelatiſque operibus, ornatum, locos illos, Principum Romanorum, qui frequentes, animi cauſſa, hic aderant, ſeceſſu cultos, ubi Thermae, Baianarum ſimiles, Agones, Gymnaſia, Theatra, Graeco ſplendore parabantur. Videt Catacumbas Neapolitanas, materiam diſputationis hodiernae, Tumulum Maronis, ueteribus ſanctum, figura pyramidali, cum lauru in faſtigio, Cryptam maxime Neapolitanam, Pauſilypi montis, ad paſſus mille, amplius, perfoſſi, tranſitum, opus antiqui laboris inſanum

Ex huius Cryptae faucibus egreſſus, Princeps noſter noua quidem horridaque ſpecie commouetur non nihil. Sed, rei dudum cognitae cauſſam reminiſcens, naturae, uidet, hic mirabilia facientis opera, mirabile ſibi ſpectaculum dari. Multa proſpiciens, multa circumſpiciens, mirifica, in Campis fumantibus, ac ſulphureo igni aeſtuantibus, ſcrobem conſpicit Charoneam, mortiferi ſpiritus, quam dicunt Antrum Caninum, conſpicit Thermas, Lacum Annianum, Forum Vulcani. Hic Poetae gigantum, fulmine perculſorum, tumulos oſtendunt, atque ipſa Ditis Oſtia, ut loquuntur, multi quoque adhuc, ex Neapolitanis, hic ponunt Os Inferni, quod uocant. Sed Princeps noſter, meliora doctus, nihilo minus, quam ueteres, his in locis reperit Miracula Naturae, Phyſici ac Medici experimenti uberrimum utiliſſimumque argumentum. Mox properat Puteolos, ipſoque loci amoeniſſimi conſpectu recreatus, cum Marco Cicerone, O praeclarum, inquit, proſpectum. Puteolos uidemus. Hic enim naturae, ſalubris ac fecundae, uiridarium efflореſcere uidetur, ubi quondam ſeceſſus Romanorum fuit, Caii Marii, Pompeii, Iulii Caeſaris, Piſonis, M. Ciceronis, Luculli, Seruilii Vaccae, Lucii

Digitized by Google

cii Syllae, aliorum, aedibus, uillis, piſcinis, pluribuſque ornamentis, excultus. Quanquam opidum hodiernum priſtini ſplendoris umbram uix habet, aliqua tamen magnificentiae ueteris ſigna in ipſis dant ruinis, Amphitheatrum ac Theatrum, Templum Neptuni, Auguſti, Hadriani, Aquaeductus, aquarum Caſtella, uulgo pro Labyrinthis uenditata, moles Puteolanae, quae tredecim adhuc Pylis, altitudinis eximiae, ordine directis, conſtant, et inſcienter pro ponte Caii ſolent ferri, rectius ad ueruſta naualium, aduerſus mare, munimenta referuntur

Haec, et alia, quae perſequi difficile eſt, iucunde contemplatur Princeps, priſcae memoriae curioſiſſimus, in his quoque Balnea quinque et triginta, calentium aquarum medicina adhuc ſalubria, ac fontem Dulcis Aquae, inter ſalſam marinamque, ſalientem, ubi Templum Nympharum fuiſſe, coniicitur. Sed, quanta religione animi, tanta auiditate, intuetur ueſtigium Exſcenſionis Paullinae, Pylis Puteolanis proximum, ad aedem, quam dicunt, Mariae Gratiarum, cuius exſcenſionis, his in locis factae, mentio ſit in diuinis literis

Quan-

Digitized by Google

Quantum autem ueterum ſupereſt monimentorum finitimis in locis, in ipſis etiam ruinis. Academia Ciceronis, non tam porticu ac nemore, Graecoque ornatu, nobilis, quam Academicis Quaeſtionibus, Oraculum quondam Romae, bello ciuili laborantis. Baiae, ueteres Romanorum, ipſius etiam Auguſti, aliorumque Imperatorum, deliciae, ſalubritate thermarum adhuc clarae. Bauli, uilla olim magnifica. Hoc in tractu internecio Agrippinae ponitur, eiuſque monimentum monſtratur. Proximum Herculis Templum, paene integrum adhuc, operiſque mirabilis. Miſenum promontorium, claſſis quondam Miſenatis ſtatione, montiſque Miſeni, intus plurimo artificio excauati, miraculis, inclytum. Hic uulgus, antiquitatis ignarum, Piſcinas Mirabiles, Centum Cellas, Cryptas Traconarias, ſibi fingit in operibus, mirifice factis. Haec autem dabantur potiſſimum caſtellis aquarum dulcium, quas adduci procul, magni laboris atque ſumptus erat. Taceo Circum Neronis, ubi ſolemnia Quinquatruum Mineruae celebrari ſolebant. Praetereo Campos Elyſios, ingeniis Poetarum celebres, ubi amoenitas agri cum fertilitate certat. A Miſeno monte, Baulos Baiaſque uerſus, ſi progrediare, quot

Digitized by Google

hic olim fuerunt, quam ſplendidae Romanorum Villae, Marii, Luculli, Iulii Caeſaris, Pompeii, Piſonis, Domitiae, Mammaeae, aliorum

Tranſeo multa. Sed Cumas quis praetereat, coloniam Graecam priſcae famae, cuius magnitudinem ipſae monſtrant ingentes ruinae. Hic altus Poetarum Apollo proſpectat adhuc ex ruderibus Templi, montis Cumani ſpecula. Hic propinquum Sibyllae Cumanae Antrum uiſitur adhuc cupide, uariis tamen coniecturis uexatum. Hic architectos delectat opus Arcus illius, inter duas urbis Cumanae rupes altiſſimas, mirabili fornice ſuſpenſi, quem Felicem dicunt. Totus hic tractus ruinarum ueterum plenus eſt, unde Columnae, Statuae, alia ueteris elegantiae pignora, erui ſolent

Si plures in partes animum uerſem, quantum ubique occurrit, quod oculos in ſe conuertat, et, multiplici rerum memoria defixos, teneat. Horreas Veſeuum, terribilem imitatorem Aetnaearum flammarum, ſi craterem eius recorderis, uaſtam iſtam in uerticis medio uoraginem, quae caueam ingentis amphitheatri effingit. Ex hoc enim cratere, uelut ex aliquo Ditis poetici ſpiraculo, erumpit illa uis, quae

Digitized by Google

clauſtra montis, ſpiritu inteſtino incenſi, perfringit, intima terrae uiſcera cum ſaxis, flammis, fumis, fauillis, eructat, diem in noctem uertit, interdum terrae motus, magnaſque clades, concitat, tantum quoque, ſub Tito principe, dat incendium, huius ut cineres, flammis uentiſque diſperſi, non modo Romam, ſed tranſmarinas etiam Africae, et Aegypti, oras conterreant, ſi claros ſcriptores audias. Quanquam ne latera quidem ipſa montis huius tam clauſa ſunt, quin ex eis aliquando horribile flammarum flumen proiiciatur, et igne liquido in mare profundatur, ut aluei huius ſulphurei, ſcrobiumque, ueſtigia adhuc non obſcure declarant, ſpectanteſque terrent. Quid tamen amoenius eſt, uineis pulcherrimis, quibus idem Veſeuus, in partibus minus periculoſis, ueſtitur. Quid iucundius, optimorum fructuum copia, qua regiones eaedem montis huius abundant. Quid denique dulcius, uino Graeco, longe nobiliſſimo, quod remotiora montis eius iuga colleſque largiuntur. Tutior, quam Veſeui, aſpectus eſt Montis Caſini, nec parum amoenus, collium, ſiluarum, agrorum circumiectorum, facie laetiſſima. Sed doctis in primis uoluptati fuerit, ex montis huius excel-

Digitized by Google

celsissimi cacumine, quod magnificis aedificiis excultum est, prospicere in subiectos M. Terentii Varronis hortos, in uillas minime rusticas, sed lautissima praetoria, nobilissimorum Romanorum, in alia uetustatis monimenta, quarum rerum omnium uestigia his in locis apparent. Magno decori est Monti Casino Bibliotheca ornatissima, maiori adhuc Tabularium, Italiae praecipuum, sed illud perillustre iudicatur a plurimis, hunc montem dedisse originem omnis Sodalitatis, in Occidente Religiosae. Multa dici possent, de Linterno, ubi sepultus est Scipio Africanus, de Formiis, ubi adhuc Tulliani Formiani hortus uiget, de Nola, ad quam decessit Augustus, de locis tot aliis, in quibus multa antiquitatis signa cernas. Nec uero silendum uideretur de Capreis, secessu Tiberii diuturno, de Insulis quoque Regni Neapolitani aliis, quarum nulla ueteris memoriae expers est. Sed latius haec patent, easque partes habent, quas, satius sit, historicis dari

Quid autem horum est, quod uel ipse non contueatur Princeps noster, uel, propius exploratum, nihilo secius norit, ac spectasset ipse coram. Cum enim facultatem habeat, certius noscendi, quae, literis prodita, legit, quae,

Digitized by Google

ut insignia, memoriae mandauit, horum certe nihil est, cuius accuratiore cognitione non oblectetur

His Neapolitanarum antiquitatum spectaculis recreatus, cum Romam it, ex uia, quam insistit, Appia conspicatur Capuam, in ruinis iacentem, nec tamen sine uestigiis magnificentiae priscae. Videt enim reliquias Aquaeductuum, latissime porrectorum, duum Amphitheatrorum, complurium Templorum, Castelli ac Portae ueteris, multarum Columnarum, sed conuulsarum, aliorumque monimentorum. Has ille contemplatur umbras ciuitatis istius, quae altera quaedam Roma esse uoluit, quae, socia Carthaginis, cum Roma de Principatu, sed infeliciter, contendit

Romam ergo uenit, quo iam dudum Principis, tam praestantis, fama ex ipsa exierat Saxonia, sed ea nunc, multis partibus aucta, eo peruenerat ex ipsis Neapolitanorum iudiciis, quibus extollebatur aduena, tam singularis exempli. Hic nullum genus honoris inueniri poterat, quin Hospiti tam laudato, tanta dignitate praedito, haberetur. Sed, quo altius uirtutes eius ab existimatoribus sagacissimis inspiciuntur,

Digitized by Google

tur, eo magis laus eius existimatioque, apud prudentissimum ac doctissimum quemque, crescit. Vident enim iuuentutem Principis, uirtutis cursu superatam, uident multarum rerum scientiam, quam a senibus demum expectaueris, uident modestiam, quae, cum matura atque eximia habeat omnia, sibi tamen nihil assumat, solamque discendi ambitionem, in magna ingenii gloria, ostendat. Namque intelligit, Romae se uersari, quae olim caput rerum fuerit, atque, ut hoc fieret, prudentia potius, quam armis, effecerit, quae doctrina quidem Graeciae cesserit, sed arte dominandi ipsam subegerit Graeciam, quae imperio suo Orbis terrae patrocinium tenuerit, cum gentes, Reges, Duces, nationesque, praesidia peterent a Romanis, quam urbem Regum sibi uisam, ipsi praedicent hostes. Hanc, meminit, iura legesque non modo uictis gentibus, sed etiam, admiratione aequi bonique, uolentibus, dedisse, hanc literas, a Graiis acceptas, Romanisque ingeniis cultas, propagasse quam latissime, hanc, quicquid praecipui splendoris, per tot ciuitates diffusi, in Marmoribus, Gemmis, Numis, uetustisque monimentis, habuerint tot gentes domitae, transmarinis triumphis asportatum, suis muris inclu-

Digitized by Google

ſiſſe. Quanquam nunc ipſis Romanorum doctis Roma uetus ſepulta eſſe uideatur, in huius tamen, commeminit, ruderibus priſcae maieſtatis ac magnificentiae imaginem quandam apparere, nouam autem Romam nouis efferri miraculis, non ſolum in amplitudine tot operum, ſed etiam in magnitudine famaque tot hominum, omni ex parte praeſtantium, quibus, in omni fortuna, conditione loci, uitae genere, dignitas totius reipublicae domi foriſque illuſtretur. Ac Romam ſane, cum non minimo ſui pudore, haud nouerit, qui prudentiae, uel rebus adminiſtrandis, uel imperiis obſequiiſque ciuium regundis, neceſſariae, domicilium hic deſideret, qui tot illuſtria ſummorum uirorum exempla non reuocet in memoriam, qui neſciat, quantae hic res externorum regnorum, quantis conſiliis, agitentur, quanti huc uiri, ex tot populis prudentiſſimi atque exercitatiſſimi, mittantur, quanti, magno delectu, hinc in Aulas peregrinas delegentur, quanti ex iis, multo rerum uſu ſubacti, redeant, quot denique, atque quanti, ab ipſis ſaepe Regibus, et rebus ſuis in Vrbe gerendis, et in ſuo cuiuſque regno procurandis, expetantur. Hinc proficere, ſi poſſit, quis tandem, loci quamlibet excelſi, nolit,

Digitized by Google

lit, hinc augere ſcientiam, dulce eſt Principi noſtro, magnaeque in primis curae. Itaque, Patrum Purpuratorum, Legatorum, Principum, tot Curiae Romanae Procerum, aliorumque hominum illuſtrium, conſuetudine cupide ac familiariter uſus, habet facultatem, quicquid maiorum ex Europa rerum uelit, iucundiſſime percipiendi, cumque maximum exiſtimet quaeſtum, hac ſermonum familiarium interiore exquiſitaque inſtitui diſciplina, quae uitae ſeruiat, aliquanto longius, quam ſtatuerat initio, Romae commoratur

Habet tamen, in ipſis quoque Veteris Romae monimentis, quod referat ad ſtudia, Principe digna, ſi recordetur uirtutis praeſtitae, rerumque geſtarum, aſpectis uel ducum uirorumque clarorum Statuis, uel Arcubus Caeſarum Triumphalibus, uel aliis denique inſignibus memoriae priſcae. Et, quoniam haud minore, quam Germanicus, antiquitatis noſcendae ſtudio ducitur, ubi, quaeſo, melius hanc expleuerit cupiditatem, quam Romae. Miratur igitur Obeliſcorum moles, in pluribus quidem Vrbis regionibus, miratur maieſtatem Columnarum, in primis Traianae atque Antoninae. Defigit oculos

Digitized by Google

oculos in Arcubus Triumphalibus, Titi, captis Hieroſolymis, Septimii Seueri, ſuperatis Parthis, Arabibus, Adiabenis, Conſtantini Magni, deuicto Maxentio, ut de aliis, ipſiſque reliquiis Pontis Triumphalis, ſileamus. Via Triumphali, qua laureati Victores iuerunt, contendit in Capitolium, ubi quondam conſilium fuit Orbis terrae. Hic mutata uidet omnia, ac ne ſedes quidem dubitationibus expeditas, in quibus ſitum fuerit Templum Iouis Capitolini. Videt tamen, qua deſcenditur in Forum Romanum, a dextra Columnas tres Ordinis Corinthii, quas alii Iouis Feretrii eſſe uolunt, alii Tonantis. Videt in eodem Cliuo, ſed inferiore paullo, Columnas octo, quae Aedi Concordiae a peritioribus tribui ſolent. Sed in Capitolio uidet Coloſſos Caſtoris et Pollucis, Tropaea Marii, Cimbris Teutoniſque uictis, Columnam Milliariam, Statuam Romae Triumphantis, Statuam maxime Equeſtrem Marci Aurelii, opus utique rarum. In pluribus eiuſdem Capitolii locis reperit Lupam ex aere, Romulum Remumque lactentem, Menſuras ueteres Romanas, Statuam, Herculis, Iſidis, aliorum numinum, Paſtoris, Iulii Caeſaris, Auguſti, Titi, Antonini, Conſtantini Magni, aliorum. Ex compluribus, quae omitto

Digitized by Google

mitto, praeterire non possum Columnam Duilii Rostratam, Tabulas Legis Regiae, sed Principe Vespasiano, Fastos maxime Capitolinos, aureis literis exscriptos, et pretii quantiuis

Quid dicam de aliis Romae monimentis, de Amphitheatro Titi, de tot Templis, Romuli maxime et Remi, de Templo Pacis, structo a Vespasiano, Templique Hierosolymitani spoliis quondam ornato, de Pantheo Marci Agrippae, illa architectorum schola, de Mausoleis, maxime Augusti atque Hadriani, de monimento Caii Cestii, opere formae pyramidalis mirabili, de Thermis tot, Antoninis maxime atque Diocletianis, de Musiuis Operibus, Picturisque antiquis, de pluribus aliis Romae admirandis

Haec, et alia, in primis monimentum Familiae Liuiae, nuper repertum, uidet Princeps, uisisque delectatur. Sed Augusti Caesaris memoriam reueretur in Augusti Palatio, quod, in Hortis Farnesianis, nuper patuit, cum superstite quadam Marmorum, Picturarum, Thermarum, specie, Domini magnitudine digna

Multa mea mihi festinatio intercipit, quae Principis nostri, Roma digressi, industria, re-

Digitized by Google

bus omnibus intenta, uel aliis in locis obſeruat, uel in portu Hetruriae Liburno. Hic enim non modo liberis gentium commerciis affluit, ſed multis etiam illuſtrium ſtudiis, clarorumque artificum ſolertia, decoratur

At Florentia, quae uerum Pulchritudinis elogium habet, tot illuſtribus, et prudentiae inter Italos nobilitatae, uiris, florens, ut ſtudium Principis noſtri, quod Romanis copiis ſatiatum uideri poterat, excitat rurſus, ut idem, rerum mirabilium uarietate incredibili occupatum, tenet. Hic enim ille, xyſtis ſcriniiſque Mediceis ubique apertis, unius Palatii plura cernit Muſea, haud uiſenda ſimul, uſquam terrarum. Obuerſatur ante oculos affluentia, non minus delecta, quam apparata, Marmorum, Numiſmatum, Gemmarum, Vaſorum, Anaglyphorum, Picturarum, omnium denique Elegantiarum, quas uel priſca extulerit aetas, uel ipſa recens, ut Florentia iure ſuo Romanis ipſis paruula quaedam Roma uſurpetur. Quo doctior eſt haec urbs, quo ſtudiis hoſpitum ingeniiſque intentior, hoc plura ſuſpicit in Principe noſtro, eaque non tam laudanda ducit, quam, exempli cauſſa, faſtis ſuis inſerenda.

Eadem

Digitized by Google

Eadem laude Principem noſtrum, latius excurrentem, Bononia, Mutina, Parma, Verona, Piſae, Patauium, Mediolanum, Venetiae, proſequuntur. His ciuitatibus nullum genus deeſt ſplendoris, nulla amplitudo hominum nobiliſſimorum, nihil Italicae uel prudentiae, uel elegantiae, quod peregrinos allicere poſſit. Eis igitur in ciuitatibus quantum uidit, quantum probauit, et dignum imitatione duxit. Sed eiſdem urbibus eo magis admirationi fuit, quo peritior cognitus eſt ſummae cuiuſque ſcientiae, cuius principatum Italia tenet. Hactenus, cum Principe noſtro, Italiam peruagati ſumus, Auditores. Laetiores nunc, quaſique de uia feſſi, domum cum eo redeamus

Cumulatus igitur ille totius Italiae honoribus, omnino ſingularibus, maiores adhuc experitur in maximo ſapientiſſimoque iudicio Caeſaris Auguſti, Caroli Sexti. Ab hoc enim, quem Vindobonae coram ueneratur, ut comiter accipitur, ut laudatur ob rem, in ſtudiis nobiliſſimis, bene atque ex Principis dignitate geſtam, ut incitatur ad curſum, tantae laudis ac gloriae, tenendum. Quid enim Imperatori tam ſapienti, tam conſulto omnis diuinae humanaeque

ſcientiae, qui auito maiorum glorioſiſſimorum exemplo regi ſolet, iucundius eſt, quam Principes uidere, omni doctrina expolitos, quorum ornamentis, in patriae ſpem quotidie creſcentibus, Germanici nominis dignitas ſuſtineri amplificarique poſſit. Sed, quantopere ſimul Princeps ad nouum uirtutis ac doctrinae ſtudium incenditur, ipſo tanti Caeſaris aſpectu, tam auguſto, tam uenerabili, quantum ſapientiſſimis eius ſermonibus gaudet, ut, theſauros ſapientiae, quos alibi quaeſierit, hic demum cumulatiſſimos inueniſſe, ſibi uideatur. Ita uero, quocunque uenerit, itineris ſui fructum capit, eoque laetus, ſtatuit in patriam remigrare

Quid ergo bonae ſpei tam plenum poteſt eſſe, quin reuerſio Principis noſtri feliciſſima promittere nobis poſſit. Idem ſperatur olim de Germanico, ſed euenit ſecus. Cum enim Romae expectatur redux factus, Antiochiae moritur, nec nulla ſuſpicione ueneni. Cum, ad primam famam ualetudinis attonita et moeſta, ciuitas ſequentes nuntios opperitur, et repente, iam ueſperi, incertis auctoribus, conualuiſſe eum, percrebreſcit, tum uero paſſim, cum luminibus et uictimis, in Capitolium concurritur,

Digitized by Google

tur, ac reuelluntur paene Templi fores, ne quid homines geſtientes uota reddere moretur. Expergefit Tiberius gratulantium uocibus, atque concinentium undique, Salua Roma, Salua Patria, Saluus eſt Germanicus. Sed, eius morte mox nuntiata, non ſolatiis ullis, non edictis, inhiberi luctus publicus potuit, durauitque per feſtos etiam Decembris dies

Quanto nos putemur feliciores, qui Principem recuperemus incolumem, ſine cauſſa uel morbum eius, uel obitum, moerendi. Laeti potius, gaudioque triumphantes, gratulamur inter nos, nobiſque ſucclamamus, SALVA SAXONIA SALVA PATRIA SALVVS EST FRIDERICVS CHRISTIANVS

Nec uero, ut Romani ſuperſtitione decepti, cum luminibus uictimiſque ad Iouem quendam Capitolinum confluimus, ſed Deo immortali gratias agimus, eidemque uota, pro itu Principis ac reditu, perſoluimus, hac mente, multo caſtiore, ut Praepotens Numen, Saxoniae propitium, omni religione animi ueneremur. Huic ſummo aeternoque Deo ſalutem Principis, tam egregii, porro commendamus, ut, illo ſoſpite ſemper ac florente, fructum Saxonia ferat uberrimum,

Digitized by Google

mum, quem eius incrementa, ex itinere Italico magnis in rebus capta, pollicentur

In primis uota nuncupamus pro ſalute Regis, ac Reginae, pro incolumitate Domus Regiae, Deumque, omnis felicitatis ſtatorem, obteſtamur, ut, ſaluis ſecundiſſimiſque rebus omnibus, liceat nobis, laetitia exultantibus, more Romano, fide Germanica, pietate Saxonica, has publicas congratulantium uoces edere, SALVA SAXONIA SALVA PATRIA SALVI SVNT PARENTES REGII SALVA DOMVS REGIA

VII

Digitized by Google

VII

ORATIO

DE

PRAESTANTIA VITAE ERVDITAE

HABITA

IN

SOLEMNI PHILOSOPHIAE

CVIVS

MAGISTRI CREABANTVR

VNVS ET QVINQVAGINTA

XVI CAL. NOVEMBRES

A. CIↃ IↃ CC XXXIX

Quanquam multa ſunt honeſtae uitae genera, eaque permultum inter ſe differunt, nullum tamen horum eſt, quin, in qualibet etiam ſortis mediocritate, ſuam quandam dignitatem obtinere uideatur. Cum enim uera dignitas nulla in re, niſi in honeſto, ſita ſit, uita certe omnis honeſta dignitatis ſit particeps, ob eam ipſam cauſſam, quod honeſta eſt. Hone-

Digitized by Google

Honeſtas autem, quae tribuitur humanae uitae, actiones ſuas norma uirtutis dirigit, atque hoc uirtutis officium quaecunque uita tenet, ex ea re, quantum honeſtatis, tantum dignitatis, capit. Sed aliud uitae honeſtum alio maius eſſe poteſt, eaque re effici, ut uitae dignitas augeatur, prout ei maioris honeſti cura tractatioque propoſita eſt. Nimirum, ut omnis uitae, ſic omnis ſocietatis, auctor eſt Deus, qui non modo in terris homines collocat, ſed eos etiam in ciuitates cogit, ut uitam degant, conditoris praepotentis gloria, et ratione ſua, dignam. Huic autem uitae ne quid ad uictum cultumque, uel alios ad uſus, deſit, uaria hominum ſtudia excitat, ad alias atque alias artes, urbanas ruſticaſue, liberales illiberales, exercendas, quibus ſocii mutua ſibi ſubſidia ferant. Adiicit diuerſas munerum partes, quibus, inter homines diſpertitis, ciuitas gubernetur, adminiſtretur, adiuuetur, ut, conſeruato rerum ordine, et utilitati, et ſaluti, reipublicae conſulatur. Ergo ſummi, medii, infimi, ſuis differunt gradibus, quos ſua cuique ſors ac perfunctio aſſignat. Omnes tamen, qui ad communem utilitatem aliquid, pro ſe quiſque, afferunt, honorem officii ſeruati ex eo conſequuntur, quod ſuum negotium

Digitized by Google

gotium fideliter agunt. Namque hi Deo placent, qui tales eis partes impoſuit, et quorum Deo placent obſequia, nae illi ex ea Dei gratia plus dignitatis adipiſcuntur, quam ex honoribus hominum ampliſſimis, quibus, extra mandatum Dei, ornantur. In hoc igitur uno cunctis elaborandum eſt, ut in ea uitae ſtatione, quam Deus ſingulis attribuit, obedientes atque diligentes ſe praebeant, in eaque re ſummum honorem, ac ſummam uitae felicitatem, conſtituant, quod ſuam Deo fidem probent. Quicquid in eam ſententiam diuinitus ſingulis delegatur, hoc ſanctiſſimus gentium Doctor Vocationem dicit, uoce multo et ſanctiore et ſapientiore, quam eius receſſum profanus, uel philoſophus perſpicere, uel orator eloqui, poſſit. De coniugio diſpari diſputat, ſed ex occaſione, ut ſolet, locum communem de uariis humanae uitae conditionibus, quas Deus inſtituerit, attingit. Itaque ſimul oſtendit originem, quam omnis uitae huius conditio ex Dei prouidentia trahat. Terram intuetur, ut Dei domum, Deum, ut dominum eius domus. At prudens paterfamilias, qui domum ſuam bene regere cogitauerit, hoc curauerit in primis, ut ordine

Digitized by Google

domeſtica res adminiſtretur. Hoc in magna domo ſine compluribus ſeruis fieri non poteſt. Domus ergo haec cum plures deſideret ſeruos, hos paterfamilias, communitate ſeruitii, non exaequat, ſed, diſtributis inter eos miniſterii operis, aliis dat partes alias. Diſpar harum ratio curaque diſpares ſeruis locos, maiores minoreſue, deſtinat, ut procuratio domus bene diſpoſita ſit, uitata rerum confuſione, quae diſciplinam familiae turbet. Omnes tamen hi ſerui tenent honeſtum locum, cui herus eos praefecerit, eumque ſi tuentur officii ſui diligentia, hac ex re longe plus honoris ſuſcipiunt, quam alii, gradu ſuperiores, ſed muneris ſui negligentes. Pari modo Deus in terris, quas numine ſapientiaque ſua implet, uaria ſancit, ut diximus, hominum munia, eaque, ut rerum adminiſtratione, ſic gradu, diſcernit. Haec autem munia, ſingulis obeunda, non amplitudine loci pendit, ſed parendi ſtudio, quod quiſque praeſtat. Ita fit, ut, cuius, in re ſibi mandata, obſequentia Deo grata acceptaque eſt, ei uerus honos ab hoc ipſo Dei iudicio accedat, idque in fortuna quaque humillima. Pronuntiat igitur Paullus, ſuum cuique locum eſſe tenendum, in quo poſitus ſit a Deo, in eoque Dei mandato acquieſcendum. Vt quemque Deus uocauit,

in-

Digitized by Google

inquit, ita se gerat. Itemque mox, In qua quisque, ait, conditione uocatus est, in ea maneto apud Deum. Ergo nulla dignitas hominis uera, nisi in uocatione Dei, nulla cuiusquam indignitas, nisi in negligentia uocationis eius

Sed hominum mores, multis foedisque modis corrupti, omnem uitae honestae dignitatem conuellunt. Sua enim desideria, quibus ad bene beateque uiuendum connituntur, rebus externis atque inanibus regunt, ad easque perfruendas uoluntatis suae studia accommodant, tum se felices, arbitrati, fore, si bonum, quod opinionis errore sibi finxerint, assequi possint. Etenim, si frequentiora hominum optata percontemur, alii copias facultatesque consectantur, alii potentiae ac gloriae trahuntur cupiditate, alii se iucunditati dant. Hac tanta uoluntatum singulariumque propensionum dissimilitudine dissimilia consiliorum genera conflantur, quibus occupati homines atque impliciti tenentur. Quanto enim praeclarius, existimant, secum agi, si, quod exoptant, adipisci possint, tanto magis eo curas suas laboresque conuertunt. Qui, libidine auri argentique capti, auaritia toti ardent, cuncta quaestui, ipsam quoque conscientiam,

Digitized by Google

habent, et, opum cupiditate inſtincti, cum mercatoribus, lucri appetentibus, ad ipſos Indos excurrunt, ſi theſauros ibi extruere ſibi poſſint. Sed minus animaduertunt, diuitiarum, uti formae, gloriam fluxam atque fragilem eſſe, eaſque multis magnas importaſſe calamitates, ipſamque peſtem, quibus facultates exaggeratae praebuerint irritamenta multorum grauiſſimorumque malorum. Qui ambitione atque honorum contentione efferuntur, eum dignitatis atque amplitudinis locum geſtiunt obtinere, ut principes ubique ſint, neque parem ferre poſſunt, nedum priorem. Sed minus intelligunt, dignitates atque principatus nihilo minus, quam diuitias, fortunae expoſitos eſſe, et periculorum ſolicitudinumque plenos. Qui uoluptate omnia metiuntur, hi, ſenſu deliniti, ſuauitate perfuſi, deliciis paſti, ſoli, et uiuere, et arte fruendi gaudere, ſibi uidentur. Sed, eos meminiſſe, oportuerat, ita fieri, ut ſe ipſi rationis uſu ac dignitate ſpolient, abiectique ad belluas, libidinibus ſe polluant, hominis natura indignis

Eſt praeterea genus quoddam honeſtius eorum, qui, doctrinae flagrantes amore, quicquid laboris impendi poteſt, ad ſtudium comparandae

Digitized by Google

dae ſcientiae conferant. His enim pluris eſt, diuinarum humanarumque rerum intelligentiam conſequi, quam, coaceruandis opibus, cumulandis honoribus, temere defatigari. Hos Pythagoras, ut Cicero ſcribit, Leonti, Phliaſiorum principi, oſtendit, in humanam uitam, tanquam in mercatum illum, apparatiſſimis Graeciae ludis celeberrimum, ingredi, uiſendi tantum cauſſa, et ſtudioſe perſpiciendi, quid agatur, et quo modo. Hominum enim genus eſſe, demonſtrat, maxime ingenuum, rarum etiam, quod, inter multorum creberrima plauſus atque lucri ſtudia, uideat quidem alios gloriae, alios pecuniae, ſeruientes, ceteris tamen omnibus pro nihilo habitis, rerum nobiliſſimarum contemplationi atque cognitioni ſe dedat. Qui quidem, ut iure laudantur, ſi operam curamque in rebus honeſtis, et cognitione digniſſimis, ponant, ſic ipſis melioribus e doctis, Tullio praecipue, haud probantur, ſi ſtatim ſciant, quod neſciunt, aut nimis magnum ſtudium, multamque operam, in res obſcuras, atque difficiles, conferant, eaſque non neceſſarias, aut, rerum ſcientia inflati, alios contemnant, modeſtiamque deſerant, quam colere maxime, ob ipſam profeſſionem ſapientiae, deberent

Digitized by Google

Ex quo fit, ut de quatuor illis, quae protulimus, ſtudiorum conſiliorumque humanorum generibus nullum culpa uacet, niſi ratione ac moderatione animi gubernetur. Hoc compoſitae mentis iudicio non uoluptas damnatur, niſi turpis, non diuitiae, ſed earum cupiditas flagitioſa, non honor, ſed eius appetitio immoderata, non doctrina, ſed eius tractatio accommodatioque peruerſa. Declinatis ita uitiis, uiro bono uoluptas, qua molles effeminatique ſine diſcrimine recti prauique gaudent, non aliunde, quam ex honeſtis rebus recteque factis, petitur, et homines erectioris animi honore potius ac ſcientia, quam uoluptate, ducuntur, haud repudiantes tamen uſum diuitiarum, unde quoddam uirtutis inſtrumentum ſumi poſſit. At uero doctrina ipſa, ſi iudicetur ui ſua animique cultu, longe praeſtat non ſolum uoluptati, ſed diuitiis etiam atque honoribus, quippe, cum rebus iſtis, [illegible] uel ad corpus pertinent, uel extra nos poſitae ſunt, nemo melior euadat, nemo iuſtior.

Ex iſtis autem peruerſis hominum deſideriis, quibus res externae, aut turpes etiam, appetuntur, apud homines, opinionibus ſuis depraua-

tos,

Digitized by Google

tos, naſcitur faſtidium atque contemptio eorum, qui, doctrinae ſtudio incenſi, in eo firmiora quaedam ac ſalubriora uitae praeſidia ſibi quaerant. Namque hi bonis animi ſtudent, non corporis, non fortunae. Proinde parui faciunt, quae illi mirantur, aſpernantur etiam ſaepe, quae intemperanter illi concupiſcunt. Vident enim, fortunae munera quam incerta ſint, quam imbecilla. Corporis autem uoluptatem ab honeſtate ſua remotam ponunt. Haec illi, qui copioſi, qui ſplendidi, qui uoluptarii, eſſe uelint, non expendunt, non cenſent, non morantur. Haud ergo mirandum eſt, ſi parum conuenit inter homines, iudiciis ac ſtudiis inter ſe diſſidentes, ſique hi, qui diuerſa ſibi optata fingunt, faſtidiunt eos ac deſpiciunt, in quibus non reperiant, quae in oculis ferant, quibus bona ſua terminent. Sed homines docti uanis ſuas uanitatis illecebras relinquunt, cum facile careant inanitate bonorum fallacium, quorum quanto minus habent, tanto minus cupiunt. Ipſi uero, cum bonam mentem cunctis anteferant, rerum ſuarum uel praeſidia, uel ornamenta, in perpetuo uirtutis ac doctrinae ſtudio reponunt

Qui quidem, cum uideantur optimam uiuendi

uendi uiam ingredi, noſtras in ſe cogitationes uertunt, et, quia nos propius attingunt, eam nobis animaduerſionem excitant, ut, de iis quid ſentiendum ſit, attentius conſiderandum, putemus. Cum enim mihi, hodierno die, uerba publice ſint facienda, nihil, credo, neque grauius, neque iucundius, neque aptius, poſſe in medium a me proferri, quam ſi dicere inſtituam de Praeſtantia Vitae Eruditae. Idem enim illud dicendi argumentum conuenire, intelligo, huic, qua circumfundar, coronae hominum, omni doctrina ornatiſſimorum, huic, in quo locum ceperim, antiquo, ac religioſiſſimo, diuinae humanaeque ſapientiae domicilio, huic denique tempori, quo praeclaris ingeniis doctrinae, certaminibus ſpectatae, praemia publice ſint riteque diſtribuenda. Vellem autem, eam explicandi facultatem, quam tantae rei dignitas poſtulet, quam uos expectetis ipſi, afferre poſſem. Sed, quando id minus a me, tantis ingenii uiribus haud inſtructo, ſperandum eſt, uobis quidem certe, Auditores, haud ingratum, ut opinor, erit, ex iis, quae pronuntiauero, uitae ueſtrae felicitatem intelligere, mihi autem multum beneficii tribuetur, ſi ueſtra mihi humanitate, ubicunque defecero, ſubueniatis

Quan-

Digitized by Google

Quanta ſit praeſtantia uitae eruditae, ut intelligi poſſit, declarandum uidetur, Auditores, quid mihi ſit hoc loco uel uita erudita, uel eruditio ipſa. Vitam eruditam dico, quae uel ita ſtudet eruditioni, ut remp· non capeſſat, uel ita ſtudet reipublicae, ut magis tamen in ſtudium ipſius eruditionis incumbat. Eruditionem appello cultum ingenii atque animi, uario ſcientiae liberalis genere perpoliti. Non loquor igitur hic de uita literatorum, qui ſolent illiteratis opponi, ſed de uita eruditorum, quae in ipſo eruditionis ſtudio occupatur. Nam literati, qui diſtinguuntur ab illiteratis, uel leuiter eſſe tincti literis poſſunt, uel accuratius literis inſtituti illi quidem, in quibus tamen, propter crebriora reipublicae negotia, diuerſantur potius, quam habitant. At hi, quibuſcum mihi res eſt, eruditi habitant potius in diſciplina liberali, quam diuerſantur, ad eamque ſolent omnia referre. Horum uita mihi dicitur erudita, quam memoriae ueteris alii otioſam atque otioſorum, alii ſapientis otium, uocant. Intelligunt autem, non iſtam uitam, quae langueat ignauia, quae, nihil agendo, male diſcat agere, ſed illam, quae otio potius ſapientiae tranquilliſque ſtudiis, quam negotiis reipublicae ac turbis ciuilibus, detur. Haec,

Digitized by Google

Auditores, haec illa eſt uita erudita, cui, nihil ſolidae germanaeque dignitatis eſt, quin tribuendum ducam

Sed, animo ad cogitandum inſtituto, eiuſdem uitae praeſtantiam, cum aliis in rebus, quas perſequi difficile eſt, reperire mihi uideor, tum maxime in potioribus quinque cauſſis, quas inſtituti noſtri conſideratio dare uideatur. Haec enim illa eſt eruditorum uita, quae uel omnis penituſque, uel praecipue, collocatur in capeſſendo augendoque animi cultu, uel communem hominum uitam humanitate, ac ſcientia, ſocietati humanae utili, excolit, uel ſui cultoribus animi tranquillitatem praeſtat, uel immortalitatem nominis parit, uel ipſis denique uiris, in republica domi militiaeque uerſantibus, plurimum affert adiumenti

Principio igitur quid, animo, praeſtantius eſt, Auditores, illo praeſertim, quem diſciplina liberalis exornet. Quanquam enim animus, ſua ſi ponderetur origine, ex ipſa diuinitate hauſtus eſt, quid tamen ille, quantumque labis ex primorum corruptela parentum traxerit, noſtrum ignorat nemo. Totus ille, coeleſtibus in rebus, deprauatus eſt, in naturalibus autem atque ciuilibus etſi facultates quaſdam retinuit, hae tamen multis

multis partibus adeoque sunt debilitatae, ut, si uirtutem scientiamue, ex pristino naufragio relictam, cum perdita contendas, utriusque uix umbram agnoscas. Quo diuinius igitur munus est animi, hominibus a Deo attributi, eo maiore, ad ipsum rursus excolendum, cura studioque opus est, ut dignitatem obtineamus eius dotis, qua pecudibus ferisque antistamus.

Et, quoniam uis animi omnis sita est in uirtute, haec uel morum decus respicit, uel mentis. Illam Graeci dicunt ἠθικὴν, hanc διανοητικήν. Ethica est uirtus, quae mores ad omne genus officii conformat. Dianoetica, quae, intelligentia, sapientia, scientia, mentem instruit. Vtraque uirtus hominem, ratione praeditum, decet, sed utraque simul animi cultum desiderat, cum neutra manserit integra, et qualis homini primum insita fuerat. Ac uirtus quidem moralis eum requirit animi habitum, in quo ratio praesit, appetitus obtemperet. Nam duplex animi uis est atque natura. Vna pars in appetitu uertitur, eamque Graeci ὁρμὴν nominant ab impetu, quo hominem huc et illuc rapit. Altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, ut ratio

praeſit, appetitus obediat. Cuius quidem ordinis conſeruatione omnis bene beateque uiuendi ratio tenetur, ſed, ea lege peruerſa, nihil eſt malorum, quin ſubiri poſſit. Tanta uero res a quonam rectius uel cognoſci, uel adminiſtrari, poteſt, quam ab eruditis, quorum uita omnis in ueri inueſtigatione, et boni actione, uerſatur. Neutrum enim horum ſine cultu rationis fieri poteſt

Virtus autem dianoetica eum poſtulat animi ſtatum, in quo cognitioni ſit locus, errori nullus. Naturali enim cupiditate tenemur cognitionis et ſcientiae, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, neſcire, decipi, et malum et turpe. Ex quatuor igitur honeſti, quod homini exquirendum eſt, partibus prima in perſpicientia ueri ſolertiaque collocatur. Sed hoc uerum latiſſime patet, per tot ſcientiarum artiumque bonarum ſtudia diffuſum, cum nullum ſit ingenuae culturae genus, quin ueri inueſtigatione utatur. In hac igitur omnes diuinae humanaeque ſapientiae partes elaborant, et quicquid ad eas referri poteſt. Dixeris fortaſſan, a Theologo religionem inueſtigari, ab Iuriſconſulto aequitatem, a Medico ſanitatem. Quod

Digitized by Google

Quod etsi nemini horum denegandum est, ab iis tamen disciplinis, quas colunt illi, ueritas seiungi neutiquam potest. Itaque, quicquid tractatur, siue ad sciendum, siue ad agendum, pertineat, quod habere cognitum uelimus, indagationi ueritatis omnino tribuendum est. Hic mentis humanae cultus est, plurimarum maximarumque rerum cognitione instructus, qui multum ingenii in excogitando, multum iudicii in deligendo, multum memoriae in retinendo, desiderat, et multis perpetuisque laboribus tuendus, augendus, amplificandus, est. Sed eodem hoc cultu sapientia paratur ac prudentia, ut facultas detur, quid in re quaque ueriſſimum sit, perspiciendi, ac rerum cauſſas acutiſſime et celerrime explicandi. Sic rationis lumen, quod a natura capimus, studio augetur, et intelligentiae uires, quas inscientia labefactauit, rerum perueſtigatione reficiuntur, et consilio temeritas expellitur, isque homini status quodam modo redditur, quo primum conditus erat. Hoc enim primae et incorruptae hominum naturae aptiſſimum erat, quod uerum, simplex, sincerumque, esset, ideoque homini cupiditas ueri uidendi adiuncta est. Cum autem hominis propria sit inquisitio ueri, haec per tot disciplinarum ge-

Digitized by Google

nera bene si processerit, ipsam rerum scientiam, cuius caussa uerum exquiritur, parit, fructumque affert homini, optabilem omnino ad bene beateque uiuendum. Sed aliud quid agunt eruditi, quam ut uerum, tot latebris, recessibus tam altis, abditum, eruant, idemque, tot doctrinis expositum, contemplentur, ac multiplici rerum cognitione animum reddant expolitum, et, quoad eius fieri possit, perfectum. Quod quidem studium quo magis adiuuat ad hominis excellentiam, qua feris belluisque antecellitur, quoquo modo instaurandam, eo maiore uidetur amplitudine censendum. Omnis denique cultus animi tantum dignitatis habet, quantum opes nullae generis ullius. Hac mente uiri docti liberalis doctrinae studia cunctis rebus externis anteponere solent. Persica magnitudine, nihil quondam, uel fortunatius, habebatur, uel illustrius. Democrito tamen, rerum naturalium, praestat, unam caussam inuestigare, quam regni in Perside potiri, ut Eusebius ex Dionysio Alexandrino refert. Iulius autem Caesar Scaliger ipsi arti poeticae, quam uulgus despexerit, tantum tribuit, ut eam fortunis regiis praeponat. Odarum enim quarundam Horatianarum artificio ac suauitate captus, earum similes, malit, composuisse, quam Rex esse totius

Digitized by Google

tius Hiſpaniae Tarraconenſis. Porro Philippus noſter tantam reperit in linguis utilitatem, ut pronuntiare non dubitet, etſi parum ſit, quod ſciamus in Graeca Hebraicaque lingua, hoc tamen nobis eſſe gratius oportere, omni auro, aut Imperio Turcico. Ego minimum, inquit, ſcio, tamen nolim pro illa cognitione accipere, quicquid auri eſt in omnibus regnis mundi. Haec Melanchthon, quae ad uerbum refero, ne quid ambigas

Nihil habeo iam, Auditores, quod praeſtantius, cultu uitae communis, dicam. Quod ſi quis addubitat, conferat is barbariae feritatem atque immanitatem cum manſuetudine totius Orbis humanioris. Conſtat autem uitae cultus humanitate, modeſtia, uerecundia, temperantia, omniumque ſtudio uirtutum, omnium artium praeſtantium, quibus hominum uſus, conſuetudo et conſociatio, inſtruitur, regitur, atque expolitur. Suntne igitur haec aliunde, quam ab eruditis, profecta. Dicat pro his omnis, omnium gentium politiorum, hiſtoria, uetus perinde ac noua, quae rudia populorum ſaecula ab eruditioribus diſtinguere ſolet. Ea quidem re hoc agit, ut mirificam literarum uim, in omnem Rempublicam multis modis emendandam,

Digitized by Google

dam, oſtendat. Aetatibus enim, literarum rudibus, feram agreſtemque uitam tribuit, eruditioribus doctrinam, qua ciues informentur ad honeſti decorique curam, atque excolantur. Stat porro reſpublica religione, legibus, moribus, diſciplina. Ac religione quidem, ex qua publicum priuatumque auſpicium, atque omnis rerum ſecundarum ſpes, pendet. Legibus, ut, iure aequabiliter reddito, ſuum cuique tribuatur, et ipſi ciuium animi iuſtitiae atque aequitatis uinculo contineantur. Moribus, ut, conſiliis actionibuſque ciuium ad uirtutum ſtudia compoſitis, ſuum quiſque faciat officium, et rectum honeſtumque colat. Diſciplina, ut imperandi parendique ordo conſeruetur, nec minus principes iuſte praecipiendo, quam ciues prompte obediendo, partes ſuas agant. Haec ſi fiant, quis dubitat, quin floreat reſpublica, omnibuſque fortunis abundet. Vndenam uero haec cuncta didiceris, niſi ab eruditis, quorum eſt, ſacra interpretari, diuinum humanumque ius deſcribere, morum, ac totius reipublicae, conformationem tradere, et, quid publice priuatimque in omnibus uitae partibus expediat, definire. Ac ſacra quidem ſcienter quis interpretetur, niſi multiplici rerum ſcientia praeditus.

Haec

Digitized by Google

Haec enim non modo linguarum ſanctiorum cognitionem deſiderat, ſed etiam antiquitatis uariae, hiſtoriae, profanae quoque, multarum artium, quas uel Philologia tradit, uel Philoſophia, uel alia denique doctrina liberalis. Magnus enim omnis ſapientiae theſaurus in diuinis libris abditur, cuius opes quanquam nemo mortalium ingenio ſuo exhauſerit, eum tamen ille felicius attingit, qui uaria ſit eruditione imbutus. Ipſam mihi doctrinam conſidera, quae ſalutis uiam nobis monſtrat. Hanc ſuperiorum temporum inſcientia, immane quantum, deprauauerat, ut nihil fere, quod grauius ſalutis aeternae momentum haberet, in ciuitate Dei ſincerum atque integrum, et uoluntati diuinae conſentaneum, relinqueretur. Ea uero re, quid hominum generi, ad ſalutem reducendo, pernicioſius, funeſtius, miſerius, euenire poterat, aut cogitari. Iam mihi uide mirabile conſilium prouidentiae diuinae, ut, hoc, intelligas, literarum praeſtantiam euidenter comprobari. Nam Religionis emendationem antecedit inſtauratio literarum, coepta primum in Italia, in Gallias deinde, aliaſque partes Europae, traducta. Tum uero, acrius in primis repetito ſacrarum Linguarum ſtudio, nefaria diuinae mentis deprauatio

Digitized by Google

patuit, tum fraudes malitioſae Sophiſtarum cognitae ſunt, tum, quantopere conſuetudo interpretum futilium, in errores lapſa, de uia deflexerit, perſpectum. Itaque, elucente literarum redintegratarum lumine, caligo, quam ſuperſtitio rebus coeleſtibus offuderat, diſpulſa eſt, monſtra placitorum libidinoſorum propulſata ſunt, doctrinae ſanctitas a ſordibus imperitiae purgata, ſua denique mens diuinis Oraculis reddita, ſuaque Religioni integritas reſtituta. Nemo fontes iuris diuini neſcit, niſi qui Tabulas diuinas poſſit ignorare. Ab his longe lateque fluxit, quicquid homines praecipui ſolidique iuris habent. Sed nihil fama nobilius eſt, iure Romano, quod, potiorem ſui partem, ex Attico hauritur. Haud tamen ius Laconicum reſpuit, id uidelicet, quod magnam in Graecia auctoritatem obtinuit ſeueritatis ſuae. Quo fit, ut duos Graeciae legiſlatores uideas illuſtres, Solonem atque Lycurgum. Neuter horum in doctis non habendus eſt, cum uterque Sapientis perſonam ſuſtineret, et, more priſcorum ſapientum, ad alias gentes, doctrinae explorandae cauſſa, commearet. Sed ius Romanum, quod Graeciae refertur acceptum, in ipſa quoque Italia inuenit, quod aſciſceret, collectum-

que,

Digitized by Google

que, domum aſportaret. In ea enim Graecia, quae magna dicta eſt, et potentiſſimis ac maximis urbibus floruit, primum Pythagorae, deinceps Pythagoreorum, nomen tantum fuit, ut eorum nobilitas finitimas remotioreſque gentes fugere non poſſet. Qua re eorum diſciplina longe lateque fuſa eſt, ut nihil impedire uideatur, quo minus ea in ipſam Vrbem permanaret. In aetatem Pythagorae Numa non incidit, ut falſo quondam exiſtimatum eſt. Tanta tamen Pythagorae, et uiui, et mortui, celebritas fuit, ut poſteriores, temporum ignari, ad quos haec Pythagorae fama manauerat, ipſum Numam, qui ſapientia excelluerit, Pythagorae, crederent, auditorem fuiſſe. At multa ueterrima Romanorum inſtituta fuerunt a Pythagoreis ducta, quae Cicero in Republica Romana reperit, recitare tamen, in quarto Tuſculanarum, non audet, ne ea, quae peperiſſe ipſi putentur Romani, aliunde didiciſſe uideantur. Ergo Romani didicerunt a Pythagoreis, quae pro ſuis uenditant, eaque, cum leuia non ſint, Cicero premit, ne quid, horum commemoratione, ſapientiae Romanae decedat. Ex quo perſpicuum eſt, ſi Tullium audias, et a Pythagora, qui, L. Bruti aetate, Romanis paene in conſpectu fuerit, et ab.

Digitized by Google

eius familiaribus, multa Pythagoreae disciplinae Romanis institutis ac legibus accessisse. Atque haec quidem multo ante euenerunt, quam, legatis in Graeciam missis, ius inde arcessitum est, idemque aliarum in Italia ciuitatum institutis auctum, ut deinde, aliis adiectis, duodecim Tabulae scriberentur. Praestanti autem sapientia et nobilitate fuit Pythagoras, eiusque discipuli in nobilissimis philosophis habiti sunt, qui, ut eorum magister, non minus sapientiae praecepta traderent, quam ad respublicas, legibus condendas, acciri solerent. Sic ius Romanum ipsis quoque Pythagoreis incrementa quaedam debuit, ut alia taceamus. Cum autem nullus uitae cultus sine moribus esse possit, quid aliud, quaeso, ciuitatem efficit bene moratam, quam liberalis institutio, atque haec undenam, nisi ab eruditis, expectanda est. Ipsa uero reipublicae disciplina, ciuitatis temperatio, publica priuataque hominum uita, atque huius degendae optima ratio, etsi latissime patent, harum tamen rerum nihil est, quin ab hominibus, doctrina praeditis, studiose doceatur. Hoc illi, et uiui faciunt, et post mortem scriptis perficere laborant. Idem illud Cicero eis, quorum studia uitaque omnis in rerum

Digitized by Google

rum cognitione uerſatur, in laude ponit, quod ab augendis hominum utilitatibus et commodis nunquam recedant. Ab his enim, commemorat, erudiri multos, quo meliores ciues utilioreſque ſint rebus ſuis publicis, idque exemplis multorum confirmat. Noſque ipſi, inquit, quicquid ad rempublicam attulimus, ſi modo aliquid attulimus, a doctoribus atque doctrina inſtructi ad eam et ornati acceſſimus. Vt uiuorum autem mortuorumque merita declaret, Neque ſolum uiui, inquit, atque praeſentes ſtudioſos diſcendi erudiunt, atque docent, ſed hoc idem etiam poſt mortem monimentis literarum aſſequuntur. Quam praeclare hoc faciant, iam teſtatur idem Cicero. Nec enim, ait, locus ullus praetermiſſus eſt ab iis, qui ad leges, qui ad diſciplinam reip. pertineret, ut otium ſuum ad noſtrum negotium contuliſſe uideantur. Ita illi ipſi, doctrinae ſtudiis et ſapientiae dediti, ad hominum utilitatem ſuam intelligentiam prudentiamque potiſſimum conferunt. Haec Tullius, quibus auctoritatem afferre poteſt exempli ſui. Ne quod autem uel fundandae reip. uel gubernandae, ſubſidium deſit, uiri docti illam quoque prudentiam expromunt, quae uerſetur in perſpiciendis rationi-

Digitized by Google

bus conſtituendarum, et regendarum, rerumpublicarum, et cuius omnes partes a philoſophia petendae ſint, ut, primo de Oratore, Cicero dicit. Hac mente princeps ille ingenii ac doctrinae praedicat, quod, prudentiſſimo cuique probatum, idem Tullius Q. fratri, ad prouinciam Aſiae bene adminiſtrandam, commendat, Tum denique beatas fore Reſpublicas, ſi aut docti ac ſapientes homines eas regere coepiſſent, aut ii, qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent. Deſcendunt denique docti ad ſingulos, ut eos, ingentium uirorum exemplis, horum ſimiles efficiant. Hac in uirtutis ac gloriae diſciplina uerſatus, Cicero, quotidie proficit. Quam multas, inquit, nobis imagines non ſolum ad intuendum, ſed etiam ad imitandum, fortiſſimorum uirorum expreſſas, ſcriptores, et Graeci et Latini, reliquerunt. Quas ego mihi ſemper, in adminiſtranda rep. proponens, animum, et mentem meam, ipſa cogitatione hominum excellentium, conformabam. Haec Cicero. Nec uero docti res ſolum, ab ſe inuentas, quae uitae cultum augeant, in commentarios referunt, ſed etiam aliorum ſtudio elaboratas, et eorum dictis factiſque ornatas, conquirunt, in lucem

profe-

Digitized by Google

proferunt, doctrinis illuſtrant. Huius generis cuncta iacerent in tenebris, ac nihil prodeſſent, niſi multo labore excuterentur undique, commode diſponerentur, et cunctis in conſpectum darentur. Multa igitur ſunt, quibus homines cultum uitae humanae inſtructiorem faciant, adiuti literis, quas reip. ſine grauiſſimis eius incommodis adimere non poſſis. Proinde Mitylenaei, ut Aelianus refert, ſociis, qui deſciuerant, hanc poenam conſtituerunt, ne, liberos inſtitui literis, liceret

Non reperio, Auditores, quid omnis hominum uita praeſtabilius habeat, animi tranquillitate. Huic autem quaenam uita plus adiumenti affert, quam erudita. Habet fortuna, quo laceſſat hominum quietem, et conturbet animos atque affligat. Nam ſecuros uarietate ſua opprimit, opibus confiſos ui ſua percellit, quantoque plus aufert rerum ſecundarum, tanto graiores affert perturbationes. Hoc fieri ſolet iſtis, qui, rerum externarum quaſi laqueis irretiti, indulgere malunt deliciis ſuis, quam de commutatione rerum cogitare. At uero eruditus fortunae mobilitatem non ſolum uidet, ſed ex ſuis etiam cauſſis eam nouit, eandemque ad rerum humana-

Digitized by Google

manarum imbecillitatem refert. Mature igitur praesidia circumspicit, quibus aduersus fortunam se muniat, crebrasque rerum uicissitudines mente contemplatus, comparat animum ad ea, quae possint euenire, placide ferenda. Sic tenet constantiam, quam, tametsi primi subitique motus aliquantum feriunt, conuellere tamen non possunt, sed, ratione compressi, facile sedantur. Multo autem crebrius, quam fortuna, multoque uehementius, animos commouere solent cupiditates, in eis excitatae. Namque hae, in uenis medullisque infixae, mentem, rationis sedem, obsident, eamque, dominante appetitu, de statu deiiciunt, motibus turbidis exagitatam, in diuersas rapiunt partes, ut non habeat illa, ubi consistat. Quae grauis animi tempestas ne cooriatur, eruditus hoc maximae sibi curae habet, ut se norit, eaque sui cognitione summonitus, animaduertit, sui regundi scientia diligentiaque, nihil sibi esse antiquius oportere. Mente sic instructa, ne quo libidinis, subito prorumpentis, turbine praeceps agatur, ratione prouidet, euitatis rerum caussis, quibus animi procellae concitentur. Nam perspectas habet rationes boni malique, cuius utriusque cogitatione animi permouentur. Itaque longe

alios

alios bonorum malorumque fines ſibi conſtituit, ac uulgus, quod ſenſu tantum mouetur, opinione fertur, atque huius errore iudicium corrumpit. Vt imperita eſt multitudo, ſic mentis errore diuagatur, et, quia rerum externarum falſo ſplendore decipitur, in bonis maliſue ducit, quae, ad uerum exacta, longe aliter ſe habent. Quae quidem cuncta, cum uel in caſu fortunaque, uel in uoluptatibus turpiter percipiendis, poſita ſint, nullum mentis tranquillandae pondus habere poſſunt. Quin etiam multis eadem diſtringuntur incommodis, ut, ſiue amittantur, praeter moerorem et inane ſui deſiderium, nihil relinquant, ſiue retineantur, nihil tamen habeant, quo placidum efficiant animum, ac ſorte ſua contentum. Sic earum rerum, quas fortuna dilargitur, nulla uera dignitas eſt, nulla ſtabilitas, ſed felicitas infucata, qua ſi confidas, in multas repentinaſque miſerias uitae turbidae coniiciaris

Contra ea, eruditus bonorum malorumque fines, non opinione, ſed ipſarum rerum natura, regit, et nihil in bonis numerat, quod honeſtate, nihil in malis, quod turpitudine, uacet. Virtute ſua ac praeclarae mentis conſcientia ni-

Digitized by Google

xus, nihil malorum timet, nihil bonorum non ſperat. Si qua fortunae munera conſequitur, haec ad uirtutis exercitationem confert, ſin iiſdem caret, ſuis gaudet animi bonis, quae et praeſtantiora eſſe, et ſtabiliora, nouit. Sic intra ſe reperit frenum, quod cupiditatibus, ſi quae profundi uelint, iniiciat, reperit firmamentum, quo aequitatem animi muniat, ne quo caſu infeſto labaſcat. Habet ergo ſui modum in rebus ſecundis, ſpei ſolatium in rebus aduerſis. Eo beatior denique fertur, quo firmius in officio ſibi conſtat, et quo iucundiorem tranquillitatis fructum ex recte factis capit

Quod ſi eruditus, qui doctus eſſe, quam bonus, malit, hoc fructu compoſitae mentis excidat, nae ille et in officio, maxime neceſſario, claudicat, quoniam turpiter, ut grauiter Seneca docet, a doctrina mentis bonae curam ſeiungit, et ſibi potius notam turpitudinis inurit, quam uitae eruditae. Haec enim illum naturae ſtatum ſequitur, in quo ratio praeſit, appetitus obtemperet. Ratio uero praecipit uirtutis ſtudium, quo ad temperantiam, continentiam, modeſtiam, omnemque morum grauitatem, deducamur. Tali enim modo, cum nihil expe-

tendum

Digitized by Google

tendum iudicatur, nisi quod honestum decorumque sit, ea, quae eximia plerisque et praeclara uidentur, neque tamen sunt, parua ducuntur. Hac autem rerum humanarum despicientia, quam prudens consideratio tot magnarum celeriumque in omni fortuna conuersionum parit, illa animi magnificentia existit, quae dignitatem sapientis deceat. Appetitu compresso, obstruitur fons multarum, atque effrenatarum, libidinum, quibus, in actiones profusis, ingentes fiunt consiliorum tumultus, ac foediſſima perturbatio uitae totius humanae. Hanc enim tum cupiditas et metus, tum etiam aegritudo, et uoluptas animi, iracundia denique, uersant ac uehementer agitant, ut nihil fere immotum, nihil sedatum pacatumque, in mentibus relinquant. Quod si mortalium uires haud ferunt, ut omnes motus in potestate habeant, hos tamen honesti rectique cogitatio refrenat, ne quid indecore fiat. Appetitus autem, ne longius euagentur, ratio cohibet, et, redactos in ordinem, contrahit atque sedat. Sic aequitas animi fundatur, quies firmatur, uacuitas ab angoribus conseruatur, eaque stabilitur tranquillitas, quae affert tum constantiam, tum etiam uitae dignitatem

Digitized by Google

Ecce igitur tibi in homine, uera eruditione praedito, quem eundem bonum esse uolumus, ille sapiens, qui, honesti amore, res, extra se sitas, excelso animo despiciat, eisque contemptis, quae plerique admirantur, se uitamque suam tranquillam reddat. Quietis huius, quae animum in aequabili literarum uirtutisque studio contineat, cupiditate, eruditorum alii fugerunt procurationem reip. alii ab ea, bene administrata, recesserunt, ac literis se tradiderunt. Nihil equestris ordinis lautius fuit, T. Pomponio Attico, sed nihil etiam doctius, nihil denique modestius. Honores enim non petiit, cum ei paterent, neque eo secius uirtute doctrinaque sua id consecutus est, ut, in fortuna humiliore, principibus ciuitatis par dignitate poneretur. Vsus autem est philosophiae cognitione, ut Corn. Nepos ait, ad uitam agendam, animumque, quod inde consequitur, sapientia regendum. Ea in re tranquillitati suae tam bene seruiit, ut, aliis mobilitate fortunae, modo elatis, modo demersis, ipse pari fastigio staret in utraque fortuna. Atticum serius aemulatur Cicero, cum Pompeius, Caesar, et Crassus, rerum summam tenerent, sed tanto cupidius id iam agit, ut, requiescens a muneribus reipublicae, otium sibi sumat.

Digitized by Google

sumat. Cum enim ad Atticum scripsisset, quae sibi de republica referri uellet, Sed quid ego, inquit, haec, quae cupio deponere, et toto animo, atque omni cura, φιλοσοφεῖν. Sic, inquam, in animo est. Vellem, ab initio. Nunc uero, quoniam, quae putaui esse praeclara, expertus sum, quam essent inania, cum omnibus Musis rationem habere cogito. Haec ille. Poenitet eum fortunae suae, poenitet honorum gestorum, quibus nihil praeclarius iudicauerat, poenitet morae, melioribus consiliis ac studiis interpositae, hacque, decernit, abiecta, ad philosophiam se referre, literis se totum dare, ut, curis rerum inanium leuatus, in doctrinae studiis acquiescat. In alia uero epistola, quam misit ad eundem Pomponium, cum turbida reipublicae tempora cogitat, alienior a Dicaearcho, qui uersandum censet in actu rerum, Theophrasto autem, reipublicae non capessendae auctori, assensus, Respicio nunc, inquit, ad hanc familiam, quae mihi non modo, ut requiescam, permittit, sed reprehendit, quia non semper quierim. Quare iucumbamus, o noster Tite, ad illa praeclara studia, et eo, unde discedere non oportuit, aliquando reuertamur. Hactenus Cicero. Cum autem consulum, Pompeii et Crassi, nutu cuncta secius, ac

Digitized by Google

uellet Cicero, adminiſtrarentur, hic Puteolos ſe recipit, et Fauſti bibliotheca paſcitur, ac, propter rempublicam a ceteris oblectationibus uoluptatum deſertus, ſic literis ſuſtentatur et recreatur, ut malit in Attici ſedecula inter libros ſedere, quam in Pompeii atque Craſſi ſella curuli. Adeo Tullius nullam reperit animi tranquillitatem, praeterquam ſolis in literis

Sed optimus quiſque, ſi ullius rei, immortalitatis certe, ſtudio ardet. Quid ergo praeſtantius, ſpe immortalitatis, inter mortales conſequendae, Auditores. Haec nominis eſt immortalitas, haec ingenii uirtutumque fama, haec proſpera noſtri memoria, qua uigemus apud poſteros, et mortui, uelut uiui, abſentes, quaſi praeſentes, celebramur. Optimus quiſque ad eum honorem naturali quodam impetu nititur, cum ne defuerint quidem, qui templa omnium magnificentiſſima incenderint, aliaue egerint, ut, infamia nobilitati, ſermonem poſteris darent. Sed ubinam uel pulchrius, uel ſtabilius, prodendae memoriae praeſidium reperias, quam in ſubſidiis uitae eruditae. Vt enim haec uita res, memoria digniſſimas, habet,

Digitized by Google

bet, ſic habet ſimul monimenta, ab ſe inuenta, quibus eae res ad perpetuam memoriam commendari poſſint. Haec ſunt monimenta ingenii, literis conſignata, ac longe uel firmiora, uel ad perpetuitatem ſtabiliora, quam ſaxa, aliaue quaeuis materia. In his, quaſi coram, uideas audiaſue, Lycurgum et Solonem, iudicantes, Platonem et Ariſtotelem, diſputantes, Demoſthenem et Tullium, orantes, Archimedem atque Euclidem rationes ducti in puluere radii demonſtrantes, Strabonem et Ptolemaeum, Orbis ſitum metientes, alioſque alia, in ipſo etiam coetu ſanctiore, praecipientes, quibus religio, ſcientia, literae, officia hominum, omnia reipublicae munera, omnes togae bellique artes, tradantur. Sic mortui docent uiuos, et uiui, ſi uelint ſapere, mortuos audiunt, et, quoties horum doctrinas laudant, toties ab eorum ore uidentur pendere. Viuitur igitur ingenio, ubi nihil corporis ſupereſt, atque haec eruditorum eſt uita, quae non caduco ſpiritu producitur, breuique diſſipatur, ſed, longis aetatum ſpatiis extenta, operibus animi, monimentis ingenii, aeternitatem ſuam tuetur

Multi quidem priſcae memoriae, multo ſplen-

ſplendore, auro purpuraque, fulſerunt, multo comitatu ſtipati, inceſſerunt, multis copiis ac deliciis affluxerunt, tantumque habuerunt potentiae, tantum auctoritatis, ut, ſi quam miſerint uocem, haec numinis cuiuſdam uel ſapientiam, uel uim, exprimere ſit uiſa. Atque hi tantos ſibi ſpiritus, tantamque arrogantiam, ſumpſerunt, ut eruditos uix aſpectu, nedum alloquio, dignati ſint, quos uiderint forte, uel minus ſplendide ueſtitos, uel minus laute uiuentes, paruoque contentos, uel exiguo famulatu, uel nullo prorſus, in publicum prodeuntes. Quamuis hi ſaepe, pro ſapientia ſua, qua faſtum ac uanitatem repellere conſueuerint, inanem profuſumque apparatum, non tam inopia, quam modeſtia, declinauerint. Sed, quam ſubito conſumpta eſt magnificentiae iſtius opulentae gloria, quam repente, quam ſaepe, uertit in ludibrium, quam poſteris ne nota quidem eſſet, niſi literis eſſet prodita. Nihil certe, praeter inuiſam priſtinae ſuperbiae memoriam, reliquit, et, ſi uitam proſecuta felicitas eſt, celeriter tamen omnis iſte ſplendor morte obſoleuit, funere extinctus eſt, obliuione deletus. Quid enim aliud uel ſentias hic, uel dicas, ſi reminiſcaris Antonios, Seianos, Suilios, horumque ſimiles, quo-

Digitized by Google

quorum uiuorum ſplendor omnium praeſtrinxit oculos, ſed eorundem ſuperbia, impotentia animi, acerbitas, in eruditos effuſa, quod poſteris narratur, ea quidem re id agitur, ut apud poſteros, exemplorum uituperatione commonefactos, praue factis ex infamia metus ſit. At uero eruditi uiri, qui ſcriptis illuſtrantur, mortui fere magis, quam uiui, exſplendeſcunt. Viuorum enim admirationi inuidia plerumque obſtat, mortuorum decora, a quibus uiui metuere ſibi non poſſint, melius accipiuntur. Splendeſcit tum pallium, quod nuper pluribus ſorduerat, cuius tamen, quamlibet triti, in ſumma rerum geſtarum gloria, neque Epaminondam, neque Ageſilaum, quondam puduit, ut Aelianus narrat. Sed tum niteſcit pallium, cum purpura lati claui ſqualet, quae fulgebat olim. Eo pertinet Apotheoſis illa Homeri, ob inopem uitam ſpreti, ſed, morte obita, culti religioſe, quam uetus marmor, Romae, in aedibus Columnarum Principum, oſtendit, multa cum animi uoluptate uiſendum. Eodem referantur tot honores, uiris doctis, poſt horum mortem, ab Regibus, Principibus, populis, in templis, ſtatuis, numiſmatis, gemmis, aliiſque monimentis, habiti, quos hic referre, longum eſt, ſed expo-

Digitized by Google

ſitos eruditione Cuperiana cognoſcere atque mirari, haud iniucundum. Haec eruditorum memoria, ſtatuis ex marmore et aere, gemmis caelatis, numis, aliiſque monimentis, expreſſa, renouatur a Fuluio Vrſino, Theodoro Gallaeo, Io. Petro Bellorio, Paullo Alexandro Maffeio, Iacobo Gronouio, Laur. Begero, pluribuſque paſſim aliis. Eadem laus doctorum hominum, imaginibus ſignificata, uiget in compluribus elegantiae priſcae Muſeis, Italicis maxime, Romanis praeſertim, atque Etruſco. Homero, quem Cuperus explicat, addo Euripidem, canibus, quos aemuli immittunt, in Macedonia dilaceratum. Huius ſepulchrum Macedones, ut A. Gellius memorat, honore tanto dignantur, ut in gloriae quoque loco praedicent, memoriam illius nunquam perituram. Itaque legatis, qui publice Athenis erant miſſi, petentibus, ut oſſa poetae Athenis, terrae patriae, concedantur, abnuunt, in eaque re deneganda perſtant, conſenſu quidem maximo

Quod ſi ab inferis, ſic enim mortuos ueteri more dicimus, priſci iam excitarentur heroes, ac uirtutis ſuae famam, annalibus inſertam, cognoſcerent, quantam, neceſſe foret, doctis homini-

Digitized by Google

minibus gratiam haberent. Ecquis enim ueſtras, uiri fortiſſimi, omniumque poſterorum ſermone celebratiſſimi, res geſtas noſſet, quis ipſa nomina ueſtra, niſi memoriae ab eruditis tradita fuiſſent. Liceat iam mihi, aliquam heroum hiſtoriam mecum commentari, qualem cunctis in libris deſiderem. Hoc, mihi quoque fas ſit, dignitati gentium iure poſtulare, ut ſui cuique populo uiri praeſtantes, ſi non pari numero, aut uirtute, at fama certe inter ſuos finitimoſque incluti, omni aetate concedantur. Detur ergo mihi, uti cunctis e populis, per tantam ſaeculorum ſucceſſionem, uiros egregios, meritis claros, in luce oculiſque ciuium magnos, mente mihi uniuerſos in unum colligam, eorumque praeſtantiam mihi proponam, etiamſi ſingulos nominatim appellare non poſſim. Quid impedit igitur, quo minus uidear, inter Achilles, Hectoras, Cyros, Alexandros, inter Camillos, Scipiones, Paullos, Metellos, inter noſtros illos, Ariouiſtos, Arminios, Maroboduos, inter tot alios, tot gentium, priſcae memoriae, duces claros, imperatores excellentes, uiros illuſtres, uidere mihi aliam turbam, illis permixtam, longeque frequentiorem, ſed neſcio quam. Eſt enim turba ſine nomine, quam tamen ex igno-

Digitized by Google

bili uulgo non cenſeam, cum nobilitatis ac uirtutis ſuae argumenta uultu ipſo praeferre uideatur. Quaenam igitur haec turba eſt, Auditores. Illi ſunt, illi, inquam, quorum ipſa ignorantur nomina, quoniam nihil horum fit notum literis aliorum. Nam uixere fortes ante Agamemnona, ut ait ille. Qui tandem. Potentes ſine dubio, bene de republica meriti, domi foriſque clari. Quot autem. Multi. Tot uidelicet ſaeculis, tanta hominum multitudine, tanta aemulatione uirtutis, factorum, gloriae, cuius igniculis nihil altum generoſumque eſt, quin exardeſcat. Sed omnes, inquit, illacrymabiles. Quorum uita multis profuerat, horum certe mors multis uidebatur deflenda, ad poſteros etiam, ut uirtuti ſuum rependeretur decus. Sed nihil hi lacrymarum, nihil laudis, accipiunt, quoniam extincti iam pridem ſunt, Ignotique longa nocte. Nimirum mortem excipit obliuio, obliuio res, quamlibet illuſtres, inuoluit obſcuritate, obſcuritas res breui obliteratas ſic abſcondit, ut ſi ne fuiſſent quidem haec unquam, quae iam neſciantur. Neſciuntur autem illa priſcae aetatis lumina, Carent quia uate ſacro. His igitur uiris, tam inſignibus, longinquitas temporis ipſa deleuit nomina, cum defuerint, qui

Digitized by Google

qui posteris eos in memoriam redigerent. Ipse quidem Agamemnon, eiusque aequales, scriptis aliorum noscuntur. Virtus ipsa, quae quidem in notitiam serae posteritatis uenerit, scite dicitur a Poetis Expers sepulchri, sed ita demum, si fuerit Viuax scriptis horum, eam qui praedicauerint. His euenit id, quod euenisset Achilli, ut eodem tumulo nomen eius, quo corpus, tegeretur, nisi Homeri Ilias Graeciae principem ab obliuione uindicasset. Itaque merito Alexander, cum, in Sigeo, ad Achillis tumulum astitisset, O fortunate, inquit, adolescens, qui tuae uirtutis Homerum praeconem inueneris. Achillem praedicat felicem Homero praecone, Plinius similiter Virginio Rufo, cui gloria parem aetatis suae scit neminem, de laudatore eloquentissimo, Cornelio Tacito, gratulatur. Magnorum enim uirorum, iudicat, felicitati hunc supremum accedere cumulum, si scriptorum illustrium eloquentia ornentur. Et uere. Nam magni fuerint uiri, quo tamen altius eminuerunt, eo magis, ut fit, inuidiae patuerunt. Haec, eorum gloriae obtrectans, quantum, ut solet, iustae, ac debitae, laudis eis detraxit, quantum penitus obtriuit. Sed ipsi clari uiri cum ex hominum conspectu morte decesserint, eis iam

Digitized by Google

extinctis, a quibus nihil amplius ſperari poſſit, hoc paratior eſt obliuio, quo plures in ſe ingratos ii tum quoque cognouerunt, cum multa multis beneficia coram darent. Horum autem memoriae, ne diuturnitate uaneſcat, ſubeniunt homines docti, qui res geſtas illuſtrium uirorum poſteris tradunt. Atque hi quidem ſi ualuerint ingenio, elegantibus doctrinis erudito, tantum certe pollent, ut, quos arte ſua poliuerint, hi poſteris temporibus ſplendeant, tantique uideantur, quantos eos commemorent ſcriptores. Ex quo iudicari poteſt, ſi magnificis potentibuſque uiris propoſitum ſit immortalis gloriae ſtudium, eis eruditorum literas haud parui ducendas eſſe, ſed habendas in magnis inſtrumentis famae, in ſempiternam Orbis terrae memoriam ſpargendae. Quid multis. Ita quidem ſapientiſſimo cuique ſemper uiſum eſt, quod profiteri ne ipſi quidem hiſtorici dubitant, Flauio Vopiſco teſte. Hic autem, Certum eſt, inquit, quod Salluſtius Criſpus, quodque M Cato, et Gellius, hiſtorici, ſententiae modo, in literas retulerunt, omnes omnium uirtutes tantas eſſe, quantas uideri eas, uoluerint eorum ingenia, qui uniuſcuiuſque facta deſcripſerint. inde eſſe, quod Alexander Magnus, Macedo,

cum

Digitized by Google

cum ad Achillis ſepulchrum ueniſſet, grauiter ingemiſcens, Felicem te, inquit, iuuenis, qui talem praeconem tuarum uirtutum reperiſti. Homerum intelligi, uolens, qui Achillem tantum in uirtutum ſtudio finxit, quantum ipſe ualebat ingenio. Haec Vopiſcus. Idemque mox recte docet, ipſam uirorum, uirtute rebuſque geſtis ſummorum, gloriam memoriamque, incuria atque inſcientia poſterorum, facile deleri potuiſſe, niſi fuiſſent, de iis qui ſcripſiſſent. Cn. Pompeium, inquit, tribus fulgentem triumphis, belli piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarumque rerum geſtarum maieſtate ſublimem, quis tandem noſſet, niſi eum M. Tullius, et T Liuius, in literas retuliſſent. P. Scipionem Africanum, immo Scipiones omnes, nonne tenebrae poſſiderent ac tegerent, niſi commendatores eorum, hiſtorici, nobiles atque ignobiles, extitiſſent. Hactenus Vopiſcus ille. Qui quidem, tametſi plures, Pompeii narratores, adiicere poterat, probe tamen monet, fore, ut ipſa nomina uirorum excellentium breui neſciantur, niſi monimentis literarum conſeruentur. Iam, ſua quid fiat aetate, demonſtrat, Probo Imperatore nuper mortuo, ſed ignorari iam coepto, cum quidem perpetuae mandandus eſſet memoriae, propter ingentia merita Imperii, tam glorioſe,

Digitized by Google

rioſe aſſerti, ut aurei ſaeculi ſpes dari uideretur. Probum, inquit, Principem, cuius imperio Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio, omneſque Orbis partes, in totam ſecuritatem redactae ſunt, ſcriptorum inopia iam paene neſcimus. Occidit, proh pudor, tanti uiri et talis hiſtoria, qualem non habent bella Punica, non terror Gallicus, non motus Pontici, non Hiſpanienſis aſtutia. Sed non patiar ego ille. Haec Vopiſcus. Sic ipſe Probi memoriam ſtudet aſſerere, exemploque Probi docet, quam facile omnis heroum gloria perdatur, niſi ſcriptis eruditorum cuſtodiatur. Itaque ſuperior Africanus, ille uictor Hannibalis, domitor Africae, carum habet Ennium, cuius uerſibus opera ſua mandentur. Idem quoque poeta in ipſo Scipionum ſepulchro putatur e marmore conſtitutus. Quam ob rem. Vt ei gratia referatur, cuius ingenio gloria gentis Corneliae, in Africano, cunctis ſaeculis praedicetur. Alexander M Eumenem, Calliſthenem, alioſque plures, Scipio Aemilianus Polybium, Hannibal Philinum et Soſilum, alii Reges, Principes, Duces, maximi, ſuos ſecum comites expeditionum, rerum geſtarum ſpectatores, habent, ut eorum cura ſtyloque, ad memoriam ſui poſteris prodendam, utantur. Sic eruditi, poſt deceſ-

Digitized by Google

deceſſum ſuum, non ſolum uiuos docent atque erudiunt, ſed, ipſi, etiam, heroes ut uiuant mortui, ac, pro dignitate ſua, poſteris colantur, ingeniis ſuis, laboribus, ſcriptis, efficiunt, idcirco digni, qui foueantur ab heroibus, quorum ſunt praecones, digni, qui ab Regibus ac Principibus, quorum memoriae conſulunt, multis magniſque rebus ornentur. Sed alii uiderint, quo ſoleant in eruditos animo eſſe, quantumque, eorum ſtudia gloriae ſuae, uelint, inſeruire. Ipſis quidem eruditis uirtus eorum ac doctrina, literis expreſſae, eam ſpem praebent, fore, ut honos eorum, nomen, laudeſque, ſemper maneant, aliis certe compluribus obliuione ſepultis, quorum, olim uiuentium, atque elatius ſe gerentium, magnitudo omnium in ſe oculos atque ora conuertebat. Hoc enim inter ſplendorem falſum atque inanem, et fidelem ſtabilemque gloriam, intereſt. Ille fulgore alieno, quem mutuatur a rebus externis, nitet, cum eoque breui euaneſcit, haec, uirtutis atque ingenii meritis nixa, luce ſua lucet, eademque poteſt alios colluſtrare, ne qua hi obliuione poſterorum obſcurentur. Audiatur Sapiens ex Hiſpania Romanus, in utroque uitae genere, inter ſummos, et fortunae, et ingenii, honores, uerſatus. Quoſcunque, inquit,

Digitized by Google

in medium fortuna protulit, quicunque membra ac partes alienae potentiae fuerant, horum gratia uiguit, domus frequentata eſt, dum ipſi ſteterunt. Poſt ipſos cito memoria defecit. Ingeniorum creſcit dignatio, nec ipſis tantum honor habetur, ſed, quicquid illorum memoriae adhaeſit, excipitur. Haec Seneca

Quanquam uita erudita ſatis in ſe ipſa praeſidii habet, ad tuendam declarandamque dignitatem ſuam, ut ſuperioribus quatuor locis explanatum eſt, huic tamen rei, quantum amplitudinis, tantum fidei, afferunt iudicia ſummorum hominum, qui rempublicam gerunt, et, domi bellique clari, magnis literarum adiumentis, in omni uita fortunaque, gaudent. Ex his illi cordatiores, qui rebus urbanis praeſunt, atque in imperiis magiſtratibuſque uerſantur, parum ſe, putant, idoneos ad ſuſtinenda ciuitatis munera, niſi adhibeant eo adminicula doctrinae liberalis. Audiatur in primis ille, qui, ſummis in rempublicam meritis excellens, Pater Romae liberae uſurpatur. Hic, ut diximus, ſe, teſtatur, ad ornandam rempublicam, a doctoribus atque doctrina inſtructum, acceſſiſſe. Sed idem, pro Archia dicens, dubitationem reperit,

ab

Digitized by Google

ab aliis iniectam, utrum ſine doctrina magni in republica uiri poſſint exiſtere. Tum uero naturae, cum doctrina collatae, magnam quidem uim tribuit, ſed, ad extremum, maiores potioreſque uires naturae dat, ſcientia excultae. Contendit enim, cum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam confirmatioque doctrinae, tum illud, neſcio quid, praeclarum ac ſingulare exiſtere, quod diuinos efficiat uiros, ac praecipua laude. Horum ex numero refert Africanum, C. Laelium, L. Furium, M. Catonem, qui quidem, eodem iudice, nunquam ſe ad literarum dediſſent ſtudium, ſi nihil, ad percipiendam colendamque uirtutem, literis fuiſſent adiuti. Atque etiam illi, qui uiuunt in luce oculiſque ciuium, in ipſa rerum adminiſtratione, praeſidia loci ſui tuendi a literarum, maxime ciuilium, ſcientia repetunt, idque fateri, eos haud pudet. Nulla enim uitae pars, nullum quaeſtionis ullius, neque publicis, neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis, in rebus, eſt genus, quin literis ſit explicatum. Attendamus denuo Ciceronem, pro Archia diſputantem. Hic graue argumentum experientiae ſuae aduerſariis, facile ac luculente confutandis, obiicit, quod ab ipſis rebus, in re-

Digitized by Google

publica geſtis, ſumit. An tu exiſtimas, inquit, aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus in tanta uarietate rerum, niſi animos noſtros doctrina excolamus, aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos, doctrina eadem, relaxemus. Ego uero fateor, me ſtudiis his eſſe deditum. Ceteros pudeat, ſi qui ita ſe literis abdiderunt, ut nihil poſſint ex his, neque ad communem afferre fructum, neque in aſpectum lucemque proferre. Mox autem, ut teſtificetur, ex quo fonte hauriat, quae ſumma ſint, iiſdem, docet, literis, earumque praeceptis, ab adoleſcentia, ſe, ad laudem atque honeſtatem, excitatum, tot ac tantas pro ſalute communi dimicationes ſubiiſſe, ſummorumque hominum exemplis, ad proficiendum propoſitis, ad rem ipſam, ſimili uirtute gerendam, inſtitutum fuiſſe. Quam multas, inquit, nobis imagines, non ſolum ad intuendum, uerum etiam ad imitandum, fortiſſimorum uirorum expreſſas, ſcriptores, et Graeci et Latini, reliquerunt. Quas ego mihi ſemper, in adminiſtranda republica, proponens, animum et mentem meam ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam. Haec ille. Quae ſupra quidem ſcriptoribus ueteribus generatim laudi dedimus,

ſed

Digitized by Google

sed eadem hoc loco sigillatim in Cicerone non possumus non considerare, ubi, aliam ad rem, tantus nobis auctor opus est. Ostendit autem Tullius, se, in tractanda republica, adiuuari literis, quae et praeceptionum plenae sint et exemplorum, ubi, nullum prudentiae munus sit, quin sapienter dictis factisque demonstretur. Iidem denique, qui ad rempublicam se accommodarunt, laboribus fessi, leuamenta taediorum, fomenta curarum, in studiis quaerunt, quibus reficiant uires, recreatique, acrius partes suas agant. Plinius quidem Romae praecipua cum dignitate uiuit, sed, dum amplissimis fungitur honoribus, molestiis conteritur, et, quot in Vrbe dies frigidis rebus absumpserit, intelligit demum in Laurentino suo. Hic, occupationibus relaxatus, otio delectatus, legit aliquid, aut scribit, secumque tantum, et cum libellis, locutus, O rectam, inquit, sinceramque uitam. o dulce otium, honestumque, ac paene omni negotio pulchrius. Iamque, Minutium Fundanum suum, ad animum, remissione integrandum, adhortatus, Proinde tu quoque, inquit, strepitum istum inanemque discursum, et multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque, teque studiis uel otio trade. Cum spectaculo

Digitized by Google

Circenſium tot millia uirorum tenentur, per hos ipſos dies, quibus publice uidebatur otiandum, libentiſſime otium conceſſum in literis collocat, et, ſuo Caluiſio ſuum, ab occupationibus requieſcendi, morem profeſſus, Omne hoc tempus, inquit, inter pugillares ac libellos, iucundiſſima quiete tranſmiſi. Namque, ut auocamenta dulciſſima, ſic omnis uitae, ſuauius degendae, inſtrumentum, ponit in doctrinae ſtudiis. Et gaudium, inquit, et ſolatium, in literis, nihilque tam laetum, quod his laetius, nihil tam triſte, quod non per has ſit minus triſte

Nec uero minus praeſidii, ad rem gerendam, a doctrinae ſtudiis arceſſunt, qui militaribus operibus illuſtrari uelint. Cum armis enim coniungunt artes togae, ſed in his adiumenta reponunt omnis ſcientiae, quae rei bellicae ſit uſui, illius potiſſimum, qua regatur animus, ſuique uincendi prudentia comparetur. Hac mente Timotheus, Cononis filius, ad belli laudem doctrinae et ingenii gloriam adiicit, Epaminondas, a Lyſia Pythagoreo eruditus, ſummus et imperator euadit et philoſophus, ut mirabile uideatur, unde tam inſignis militiae peritia proueneri t homini, inter literas nato. P. Scipio Aemilianus

Digitized by Google

nus non modo corpus periculis, ſed animum etiam diſciplinis, exercet, ſemper inter arma et ſtudia uerſatus. Atqui Timotheus eſt ille, cuius uirtus ea dicatur adiuuari fortuna, ut haec, illo dormiente, urbes capere uideatur. Epaminondas eſt ille, quicum Thebanorum, ad imperium Graeciae ex humilibus incrementis excitatorum, gloria, et naſcatur, et extinguatur. Scipio Aemilianus eſt ille, qui Carthaginem, Romae aemulam, exſcindat. Eo, ne morer, gloriae faſtigio ſtat Alexander Magnus, eius ut nomen uirtutis potius bellicae, quam hominis, eſſe uideatur. Hic tamen, ipſo patre, Philippo auctore, acerrimis literarum ſtudiis eruditus, prius philoſophus, communi Graeciae fama, ut Iſocrates ad ipſum ſcribit, celebratur, quam bellator. In ipſo uictoriarum curſu, ab Homero, cuius ſapientiam pro uiatico, ac bellicae uirtutis inſtrumento, ſecum fert, ut ardorem ſpiritumque, ſic ipſam bellandi facultatem, capit. Cum ponderatur ex magnifice factis, magnus Plutarcho eſt Philoſophus, ac Mandani, Indorum ſapienti, tam admirabilis, ut, ſolum hunc eſſe, pronuntiet, quem quidem philoſophantem uiderit in armis. Denique, cum Darium, ipſe uiribus longe impar, uictoriis atque triumphis urget,

cur

Digitized by Google

cur tandem doctrina liberali, quam opibus, alios praeſtare, diſcupit, ut ipſe, laudatus A. Gellio, ſcribit ad ueterem magiſtrum ſuum, niſi diſciplinae, olim perceptae, praeſentem ſingularemque uſum in proeliis, atque omni tractatione armorum, reperiſſe ſibi uideatur. Tantum roboris habet eruditio, ad experimenta uirtutis, ipſis in expeditionibus bellicis, edenda

Sed fortes illuſtreſque uiri ad ſcribendum etiam, non modo ad res gerendas, animum ſaepe numero adiecerunt. Glorioſum duxerunt, ut uirtutem adminiſtratione rerum, ſic ingenium bene ſapienterque commentandi ſcientia, probare. Eiſdem magnae fuit uoluptati, quod otii in caſtris erant nacti, ad ſcribendi ſtudium conferre, quod domi quietis, laboribus militiae iam perfuncti, habebant, ad condenda ingenii monimenta conuertere. De Graecis, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, alios, de Romanis, M. Catonem, Iulium Caeſarem, Auguſtum, Velleium Paterculum, alios, quis ignorat, A Diodoro Siculo commentarii laudantur Alexandri M. a Famiano Strada Caroli quinti, ut alios Imperatores, ac Reges, praeteream, bello ſcriptiſque claros. Ipſe Hannibal, quo nihil fero-

Digitized by Google

ferocius ac terribilius finxisse natura Romanis uidebatur, non nihil temporis tribuit literis, et libros aliquot Graeco sermone confecit. Hoc miratur Cornelius Nepos in tanto uiro, tantisque bellis districto. Illud etiam adiicit, cum Hannibale in castris fuisse, simulque uixisse, Philinum, et Sosilum, Lacedaemonium, eoque Sosilo Hannibalem fuisse usum doctore literarum Graecarum. Ea res digna uidetur Andreae Schotto, uiro praestantis doctrinae, quam militari temporum suorum licentiae opponat. Nos operae pretium iudicamus, audire Schottum ipsum, latius, atque accuratius, pro rei necessitate, differentem, ut graui eius iudicio error multorum inueteratus corrigatur. Vbi sunt isti, inquit, praeclari imperatores, qui dicunt, literas a re militari esse alienas, et eis animos hominum effeminari ac molliri. Animi hominum immoderata pecuniae cupiditate, luxuria, auaritia, libidine, ambitione, et similibus pestibus, eneruantur, atque adeo corrumpuntur, non literis. Nihil nunc dicam de quibusdam aliis, nisi quod eos populi primoreis haberi audio, ceteroqui mihi ignotis, qui palam uociferari, et passim iactare, dicuntur, mala omnia publica ex literis, et liberalibus doctrinis, oriri. quasi uero isti de

Digitized by Google

populi ſalute magnopere laborent, aut Galliae calamitate uel tantillum commoueantur. Non eſt ita. Sed, quamuis indocti ſint, ut dicuntur eſſe ab iis, quibus noti ſunt, intelligunt tamen, literas eſſe quaedam ueluti ſpecula, quibus ipſorum uita obuerſa, atque admota, ut eſt turpis, et flagitioſa, et ſcelerata, ſic talis uidetur, et, quod horribilius eſt, talis infinitae poſteritati uideatur, neceſſe eſt. Hoc eos male habet, atque hoc potiſſimum nomine literas, et literatos, non modo dente uenenato rodunt, uerum etiam omnibus machinis oppugnant. Nam uiri boni, et abſtinentes, et iuſti, et innocentes, et integri, et puri, literas amant, atque amplectuntur, literatis fauent ac ſuffragantur. Improbi, iniuſti, praedones, ſicarii, auari, ſacrilegi, impuri, omnes hi metuunt uerſus, odere poetas, ut ait noſter Flaccus. Omnes hi literis et doctis hominibus bellum inexpiabile indixerunt, omnes hi, bonarum artium, bonarumque literarum, gymnaſia deleri, ac funditus euerti, dicunt reipublicae expedire, quaſi, literis exſtinctis, et libris omnibus de medio ſublatis, incendioque abſumptis, aut etiam ſcholis ipſis deletis, impunius peieraturi, fraudaturi, praedaturi, rapturi, latrocinaturi, moechaturi, omnes

Digitized by Google

omnes denique libidines et cupiditates ſuas expleturi. Sed uehementer errant. Nam, ut omnes ſcholae uel ſua ſponte, uel illorum ſcelere, concidant, quod omen Deus Opt. Max. auerruncet, ſatis erit tamen literarum, ad ignorationem et improbitatem profligandam, quem ad modum uitis olim apud Aeſopum, fabularum ſcriptorem, hirco dixiſſe fertur, cum ab eo roderetur, ac depaſceretur. Κἂν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω, Οσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ. Id eſt, Me ad ſtirpem ut peredas, tot ero tamen aucta racemis, Ex his libamen fiat ut, hirce, tibi, Interea pingues dum tu mactatus ad aras Procumbis, Bromio uictima grata patri. Neque unquam docti et eloquentes uiri, aut in Gallia, aut in Italia, aut in Germania, aut in Hiſpaniis, deerunt, qui G· ſiue potius immanes, et feros iſtos Cyclopas, in[illegible]bus, ueriſque, infamiae notis inuſtos, tra[illegible] hominum memoriae nunquam intermorituræ. Et literarum quidem uituperatores, at[illegible]tores, turpiter et foede peribunt, literae uero, earumque non ſolum aſſertores et patroni, quales ſemper fuerunt noſtri reges, ceterique ſimiles, hoc eſt, boni principes, ſed etiam fautores ac ſuffragatores, quales ſunt in

Gallia, et maxime circum regem noſtrum, Carolum Chriſtianiſſ. clariſſimi et ampliſſimi uiri. in his, Iacobus Amiotus, magnus regis eleemoſynarius, et Io. Moruillerius in ſenatu reconditiore regis conſiliarius, et ſenator in primis grauis, et ſapiens. neque hi tantum, uerum etiam cultores et alumni, ut ſunt omnes bonarum artium doctores, muſarumque, ut ita dicam, ſacerdotes. Omnes hi uiuent gloria, et commemoratione poſteritatis honorifica, ſempiterna. Libenter autem ex iſtis quaeſierim, qui literis tam infeſti ſunt, ſi ueteres illi, Homerus et Pindarus, ſi Plato et Ariſtoteles, ſi Herodotus, et Thucydides, et Plutarchus, et Diodorus Siculus, ſi Demoſthenes, et Aeſchines, ſi M· Tullius, et T· Liuius, ſi P· Virgilius, et Q· Horatius, aliique, quos enumerare longum ſit, poetae, philoſophi, et hiſtorici, et oratores Graeci et Latini, reuiuiſcant, ſintne eorum praeſentiam reuerituri, an eos uel impia manu, uel maledica et impotente lingua, uiolaturi. Non dubito equidem, quamuis ſint impudentiſſimi, atque audaciſſimi, quin, uel ſolo eorum aſpectu deterriti, hac, et illac, ſint dilapſuri. Atqui longe ſceleratius ſit, eorum monumenta, quibus ii ſuas optimas cogitationes mandauerunt, exſtinguere conari,

Digitized by Google

nari, quam uiua et animata corpora, aliquando omnino iterum moritura, ferro lacerare. Quid si illorum statuae hic apud nos positae essent, auderentne eas mutilare, aut euertere. non arbitror. Quid si hic ibidem eorundem sepulchra exstarent, auderentne ea uiolare. multo, opinor, minus. Comprimeret enim istorum audaciam aut religio, quae debetur mortuis, aut lex, quae sepulchra mortuorum uiolari uetat. At quanto sanctiora, et religiosiora, sunt literarum monumenta, quam sepulchra. Quanto mortuis, si quis sensus est mortuis, aut si animos mortuorum aliqua rerum humanarum earum, quarum studio, dum uiuebant, dediti fuerant, cura tangit, ut credibile est, cariora sunt, quam sepulchra. neque immerito. Haec enim corporum, illa animorum, memoriam posteritati produnt, haec cineres, illa accuratissimas et euigilatissimas, et optimas, cogitationes continent, et conseruant, haec aut nullam, aut ualde paruam, illa immensam et immemorabilem, utilitatem posteris afferunt. Haec fluxa sunt, et caduca, illa immortalia, et sempiterna, nisi calamitosa quaedam temporum iniuria incidat, manent. Quod si isti, opibus aut potentia, aut nonnulla auctoritate, freti, tantum sibi sument, ut re-

Digitized by Google

gum noſtrorum ſuperiorum, qui literarum uindices, et cuſtodes, et parentes, ſemper haberi, dicique uoluerunt, iudicia improbare, et reſcindere, conentur, hoc tantum aſſequentur, quod, quo animo ſint in patriam, imperiumque Gallicum, declarabunt. Sin autem, literis oppugnandis, et iis ſcriptis, quibus ſua iniuſta, et ſcelerata, et impia, et flagitioſa, facinora reprehendantur ac notentur, opprimendis, confident, ſe ignominiam, infamiamque ſempiternam, uitaturos, audiant ueriſſimum et prudentiſſimum hiſtoricum, Cor. Tacitum, cuius haec uerba ſunt lib. 4. annal. Quo magis ſocordiam eorum irridere libet, qui, praeſenti potentia, credunt, exſtingui poſſe etiam ſequentis aeui memoriam. Nam contra, punitis ingeniis gliſcit auctoritas, neque aliud externi reges, aut qui eadem ſaeuitia uſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam, peperere. Haec Schottus. Cuius quidem ſi longior uidebitur oratio, comparetur cum grauitate rei, a manifeſtis hominum iniuriis tuendae, ut breuior etiam uideatur. Ea uiri doctiſſimi diſputatione facile refellitur aſſentatio Gabrielis Naudaei, hominibus quibuſdam florentibus ita ſe uenditantis, ut, loci, quem in uiris eruditis obtinet, uelut oblitus, illius laudatione ſtudii bellici, quo te-

nentur

nentur fautores eius, hominum literatorum dignitatem infringere nitatur. Magnus omnino habendus est honos rei militari, quae cum fortitudine prudentiam, cum constantia iustitiam, adaequet. Sed ea res, si spectetur in ducibus, uere magnis, haud repudiat insignia uel disciplinae percipiendae, uel rei gerendae, subsidia, quae uel a rei bellicae scriptoribus, uel ab aliis multorum generum, historicis maxime, suppeditantur, ut explanator Polybianae praestantiae sapientissimus exquisite, ad Henricum quartum, Franciae Regem, differit, Isaacus Casaubonus

Quid autem est in uitae solatiis, quod uiri, pace belloque magni, sibi potissimum deligant, si, uel laboribus fracti, uel fortuna offensi, quietem, loco suo dignam, expetant, si, iam magno natu, debilitati, aetatis uacatione frui uelint, qua uitam, bene actam, iucundius finiant. Ad literas se recipiunt, quae perfugium rebus aduersis praebent, ac Musarum dulcedinem, ipsasque suauitatum sedes, habent. Has ad literas ex multis uitae molestiis confugiunt, tanquam ex alto ac turbidis procellis, in placidum securumque portum. Literarum enim studia continent ipsa uirtutum studia, neque sinunt inermes esse senes, cum

Digitized by Google

cum aptiſſima habeant arma ſenectutis, artes illas exercitationeſque uirtutum, quae, in omni aetate cultae, cum multum diuque uixeris, mirificos afferunt fructus, ut Cato ille Tullianus Scipionem, ac Laelium, docet. Itaque hic ſtudium iam ſenior arripit Graecarum literarum, otiumque ſuum, hiſtoriis ſcribendis, oblectat. Aemulatus eum, Minor, eaſdem ruri delicias habet, quem quidem Cicero, ut tertio de Finibus diſſerit, in Tuſculana Luculli uilla, et bibliotheca, ſedentem reperit, multiſque Stoicorum libris undique circumfuſum. Ipſe quidem Cicero, extincto ſenatu, deletiſque iudiciis, abdit ſe in bibliothecam, inuoluit ſe literis, ſcribit, legit, ut Curium, Paetumque, certiores, facit. Hoc Plinius ſeceſſu, honeſtiſſimo atque iucundiſſimo, cuius ſpe deſiderioque ſe conſolatur ipſe, beatum fert Spurinnam, qui, geſtis magiſtratibus, adminiſtratis prouinciis, hoc demum literatae ſenectutis otium, pro gratiſſimo multi laboris praemio, in uilla ſua, conſecutus ſit. Quam pulchrum, inquit, illud, quam dulce ſecretum, quantum ibi antiquitatis, quae facta, quos uiros, audias, quibus praeceptis imbuare. Hoc enim loco, inter amoenitates plurimas, liber legitur, idque interdum praeſentibus amicis, ubi liber

Digitized by Google

liber etiam repetitur, ubi ſtylus ſumitur, rurſuſque legens auditur. Non diſſimili ſapientia Pomponius Baſſus diſponit otium ſuum, ſic, ut multum diſputet, multum audiat, multum lectitet, cumque plurimum ſciat, quotidie tamen aliquid addiſcat. Ita uero ſeneſcere oportet uirum, qui magiſtratus ampliſſimos geſſerit, exercitus rexerit, totumque ſe reipublicae, quam diu decebat, obtulerit. Haec Plinius, cui nihil optatius eſt, quam imitari aliquando poſſe iſtud pulcherrimum quietis exemplum. Pari modo Porcio illi Catoni, quem Cicero loquentem facit, nihil iucundius eſt, otioſa ſenectute, quae quidem habeat aliquod tanquam pabulum ſtudii atque doctrinae. Haec igitur ſtudia, quae ſenectutem oblectant, aegritudinem leniunt, nobiſcum ruſticantur, haec, inquam, eundem Catonem, in otio plura ſcribentem, reficiunt ſenem, Scipionem Africanum in ſolitudine, Ciceroni laudata, conſolantur, ubi, ſecum, literiſque ſuis, maxime cum Xenophonte, loqui ſolet, eoque minime ſolus eſt. Eadem ſtudia Luculli, cum Pompeio de gloria contendentis, ambitionem, philoſophiae diſciplina, temperant, ut Plutarchus tradit, Virginii Rufi, de quo Plinius Caecilius meminit, maximi clariſſimique uiri, altiſſimam tranquilli-

Digitized by Google

tatem, in uilla Alſienſi, ſenectutis ſuae nidulo, uoluptate complent. Quid multa. Timotheus ille, Athenienſium dux, felicitate belli gerendi tantum ualet apud ciues, ut hi rationem inire non poſſint, uiri, tam admirabilis, pro dignitate colendi. Hic tamen ipſe Cononis filius, qui putatur in ſummo fortunae gradu locatus, cum Platonem forte, ut Aelianus ſcribit, diſſerentem, non de praeſenti rerum florentium ſtatu, ſed de locis omnis doctrinae grauiſſimis, audit, O uitam, inquit, ueramque felicitatem. Adeo uir ſapiens, iſta ciuium admiratione, qua celebratur, beatiorem fert illam uitam, quae ingenuas ex doctrina oblectationes percipiat

Quanquam haec ita ſe habent, forſitan tamen fuerint, quibus de aliis uitae generibus minus, uel pro dignitate, uel pro aequitate, ſentire uideamur. Quid. Num cedat uita ciuilis eruditae, quaſi lux umbrae. Nonne res maximae, animique maximi, ſuſcipiuntur ab iis, qui rempublicam gerunt. Earum enim rerum adminiſtratio latiſſime patet, ac pertinet ad plurimos. Quid. Iſtane uita otioſa militari gloriae praeponatur. Nonne pax ipſa conquieſcit in tutela uirtutis bellicae. Ego uero, ne quis erret, de duobus his uitae generibus neutrum impugno, utrum-

Digitized by Google

trumque potius horum pro eo, ac par eſt, colo, ſed, neutrum, aio, fraudi nobis eſſe. Neque enim, praedicanda eruditorum uita, id laboramus, ut aliam honeſtam diuerſae uitae inſtitutionem coarguamus, ulloue modo laceſſamus. Opinari enim, nihil eſſe laudabile, praeter eruditionem, non dicam, temerarii ſit, ſed amentis. Quin etiam ex omnibus honeſte uiuendi inſtitutis ſuum quodque decus habet, ut ſupra demonſtrauimus, ipſa quoque mercatorum, praeſertim opulentiorum, uita, ipſa maxime ruſtica, qua nihil antiquius, nihil ſimplicius, nihil uberius, nihil ſuauius, eſt. Nec uero diſſimilibus his uitae agendae rationibus quicquam detractum uoluerunt uiri docti, quas ipſi laudant, de quibus etiam ſcribunt, quarum ſibi deligunt aliquas, literiſque iungunt. Ac de uita quidem ciuili quid eſt, quod omni ex parte non praecipiat Plato, doctor reipublicae princeps, quod eius auditor, Ariſtoteles, auctor Politicorum ueterum acutiſſimus, non exquirat, ut alios omittam. Democritus, cuius mentionem Plutarchus facit, artis bellicae dignitatem adeo praedicat, ut, eam diſci, uelit, uelut maximam, eoque maiorem militaribus laboribus operam dari, quo inſignior rerum, magnifice geſtarum, utilitas ſplendorque

Digitized by Google

dorque pariatur. Artem autem hanc ipſam, ſuis in partibus cognoſcendam, exponunt Aeneas, Xenophon, Polybius maxime, Arrianus, Onoſander, Polyaenus, tot alii, in uulgus noti. Et, quanquam a quaeſtu ſordido liberalis eruditorum indoles abhorret, mercaturae tamen, magnae praeſertim et copioſae, auctore Tullio, ſuum relinquit locum, modo praeſtantior mercatura bonarum artium cenſeatur, et animis erectioribus multo amplior gloriae merces in praeclare factis conſtituatur. Quod quidem, ex ueterum prudentum iudicio ſumptum, ualuiſſe tantum uidetur, ut leges mercaturae, nobilioribus haud exercendae, Honorius, ac Theodoſius, Imperatores, horumque exemplo, Iuſtinianus, quondam darent. Rei denique ruſticae laudem, a Platone, Ariſtotele, Cicerone, praedicatam, ipſamque eiuſdem rei doctrinam, a Catone, Varrone, Columella, Palladio, traditam, quis ignorat. At uero docti, quorum eſt, naturas rerum atque cauſſas inueſtigare, priſcam Critolai libram, quam Cicero dat in manum, ſolent adhibere, cuius in alteram lancem animi bona imponant, in alteram corporis et externa, ſed, haec, uident, honeſtate illorum longe praeponderari. Itaque, cum omni cogitatione ferantur in animi bona,

Digitized by Google

bona, quae continenter propoſita ſunt uitae eruditae, hanc propterea amplectuntur, hanc eximie diligunt, hac ſibi felices, in communibus hominum miſeriis, uidentur. Iudicant enim id, quod res eſt, animi bona ceteris, uel corporis, uel fortunae, multo praeſtare. Nam pulchritudo, atque ſanitas, res optabiles illae quidem ſunt, ſed minus ſibi conſtant. Robur eſt dos corporis eximia, ſed facile, uel morbo, uel ſenectute, conficitur, ualentius etiam eſt in belluis, tauris, elephantis, leonibus. Nobilitatis ueteris decor inſignis putetur, qui tamen ab antiquitate generis, gloriaque maiorum, profectus ſit. Amplitudo, honoribus, amicitia, rerum omnium copia, florens, magni exiſtimetur, ſed fortunae ſimul munus, ut mobile, ſic datum ſaepe peſſimis. Gloria, res auguſta, et animis excelſis, ingeniis ſplendidiſſimis, digna, numeretur, ſed hominum ſimul opinione, unde ducitur, inſtabilis, niſi uirtutis radicibus defigatur. Virtus enim, huicque deditum honeſtae diſciplinae ſtudium, neque ex hominum leuitate, neque ex caſu incertiſque euentis, pendent, ſed inſiſtunt in munimento dignitatis ſuae, nec quicquam ferini uictus ad ſui communionem admittunt, ſed propriis ſingularibuſque bonis declarant, quantum natura hominis pecu-

Digitized by Google

dibus, reliquiſque belluis, antecedat. Hanc ſententiam cum ſapientiſſimus quiſque ueteris memoriae ſequitur, tum nominatim Plutarchus, quem omnis reipublicae, domi bellique adminiſtrandae, ſcientiſſimum merito dixeris, affirmare non dubitans, eruditionem opibus, atque honoribus, adeo anteponendam eſſe, ut ei, ex rebus humanis uni, et immortalitas, et diuinitas, iure debeatur. Nihil fere Iulius Caeſar cogitare ſolebat, niſi triumphos, cum Orbis terrae imperium mente agitaret, eiuſque gloriae ſtudio arderet. Hic tamen, dictator, qui priorem perpeti non poteſt, M. Ciceroni, cuius hoſtis eſt, ingenio eloquentiaque praeſtanti, lauream tribuit, omnibus certe triumphis maiorem, quod, ut ait Plinius, Plus ſit, ingenii Romani terminos promouiſſe, quam imperii. Ea uero re oſtendit cunctis doctrinae dignitatem ſingularemque excellentiam, quam, ſi quis forte, ſuis contrariiſque rationibus, putet, oppugnandam, is quidem, hoc loco, uidet, non ſibi rem nobiſcum fore, ſed cum Caeſare, cuius magnitudinem ignorare non poſſit

Vitae, quae ingenuis ſtudiis atque artibus obſequitur, dignitas ſatis, ut arbitror, explanata

Digitized by Google

nata eſt, quam nemo temere in dubium deuocet, niſi uel parum intelligens, uel iniquus ualde. Sed, huic dignitati ne faueant, multos impedierit inopia, qua plerique doctorum uirorum premi uideantur. Non enim recens, ſed uetus, eſt uerbum, quod, uulgo iactatum, Petronius Arbiter, uafer iſte conſuetudinis popularis explorator, ex triuio arripit, Amor ingenii neminem unquam diuitem fecit. Quod ſi diuitias non peperit ingenii ac doctrinae cura, ea quid adiumenti afferre potuit, ad ſplendide ſe gerendum, ad uiuendum cum dignitate, quid incitamenti, ad labores uigiliaſque perferendas inutilis ſtudii, quibus ad egeſtatem uita redigatur. At, quibus magna fit acceſſio pecuniae, his praeſidia uitae, dignitatis ornamenta, fortunae oblectamenta, deeſſe non poſſunt. Haec ſunt illa, quae, cum eiſque felicitatem uitae, doctis hominibus eripere uidetur indigentia, cum diuitibus nihil elegantiae, munditiae, deliciarum ſuauitatumque, non offeratur. Haud multi ſane fuerint eruditorum, qui tantis abundauerint copiis, ut earum mole laborauerint, nedum ea oppreſſi ſint. Quod haud mirum eſt. Cum enim hi, quibus ingenii cultus eſt curae, in ſcientia liberali omnem induſtriam, cogitationem, totamque men-

Digitized by Google

mentem, defigant, liberalis autem scientia latissime pateat, ob eamque causſam plurimum studii desideret, fit omnino, ut minus colligatur opum atque coaceruetur, neglecta dimissaque quaestus occasione. Nec uero hoc fit, aut inscientia lucri captandi, aut desidia, sed amore doctrinae praestantis. Hic enim quorum in animis insedit, hos ardore suo, uelut aculeo, pungit atque fodit, ut prae doctrinae, et sapientiae, studiis contemnant diuitias, quasi leuiores externasque res, et cum deterrimis saepe communes. Qua quidem in re nonnulli nimium sibi indulserunt, et, Craten, Thebanum, de quo Plutarchus, imitati, relicto patrimonio, cum palliolo ac pera, ad philosophiam, delectamque sibi paupertatem, se contulerunt. Aristippus etiam, aurum proiici, iubet, ut itineris impedimentum. Sed nihilo minus hunc, quam Staberium auarum, Horatius recte dicit insanum. Prudentiam enim tuendi rem familiarem, quae bene parta sit, ab usu uitae studium honestae doctrinae haud excludit. Eius tamen doctrinae amor ratione gubernandus est, ne qua corrumpatur ostentatione, et pro magnificentia animi, cuius gloriam affectat, uanitatem ostendat. Prudentiores certe, quod habent opum, sine causſa non effundunt,

hoc

Digitized by Google

hoc tamen, quantumcunque est, infra eruditionem ponunt, cum reperiant in artium bonarum disciplina, quod in opibus frustra quaeritur, ut meliores perinde fiant, ac doctiores. Hoc enim illud est, quod Aristoteles, ut Diogenes Laertius memorat, praecipere solitus est, ad uirtutem adipiscendam ingenuas artes plurimum ualere. Idemque Philippus Cominaeus cognitum habuit solo uitae, in Aulis potissimum, inter Principes et Purpuratos actae, usu, nullo literarum, quarum fuit expers. doctrina quidem uel meliores reddi homines, uel deteriores, pro sua quemque natura, et inclinatione uoluntatis, uerosimilius tamen esse, aliquem ea fieri meliorem. nam, quo quisque magis, quid deceat se, intelligat, eo uehementius ipsum neglecti officii pudere, et, tametsi non omnino sibi temperet a maleficio, cauere tamen, ne plane modum excedat. Illud quidem, inquit, usu compertum habeo. Multos enim noui, quos a malis indecorisque consiliis eruditio sola retraxit. Haec ille. Quae quidem doctrinae uim, in emendandis, moderandis, continendisque, animis atque consiliis eximiam, declarant, ab eo praesertim dicta, cuius iudicium, illustrium rerum tractatione subactum, uiri ciuiles, ipsaque pruden-

Digitized by Google

tia Aulica pro Oraculo adhuc colit. Reperiunt igitur in literis docti id, quod hominem maxime deceat, quod, accommodatum ad communes insigneſque utilitates, proſit, non minus publice, quam priuatim. Hae diuitiae ſunt bonae mentis, quae cum excelſius quiddam afferant, quam multitudo, lucris intenta atque inhians, capiat, ecquis in eis animi magnitudinem, probitate innocentiaque fultam, non animaduertat. Tanto igitur meliores ſunt hae eruditorum opes, quanto uirtuti coniunctiores. Quod ſi diuitias ipſas, quales auiditate uulgi expetuntur, cum ingenii ſtudio contendas, quid hic inuenias ſimile, quod uel dignitate, uel utilitate, comparandum, putes. In doctrinae ſtudio formam uideas, et tanquam faciem honeſti, ac uerae uirtutis, germanique honoris, ſolidam atque expreſſam effigiem, in diuitiis noſcas umbram, fictaſque imagines, ſimulati cuiuſdam boni. Diuitiae, quae nihil emendationis in ſe continent, qualem inuenerint, talem habebunt. Qui, ſi malus eſt, habet inuitamenta domeſtica malorum, quibus deterior fiat, ſin frugi, habet, quod caueat, ne felicitate corrumpatur. Doctrinae facultas datur, et corrigendi prauos, et confirmandi bonos. Diuitiae, ut luxuriae ac deſidiae

sidiae patent, sic homines, utraque ingenii peste deprauatos, scientia iudicioque spoliant. Doctrina, frugalitatis et industriae magistra, ut animos in officio continet, ad labores acuit, sic eosdem diuina humanaque sapientia replet, atque ipsam rationem pecuniae, sapienter utendae, docet. Diuitiae nitent externo splendore, qui, nisi, spectantibus affulgens, oculos praestringat, nullus est, nullum sui pretium capit. Doctrina uirtutis, ac scientiae, luce lucet in animo, et fulget quidem in ornatu morum, ac totius uitae, omnique decoro, sed in ipso etiam mentis recessu suum lumen alit, ac splendet in tenebris, quoties errantibus uiam comiter monstrat. Vere grauiterque Plutarchus, si, diis expunctis, Deum ponas, scite, inquam, hic, cum diuitiarum felicitatem, in ostentatione positam, notasset, Non ita, inquit, temperantia, philosophia, Deorum notitia recta. Nam haec, ut omnes homines fugiant, in animo suum habent proprium splendorem, suam lucem magnam, animusque, bonum summum amplectens, gaudium sibi contubernale asciscit, siue uideatur uirtus, siue sit Diis hominibusque ignota. Talis res est uirtus, ueritas mathematum, pulchritudo rerum geometricarum, et astrologicarum, cui, indi-

Digitized by Google

gnum est, istas diuitiarum phaleras, et bullas, ac puellaria spectacula, comparari. Quippe haec si nemo uideat, nemo spectet, uere caecae fiunt et obscurae diuitiae. Haec ille, de cupiditate diuitiarum uitanda. Quid aliud praeterea dixeris hoc loco, nisi quod dictum iam sit a Crispo, diuitiarum gloriam fluxam esse atque fragilem, uirtutem claram aeternamque haberi. magnas diuitias breui, extincta simul possessoris memoria, dilabi, at ingenii egregia facinora, sicut animam, immortalia esse

Sed ne ipsae quidem diuitiae continent bonum, per se expetendum, quale uirtus habet, ingeniis bonis, in ipsis doctrinae studiis, praecipue quaesita. Appetuntur enim diuitiae, uel ad usus uitae necessarios, uel ad perfruendas uoluptates, ad augendam potentiam, ad magnificos apparatus, uitaeque cultum, elegantia et copia, ubique lautius instruendum. Quo quidem in genere latissime patet, uel uoluptas, uel ambitio, uel auaritia, tanta certe, ut infinitae libidini infinita pecuniae cupiditas adiungatur, et pauper is putari soleat, qui facultatibus non abundet. At naturae, quae libidini inimica est, consentaneum erat, tantum acquiri opum,

pum, quantum opus ſit ad uſus uitae tuendos. Quapropter homines, doctrina imbuti, diuitias illas, quae uitiis deſeruiant, ne concupiſcunt quidem, ſed oblatas, cum Epaminonda illo, repudiant, et leuioribus animis relinquunt, perinde, ut uoluptates, dominas blandiſſimas, quarum conciliatrices eſſe diuitiae ſolent. Hunc mihi animum ſpecta C. Fabricii, aurum argentumque, cuius ei copiam, optione libere data, facit Pyrrhus, adeo reſpuentis, ut ne uelit quidem in diuitibus haberi, ſed his multo beatiorem ſe putet, nullas opes in ſua deſiderans animi continentia, quibus efferri maxime poſſit. Pari modo eruditi plus tribuunt animi ſui continentiae, quam aliorum intemperantiae, plus integritati, quam nequitiae, et, natura duce, contenti paruo, ſatis habere ſibi ſuperque uidentur, ſi, quicquid poſſident, nullis artibus malis quaeſitum ſit. Pittacus pecuniam, muneri a Croeſo datam, non accipit, quod eius non indigeat. Socrates, uino frumentoque donatus, pauca accipit, cetera remittit. Diogenes, quoties homines, gloria opibuſque inflatos, cernit, ſe, putat, homine, nihil inanius uidere. Nam bonae menti ſtudent, quam diſcunt a bonis literis, eaque re ab illis abhorrent diuitibus, quibus olim cum bona men-

Digitized by Google

te minus conueniebat, dicere solitis, sororem bonae mentis esse paupertatem. Nec uero hi aliter pronuntiare poterant, qui, nisi, abiecta bonae mentis cura, fraudes atque fallacias, et mendacia multiplicemque malitiam, adhibuissent, locupletari certe non potuissent. Hoc norunt uiri docti, sed, idem facere, se indignum putant. Accipe, quod, apud M. Senecam, Demetrius, uir egregius, libertino cuidam potenti dicit, Facilem sibi esse ad diuitias uiam, quo die poenituisset bonae mentis. Quod si adeo difficile est, opibus crescere cum bona mente, actum prope fuerit de facultatibus eruditorum, quibus nihil antiquius est, bona mente. Hanc mentem, praeclare uixit Iustus Lipsius, si toties coluit, quoties eius studium ostendit, tantum quidem, ut, teste Auberto Miraeo, cum haberet censum non amplum, dicere solitus sit, Sibi habeant sua Regna Reges, sibi Diuitias Diuites. Bonam certe mentem instruunt eruditi cognitione officii, ex honesti fontibus hausta, qua bonae literae scientiam bene beateque uiuendi fundant, hac dignitatem sapientis conseruant, huius iucundissimo fructu cetera, quae desunt fortunis, compensant. Quin etiam sine bona mente arduo doctrinae liberalis operi ne sufficere

quidem

Digitized by Google

quidem possunt, cum animus, in ea defigendus, uacare debeat impotentia cogitationum, quae, prauitate cupiditatum concitatae, uim ingenii distrahant, dissolutamque, alio propellant. Haec enim iactatio est atque perturbatio malae mentis, quae, uario grauique motuum tumultu agitata, ubi consistat, ubi requiescat, ubi neruos suos contendat, non habet. Dicat pro me Fabius, uir bonae mentis, qui prior ea de re serioque cogitauit. Nihil est enim, inquit, tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam uariis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Quis inter haec literis, aut ulli bonae arti, locus. Non hercle magis, quam frugibus in terra, sentibus ac rubis occupata. Haec magister ingeniorum praeclarus, modicus facultatibus ille quidem, sed animo beatissimus, si qua Plinio, discipulo, fides. Et, quoniam eruditi, si uelint eximi de numero uulgi, locique sui amplitudinem obtinere, pari debent intelligentia prudentiaque censeri, neutram harum uirtutum, sine bona mente, Fabius idem largitur. Nam certe, inquit, neque intelligentiam concesseris iis, qui, proposita honestarum ac turpium uia, peiorem sequi malint, neque prudentiam iis, qui in grauissimas frequenter legum, semper uero malae consci-

conſcientiae, poenas a ſemetipſis improuiſo rerum exitu inducantur. Haec Fabius. Cum denique, multis egregie diſputatis, effeciſſet, non poſſe oratorem eſſe, niſi uirum bonum, Hoc certe, inquit, prorſus eximatur animo, rem pulcherrimam, eloquentiam, cum uitiis mentis poſſe miſceri. Quod ſi eloquentia, quae diſerta tantum interpres eſt ſapientiae, cum uitiis mentis commiſceri non poteſt, de ipſa iam ſapientia quid dicamus, quae ipſos continet uirtutis, omniſque honeſti, fontes. His autem tinctum, prolutumque, quem tandem uerius dixeris, quam eruditum. Ergo, qui aſpirant ad laudem eruditionis uerae, his nihil prius eſt bona mente, his Seneca, Lucilii ſui monitor, acclamat, poſthabitis uotis aliis, Deum roga bonam mentem, hoc eſt, bene eruditam, doctrina limatam. Talem autem bonam mentem qui colunt, his quidem pudori non eſt, bonae mentis ſororem dici paupertatem, dummodo uirtus utriuſque huius rei ſit mater eadem, quae gloriae ipſius uerae, ut Marcus Cicero, pater, Marcum filium docet. Quam enim tu mihi, quaeſo, paupertatem uituperaueris hoc loco, quam mihi ſpreueris, niſi te, imperitia tua, ad fecem uulgi uelis abiicere, ipſius quidem uocis ignarus, quam criminaris.

ris. Paupertas, arrige aures, longo interuallo diſiungitur ab egeſtate. Egenti deſunt neceſſaria, pauperi non deſunt, quem ſi deficit abundantia diuitis, uirtutis amore neglecta, hac ille, ſi bonae mentis eſt, facile caret, acquieſcens in ſorte ſua, quam Deus elargitur. Eſt igitur paupertas et copioſior, egeſtate, et honeſtior, tantoque nobilior, ipſo diuitiarum luxu, quanto praeſtantior, propter continentiam animi, atque integritatem. Hac paupertate glorioſa, uirtutis filia, clarior, quam diuitiis, neſcio quibus, alii, fuit eritque Phocion, qui perpetuo fuit pauper, cum ditiſſimus eſſe poſſet, propter ſummos magiſtratus, domi militiaeque geſtos. Sed honorem bonae mentis fructumque cunctis opibus praetulit, et Philippi, Alexandrique M. munera pecuniae magnae ſpreuit, agello ſuo contentus, quo liberos ſuos ali ſine luxuria uoluit, neque eo ſecius ab optimo quoque cultus illo cognomine, quo Bonus olim uocitatus eſt. Hac paupertate, quam abſtinentia attulit, Iuſti cognomen, cunctis poſteris admirabile, inuenit Ariſtides, qui, etſi princeps eſt ciuitatis ſuae, et principatus, a Lacedaemoniis ad Athenienſes tranſlati, auctor, in tanta tamen paupertate decedit, ut, qui efferatur, uix relinquat. Paupertate ſimili glo-

Digitized by Google

riatus Pelopidas, qui Thebas Lacedaemoniorum tyrannide liberat, ſolique Epaminondae ſecundus eſt, caritate patriae affligit patrimonium ſuum, obiurgatuſque ab amicis, quod pecuniam negligat, rem uitae humanae liberiſque utilem, hanc quidem, ut Aelianus tradit, claudo et mutilo, quam ſe, digniorem iudicat. Quid plura opus eſt, ubi res ipſa loquitur id, quod docet pluribus locis idem Aelianus, uiros Graeci nominis praeſtantiſſimos, Graecia praeſertim Perſicis ſpoliis florente, pauperrimos fuiſſe. Haec tibi agitanti tecum mira ſi uideantur, ut cachinnos iam libere tollas, Epaminondam uide. Hic uno utitur pallio, detrito ac ſordido, quod fulloni cum dat purgandum, ipſe, alterum quod non habeat, domi ſe tenet. Iam uero illud mihi conſidera, quod huic narrationi ab Aeliano ſubiungitur, cum Perſarum Rex Epaminondae magnum auri pondus miſerit, hoc autem ille noluerit accipere, iſtud quidem pecuniae munus maiore animo repudiatum uideri, quam delatum. Quid opum, quid ſplendoris, ſibi tribuerit aetas noſtra, quod magnitudine ueterem Romam aequiparare poſſit. Ipſi tamen Romanorum ſapientes, rebus ſuis adhuc florentibus, priſca laudant tempora, quibus tantus, ac tam diu,

Digitized by Google

diu, ut Patauinus ille loquitur, paupertati ac parſimoniae fuerit honos, reprehendunt atque inſectantur noua, quibus auaritiam diuitiae nuper inuexerint, et abundantes ſimul uoluptates, cum iiſque deſiderium, per luxum atque libidinem pereundi, et omnia perdendi. Hoc illud ſalubre ac frugiferum eſt, quod, in cognitione rerum Romanarum, contemplantur eruditi, unde ſibi, quod imitentur, capiunt, quotieſcunque Poplicolas, Aemilios, Fabricios, Curios, Scipiones, horumque ſimiles, inter documenta abſtinentiae ac frugalitatis, in illuſtri poſita monimento, cernunt. His enim, relatum laudatumque legimus, quanto rerum fuerit minus, tanto minus cupiditatis fuiſſe. Atque hos quidem ipſos, qui pauperes in diuite, quam diuites in paupere, uerſari imperio maluerint, Romani cordatiores, quorum ſententiam Valerius Maximus expreſſerit, ut Robora Virtutis colunt, horum memoriam querelis paruuli cenſus opponunt, horum admiratione ſpiritus, aſpectu pecuniae debilitatos, reficiunt, hos in exemplum Paupertatis Laudatae poſteris proponunt, horum denique tantam praedicant gloriam, ut, talium uirorum paupertati nullas Romae florentis luxuriantiſque diuitias, ducant, anteferendas. Ita uero commune ſtu-

Digitized by Google

dium bonae mentis eruditos uiris maximis triumphalibuſque iungit, et neutros patrimonii tenuis pudet, ex quo abſtinentia et frugalitas eluceat, odiumque uanitatis. Sentiunt omnino ſapientes, quod magnifice uereque Seneca dicit, Bonae Mentis culmen eſſe, ne gaudeas uanis. Hanc autem uanitatis intelligentiam animis inſerit diſciplina honeſta, cum opinionis, ſpecie et ſimulacris deceptae, errorem emendationemque, per ſedationem perturbationum, docet. Hac inanium intelligentia mentem, ſorte ſua contentam, parat, cum ſine fuco demonſtrauerit, quid re uera bonum ſit, quid honeſtum. Hac boni honeſtique demonſtratione mentis bonae, ſanae, compoſitae, talem efficit ſtatum, ut copiis fincerius gaudeas, et inopia minus affligare. Sapienter, ut ſolet, Plutarchus, Congere, inquit, aurum, collige argentum, aedifica ambulationes, imple mancipiis domum, debitoribus urbem, niſi perturbationes animi ſedaueris, et finem cupiendi habueris, teque ipſum metu et curis liberaueris, uinum febricitanti colas, mel bilioſo offers, cibos coeliacis paras, et difficultate inteſtinorum laborantibus, qui eos non perferunt, ſed ab iis perduntur. Videſne, ut aegri puriſſimos, ac maxime pretioſos,

Digitized by Google

ſos, cibos moleſte ferant, conſpuant, uique obtruſos, recuſent. Sed iidem, mutata corporis temperatione, cum bonos ſpiritus, dulcem ſanguinem, naturalem calorem, receperint, ſurgunt, uilemque panem, cum caſeo et naſturtio, edunt, iucunde, et auide. Hoc animum modo doctrina afficit. Te contentus eris ipſo, ſi didiceris, quid honeſtum bonumque ſit. Delicate uiues in paupertate, et rex eris, uitaque otioſa et priuata non minus, quam imperiis magiſtratibuſque, gaudebis. Ad philoſophiam te applicans, haud uiues iniucunde, ſed diſces, omni uitae ſtatu, omni rerum conditione, delectari. Exhilarabunt te diuitiae, multis benigne facientem, paupertas, multarum expertem curarum, gloria, honoribus affectum, obſcuritas, inuidiae non expoſitum. Haec Sapiens Chaeronenſis

Quanquam docti bonae mentis fructui nullas opes ullo modo comparauerint, eas tamen, ſine quaeſtu ſordido, nulliuſue iniuria, partas, haud arroganter repudiant, ſed, ut munus fortunae, loquar ſanctius, ut donum Dei, reuerenter habent, ut praemium uirtutis, adhibent pro inſtrumento uirtutis,

Digitized by Google

per diuerſa officiorum genera expromendae. Neque enim ad conſilium Cratetis Thebani accedunt, qui pecunias ſuas, ſi Philoſtrato credimus, mari demerſit, ut liberius philoſopharetur, ſed propterea ab ipſo Apollonio Tyanenſi temeritatis inſimulatur, quod ea re nemini commodaſſet. Nec uero affectatam animi magnitudinem probant in Democrito, diuitias, ut ait Seneca, proiiciente, uelut onus bonae mentis. Centum autem talenta fuiſſe, perhibent, hoc eſt, ſexaginta millia Philippicorum. Sed, ut liberalioris ſunt ingenii, ſic paullo etiam magis abhorrent a ſordibus auarorum, alieno imminentium, quas philoſophorum diſputationibus, poetarum ſatyris, aliiſque ſcriptorum cenſuris, notant, et odio poſterorum riſuique exponunt. Horrent iſtum, ut furioſum, qui, animam agens, mori prius noluit, quam aureos non paucos cupide deuoraſſet. Deplorant iſtius ſtultitiam, qui aureorum quod habebat, tunicae inſuit, eamque indutus, ſepeliri, uoluit, ſed, ne quid ſurriperetur ſibi, neque ungi, neque cremari, Graio ritu. Vtrumque nomen ſingularis inſaniae, quam infinita cupiditas auri conflat, ex Chryſippo dabit Athenaeus, ſi quis tantae amentiae certior fieri ſtudeat, quam credere uix poſſit.

Do-

Digitized by Google

Docti uero, ita moderate, ita uitae hominum amice, diuitiis sciunt uti, earum ut usum, non magnitudine, sed ratione, metiantur. Quapropter, eas, uirtutis imperio subiectas, honestarum artium, laudabiliumque operum, ministras esse, uolunt, eoque minus opibus uel gloriantur, uel efferuntur, animi leuitate ducti. Tali modo comprimunt procacitatem uulgi rudis, quod, indole paupertatis honestae minus cognita, humilitatem fortunae uiris eruditis tribuit, eamque despicit, ipsos autem in egestatis pistrinum, nescio quod, compingit, ubi, irato quasi fato, multos labores aerumnasque tolerent, et fame conficiantur. At honesta paupertas in ergastulum tam durum non cogitur, cum longe distet ab egestate. Non appetit abundantiam, omnibus copiis circumfluentem, ut affluentius ubique uiuatur, cum, diffluere luxuria, et delicate ac molliter uiuere, foedum putet. Sed propterea non eget rerum, uitae necessariarum. Multis caret uoluptatibus, quarum consectatrix esse nunquam solet, sed multis simul illecebris malorum grauissimorum caret. Si quod tempus, ut fit, intercedit durius, ex hoc, ut sapientibus moris est, consilium capit frugalitatis, temperantiae, constantiae, indu-

Digitized by Google

induſtriae, nauiter exercendae. Sic labore, et uirtute, medetur inopiae, magnumque in parſimonia uectigal conſtituit. Multis tamen modis accidere poteſt, ut paupertatis huius res familiaris amplificetur, facta pecuniae acceſſione. Tum uero opes hoc melius collocat, non ſuis modo commodis, ſed aliis etiam, beneficentia iuuandis, inſeruiens, quo meliorem colit habetque mentem. Quis autem doctos homines adeo omni fortunae beneficio nudet, quin, eis, credat, tanto facilius opes adiici poſſe, quanto eis maiora iam bona, multoque praeſtantiora, uirtus atque doctrina tribuerint. Quis diuites, ſibi aliiſque notos, tam negligenter dinumerat, quin etiam doctos in eis cognoſcat. Quis eis denique hanc legem ſanxit, ne quas opes ampliores, quae partae ſint honeſte, nullo neque turpi quaeſtu, neque odioſo, ad ſe domum admittant. His enim cur interdicatur diuitiis, qui optime eis poſſint uti. Multis in pauca collatis, Seneca, Deſine, inquit, philoſophis pecunia interdicere. Nemo ſapientiam paupertate damnauit. Habebit philoſophus amplas opes, ſed nulli detractas, nec aſſeno ſanguine cruentas, ſine cuiuſquam iniuria partas, ſine ſordidis quaeſtibus, quarum tam hone-

Digitized by Google

honeſtus ſit exitus, quam introitus, quibus nemo ingemiſcat, niſi malignus. In quantum uis, exaggera illas, honeſtae ſunt, in quibus cum multa ſint, quae quiſque ſua dicere uelit, nihil eſt, quod quiſquam ſuum poſſit dicere. Ille uero fortunae benignitatem a ſe non ſummouebit, et patrimonio, per honeſta quaeſito, nec gloriabitur, nec erubeſcet. Habebit tamen etiam, quo glorietur, ſi, aperta domo, et admiſſa in res ſuas ciuitate, poterit dicere, Quod quiſque ſuum agnouerit, tollat. O magnum uirum, optime diuitem, ſi opus ad hanc uocem conſonet, ſi poſt hanc uocem tantum habuerit. Ita dico, ſi, tutus et ſecurus, ſcrutationem populo praebuerit, ſi nihil quiſquam apud illum inuenerit, quo manus iniiciat, audacter et propalam erit diues. Sicut ſapiens nullum denarium intra limen ſuum admittet, male intrantem, ita et magnas opes, munus fortunae, fructumque uirtutis, non repudiabit, nec excludet. Quid enim eſt, quare illis bonum locum inuideat. Veniant, hoſpitentur. Hactenus Seneca, magnum in doctis, magnum in diuitibus, nomen, ſed inuidioſum multis, et ingrato animo diſcipuli, Neronis, infelix

Quare, et docti ſuum diuitiis locum, in bonis fortunae, dant, neque locupletes, in quibus in-

genii doctrinaeque facultas ſit, honore ſtudiorum ſuorum excludunt, ſed horum prudentiam eorum potius temeritati opponunt, qui literas, diuitiarum admiratione, contemnunt. Quis eloquentiam, illud ingenii lumen, quis iuriſprudentiam, illam rationem excultam, dignitate praeſtantis doctrinae exuat, ac potius utramque in magnis diſciplinae grauiſſimae ac florentiſſimae decoribus non ponat. Atqui P. Craſſus, is, qui M. Ciceroni Diues, cum cognomine, tum copiis, dicitur, habuit, ut A. Gellius ex hiſtoriae Romanae ſcriptoribus refert, quinque rerum bonarum maxima et praecipua, quod eſſet ditiſſimus, quod nobiliſſimus, quod eloquentiſſimus, quod iuriſconſultiſſimus, quod pontifex maximus. Ergo in uno homine diuites reperiant opes magnas, ambitioſi nobilitatem inſignem, ſed eruditi ſimul, eloquentiam peritiamque iuris ſingularem. Omiſſis Craſſis aliis, quorum et diuitiae, et literae, ſunt notae, unum adiicio L. Lucullum, qui Diues appellatur ab Sex. Aurelio Victore. Eius diuitiae uenerunt in ipſam prouerbii conſuetudinem, non minus fere, quam Craſſi. Vt maximis opibus fortuniſque floruit, ſic eas ad magnificentiam uitae, operumque paene incredibilium, contulit, ob iniectas moles mari,

et

et receptum, ſuffoſſis montibus, in terras mare, Xerxes togatus a Pompeio dictitatus, ut Velleius Paterculus narrat. Hic autem non minoris inter doctos, qui quidem familiarius eum noſſent, quam inter ciues, auctoritatis fuit, ſummo praeditus ingenio, ampliſſimaque doctrina. Ingenuae etiam doctrinae fuit adiutor liberaliſſimus, apparata non ſibi magis, quam aliis, in Tuſculano bibliotheca, in qua Cicero, Cato, Varro, et doctiſſimus quiſque profecit iucundiſſime, confluentibus eodem Graecis ipſis, ut praeclaris artibus amoeniſſimam quandam Academiam praebere uideretur. Perilluſtri eiuſdem exemplo, quantum commendationis uitae, quae rerum cognitione doctrinaque delectatur, accedit, quantum luminis eis, quae paullo ante dicta ſunt a nobis. Quanquam magnas res agere ſolebat, non mediocri tamen ſtudio, tum omni literarum generi, ut Cicero ſcribit, tum philoſophiae, deditus fuit, neque in pace ſolum, ſed etiam in ipſo bello, ſub ipſis pellibus, exercitui cum praeeſſet. Aetate iam prouectiore, ut accepimus a Plutarcho, multis in republica contentionibus grauibuſque iactatus, in philoſophiae ſtudio oblectationem animi, requiem curarum, cupide quaeſiuit. Profectus ad Mi-

thridaticum bellum, in eo non modo expectationem omnium, uerum etiam ſuperiorum gloriam, ſuperauit. Atque hoc quidem eo magis fuit admirandum, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui uitae anteactae tempus aliis plane rebus impertiiſſet. Sed, cum totum iter, et nauigationem, partim in percontando a peritis, partim in rebus geſtis legendis, conſumpſiſſet, in Aſiam factus imperator uenit, qui quidem Roma ſoluiſſet eo, rei militaris rudis, ut confirmat idem Tullius. Itaque tantum ſe imperatorem, in omni genere belli, proeliis, oppugnationibus, naualibus pugnis, totiuſque belli inſtrumentis, et apparatu, praebuit, uti Mithridates, rex poſt Alexandrum maximus, hunc ab ſe maiorem ducem cognitum, quam quenquam eorum, quos legiſſet, praedicaret. Adiungit autem Cicero, Lucullum lectione librorum, de quibus audierit, mirifice delectatum fuiſſe, eumque non modo quaeſtorem in Aſia, ſed etiam imperatorem, Antiochum, Philonis auditorem, qui e philoſophis ingenio ſcientiaque excelluerit, ſecum habuiſſe, parique modo P. Africani, in legatione illa nobili, quam ante cenſuram obierit, Panaetium unum omnino comitem fuiſſe. Ex quo cognoſci poteſt,

poteſt, quam ne ipſis quidem diuitum ſplendidiſſimis ſorduerint literae, quanto eaedem ſint adiumento rei bellicae, ſi ducum ſummorum iudicia atque exempla reſpicias, quantae his ipſis curae fuerit ſtudium doctrinae, praeſertim Graecae, ut in eo et peregrinationum expeditionumque multa poſuerint magnaque commoda, et in eodem delectamenta otii domeſtici, ingentia, honeſtiſſima, longeque ſuauiſſima, conſtituerint

Nec uero defuiſſet artibus ingenuis ſcientia pecuniae faciendae, ſi tanti fuiſſet ſapientibus, ei rei operam dare. Ad Thalem Cicero, et alii, referunt, quod Plinius ad Democritum, idemque uberius exponit. Fertur enim Democritus, cognita coeli cum terris ſocietate, aſpernantibus hanc curam eius ciuium opulentiſſimis, inſtantem olei caritatem ex Vergiliarum ortu proſpexiſſe. Itaque hic, cum magnam uilitatem feciſſet ſpes oliuae, quae penum multitudinis ubertate ſumma referſerat, in toto tractu oleum coemit, his mirantibus, qui, paupertatem, quietemque doctrinarum, ei, ſcirent, in primis eſſe cordi. Sed idem, ut cauſſa, ingenſque diuitiarum curſus, apparuit, reſtituiſſe mercem dici-

Digitized by Google

tur anxiae, et auidae, dominorum poenitentiae, poſteaquam fidem rei, quo animum inſtituerat, ſic fecerit, contentus, ut loquitur hiſtoriae naturalis ſcriptor, ita probaſſe, opes ſibi in facili, cum uellet, fore. Hoc, ſi plura deſideras experimenta, deinceps, e Romanis ſapientiae aſſectatoribus, Sextius, Athenis, eadem ratione, fecit. Tanta literarum occaſio eſt, ait Plinius, ut ſi uelit ſignificare, quantae opes doctrinae ſubſidio poſſint colligi, hoc agere, doctis ſtudii, longe nobilioris, cura, multo honeſtior, ſi permittat. Itaque non quaero, qua rei familiaris amplificatione eruditorum quiſque uelit uti, ſed unam modo rationem fortunae, quondam augendae, attingo, de qua Lucianus commemorat. Hac enim multi ex inopia emerſerunt, in Caeſarum, Regum, Principum, amicitiam, ingenii admiratione, recepti, adiuncta munerum dignitate. Quorum quidem aeque, ac ſuam, agit cauſſam Lucianus, cum, aetate iam prouectus, in aulam, ac familiam, Caeſaris ſe contuliſſet, procurator, ut uidetur, Principis in Aegypto factus. Hoc uitae genus, oſtendit, ab eis multum differre, qui, mercede conducti, in diuitum familiis uiuant, et uitae Aulicae incommoda exponit

Atque

Atque etiam fortunas hominum doctorum ampliores ſaepe ac florentiores Regum, Principum, aliorumque, munificentia, beneuolentia, honos diſciplinae fecit. Hos enim non ſua modo benignitas, ſed etiam aequitas, admonere uiſa eſt, ut, quorum ingeniis reſpublica ornaretur, his plura maioraque beneficia tribuerentur, ad utilitates communes, eorum doctrina induſtriaque comparandas. Narrat Aelianus, quantis Ariſtotelem muneribus, ad inſtruendam omnis generis ſcientiam, cumulauerint, tum Philippus, tum Alexander, filius, uterque homines, doctrina notiores, liberaliſſime complexus. Mouebunt, opinor, aliquid admirationis, ſi legantur apud Athenaeum, octingenta illa talenta, id eſt, ſexcenta, amplius, Ioachimicorum millia, quae Ariſtoteli a Philippo, ac potius ab Alexandro, dantur, ad hiſtoriam animalium condendam. Ac beneficentia quidem Alexandri duobus eluxit inſignibus, intelligentia artium, haſque remunerandi facultate. Quo largius quoque Macedo uiros, ingeniis claros, proſequitur, eoſque arceſſit undique. Ex his, quinquaginta talentis donatur Xenocrates, CCIↃↃ aureis Pyrrho Eleus, ut alios multorum generum praetermittam. Quis enim animum Alexandri uere philoſophi-

ſophicum, ut loquitur Plutarchus, amantem doctorum, contemptorem diuitiarum, nouit, quis uitam eius, conſuetudinem, militiam, uirorum ſapientum comitatu ſtipatam, meminit, quin, ne monitus quidem, intelligat, neque inanes ab Rege, munificentiae effuſiſſimo, diſceſſiſſe, qui, multis ex locis acciti, ad eum confluxerant, neque eoſdem, ſpe fiduciaque munerum lautiſſimorum, frequentes non acceſſiſſe. His, quid erat, quod ſperandum non uideretur ab Aſiae uictore florentiſſimo, cui tot opulentiſſimarum gentium theſauri reſerarentur, ſed iucundius eſſet, famam gloria, quam arcam pecunia, cumulare. Non ſolus igitur Choerilus, poeta non bonus, de quo meminit Horatius, Philippos accepit, ſed plures alii, ac meliores, pluribus, maioribuſque, muneribus donati ſunt. Quid aliud ſentias de Auguſto, quem ingenia ſaeculi ſui omnibus modis fouiſſe, Tranquillus memoriae prodidit. De multis prodeant Maro ac Varius, poetae, quorum ille ſingulis decies ſeſtertium narratur elargitus. Non parua certe munera fuiſſe, credideris, quae fuerint illis duumuiris ab Auguſto data, multa dantis cum laude, ut Horatius ad ipſum ſcribit. Idem igitur Poeta iocoſe uidetur dicere ſtudium lucri, quod Maro, condendis

Digitized by Google

dendis domi carminibus, capiat, large ſatis effuſeque donatus, cum a proceribus aliis, tum maxime ab Auguſto. Hic enim ei Regis magnanimi dona promittit, ut in eius uita Donatus memorat, et, Virgilium, quaecunque ab Auguſto petierit, horum nunquam tuliſſe repulſam, idem annotat. bona etiam cuiuſdam exulantis, ab Auguſto oblata, recuſaſſe. poſſediſſe autem, ex amicorum liberalitatibus, quorum principem cur Auguſtum, ei amiciſſimum, non ponas, poſſediſſe, inquam, praeter alia, prope centies ſeſtertium, ſiue, ad ducenta, et quinquaginta, millia Numum, ut nuper elegantiſſimus uir, Andreas Dacerius, calculum aeris noui ſubduxit. Itaque Auguſtum ipſum ex quarta parte facit heredem, ex duodecima Maecenatem. Quanto iam auro totus fulget Oppianus, ſi uerum eſt, quod Suidas ex aliis decerpſit, eum uiginti millibus aureorum ab Antonino Caracalla donatum fuiſſe. Ab hoc certe Caeſare potius, ut eruditioribus placet, quam a Seuero, pro ſingulis uerſibus poematis ſui ſingulos ſtateres aureos accepit. Itaque uerſus hi aurei ſunt dicti. Quonam autem nomine alio Maronis uerſus, de Marcello, appellaueris, quorum pro ſingulis Octauia, mater, ut Donatus in uita Maronis ſcribit, nu-

Digitized by Google

merari iuſſit dena ſeſtertia, id eſt, CCL Coronatos. Largiter etiam Archelaus, rex Macedonum, Choerilo aureum ſtaterem, pro quoque uerſu carminis, de Xerxe, a Graecis fugato, ſoluit, ut Heſychius Mileſius, et Suidas, notant. Non habuit certe, quod ab egeſtate ſibi timeret, Anacreon Teius, cum, uel Polycrati, Samiorum tyranno, fortuna opibuſque claro, iucundiſſimus eſt, uel naui quinquaginta remorum miſſa, ut Aelianus refert, ad Hipparchum, Piſiſtrati filium, doctrinae amantiſſimum, Athenas deducitur. Num, inanem, putemus, rediſſe domum, aut Simonidem Ceum, auidiorem ad rem, qui uixit cum eodem Hipparcho, et Hierone Syracuſano, cuius liberalitas ab Aeliano laudatur, aut Pindarum, et Bacchylidem, qui ab eodem Hierone liberaliter habiti ſunt. Satis, ut arbitror, pretii tulit Phrynichus tragicus, ſatis, ad opes augendas, facultatis adeptus eſt, cum, nulla generis dignitate, nulla honorum amplitudine, praeditus, ſolo poemate quodam, bellicis modulis apto, quo theatrum permouit, ab Athenienſibus hoc conſecutus eſt, ut belli dux ſumeretur. Quae denique uel maior, uel minore labore quaeſita, fieri poſſit opum acceſſio, quam, ſi uerſuum aliquot

barba-

Digitized by Google

barbarorum merces integrum ſit regnum. Atqui Saxo Grammaticus, in ſexto hiſtoriae Danicae, teſtatur, exiguum poema, quo tumulum Frothonis, regis, Hiarnus ornauerit, ipſum auctori regnum apud Danos peperiſſe. Adeo, inquit, exili impendio ingens praemium ſtetit. An illum eloquentiae patrem, Iſocratem, ludi poenituit, e quo tot Graeciae principes, uelut ex equo Troiano, prodierunt. Hic, modico genere, patrimonio in bello ſpoliatus, et mercede diſciplinae, et aliis induſtriae ſuae praemiis, adeo locupletatus eſt, ut triremes haberet, ſumptu haud exiguo inſtructas. Num eundem artis ſuae piguit, qui, cum ab aliis alia, tum a Nicocle, Cypri rege, ut Plutarchus Pliniuſque tradunt, pro una oratione, illi ſcripta, uiginti talenta, accepit. Parum, credo, erat, uendi ſilentium uiginti talentis, quae Demoſtheni pro illo Philippus, Macedoniae rex, numerabat. Haec Demoſthenis, et illa Iſocratis, uiginti talenta XXXVI millia Carolinorum conficiunt. Vtrumque munus uideri poſſet incredibile, ſi parſimonia temporum noſtrorum penderetur. Sed utrumque horum, ut notum doctis peruulgatumque, leuiter attingit Iac. Perizonius, explanator Aeliani perelegans, ac ſuperioris ſummae rationem ipſe ſubducit.

Haec uetera, quibus addere quicquam teſtimonii, neceſſe non eſt. Diuitiis Rhetoris adiice, ſi placet, opes Philoſophi ex eadem aetate, Platonis. Hunc fames, et domeſtica calamitas, in militiam propuliſſe, traditur. Sed idem, philoſophiae deinceps ab Socrate conciliatus, tantas ad fortunas peruenit, ab uno tantum Dionyſio acceptas, ut, Diogene Laertio teſte, poſſideret plus, octoginta talentis, hoc eſt, CXLIIII millia Carolinorum. Cum autem tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercari uellet, eo donatus pretio fertur ab amico, Dione Syracuſio. Quid illum donorum, arbitreris, tuliſſe a Philippo, Macedonum rege, aliiſque pluribus, a quibus, ingenii admiratione, arceſſi narratur

Ad noua ſi ueniendum ſit, quot iam, et quantae, inſtauratis uixdum in Italia literis, Imperatorum, Pontificum, Regum, Principum, in uiros, ingeniis claros, effuſae ſunt opes. Certatum eſt ſtudiis doctrinae, quae diu iacuerat, excitandae. Certatum ergo ſimul praemiis, eorum tribuendis induſtriae, quorum laboribus labes, honeſtae diſciplinae tot ſaeculis aſperſa, elueretur. Quo fiebat, ut nullus eſſet Europae populus, qui quidem fama uirtutum floreret,

quin,

Digitized by Google

quin, uiros, doctrina egregios, multis, inſtitueret, rebus, ac magnis, ornare. Nec uero his honores conferebantur ſteriles, ſed copioſi congiariis, ſtipendiis, magiſtratibus ſacris ciuilibuſque, fundis etiam ac praediis, e quibus non poterat multum pecuniae non redire. Sed haec alio loco explicamus, unde aſſumere res, praeſertim notas, neque dubias, tempus non eſt. Ceterum, plura ſi requiras, num dubites, quin uiri magni nominis ſua ſibi ſcripta lucri facere poſſint ſaepe numero, ſi uelint. Sicut multi quoque fecerunt, et faciunt adhuc, ut eorum monimenta edi liceat, uel in ſcriniis tantum condi, rogati, oblatis etiam maioribus pretiis. Ipſi quidem Plinio, ut antiquos tantum attingam, auunculus retulit, potuiſſe ſe, cum procuraret in Hiſpania, uendere illos, quos fecerat ſibi, commentarios Electorum Largio Licinio quadringentis millibus Numum

Sed fuerint opulentes ex eruditis non nulli, quid tamen hi ad iſtos, qui, negotiationibus complurium generum, aliiſque artibus exaggerandi fortunas, breui creſcunt in immenſum. Hocne miremur in iſtis, quorum induſtria, ſolertia, uita, cogitatioque omnis, in quaeſtu con-

Digitized by Google

ſumitur. Scientiam enim doctrinae pauperibus relinquunt, ipſi nulla re, niſi quaeſticulis et lucellis ſatiandi, ſi tamen huius quoque rei cupiditas infinita poteſt expleri. Tanti enim fieri quemque, aiunt, quantum habeat, ſpretis iis atque faſtiditis, quibus omnium rerum affluentes copiae non ſuppetant. Ita quidem a multis fieri, et uſus uitae docuit omni memoria, nec aliter Plutarchus, ac, poſt Lucilium, Horatius, de ſua uterque teſtatur aetate. At cuius tandem ſint hae uoces, iſtud monet, quod, ex tragicis, luculentis illis copioſae, ſed infelicis, uitae quaſi pictoribus, de corruptis hominum moribus, Seneca refert. Sine, me, inquit admirator auri, uocari peſſimum, ut diues uocer. An diues, ſi interroges, Omnes, reſpondet, quaerimus, nemo, an bonus. Quid ita. Saeculi conſuetudine ſe tuetur. Non, quare, ait, et unde, ſed, quid habeas, tantum rogant. Vt ludibrio ſit aliis, pati non poteſt. Vbique, exclamat, tanti quiſque, quantum habuit, fuit. Ergone ſatis eſt commendationis, ſi plurimum habeas. Nonne pudet, turpiter habere. Quid habere nobis turpe ſit, quaeris. Nihil. Ea uero animi inductione, quid foedius tetriuſque, aut dicas, aut cogites. Sed ita pronuntiant, qui lucro innocenti-

centiam, ſalutem, opinionem bonam, mutant. Videtis, Auditores, fallacia uulgi iudicia, quod numis capitur ac tenetur. Qua quidem ex re quantum dedecoris hominum uita ſuſcipiat, idem Seneca docet. Ex quo pecunia in honore eſſe coepit, uerus rerum honor cecidit, mercatoreſque, et uenales inuicem, facti, quaerimus, non, quale ſit quidque, ſed, quanti. Haec ille. At uero ſapientibus, quibus haec diſplicent, longe aliud placet. Haud magna cum re, ſed fidei plenus, eoque maior, Ciceroni eſt Ennius, quem, propter ſuam uirtutem ſapientiamque, familiariſſimum habent Romanorum principes, eumque Romam ex Sardinia adduci a Catone, non minoris exiſtimatur a Corn. Nepote, bono prudentique uiro, quam quilibet ampliſſimus Sardinienſis triumphus. Sapientibus enim tanti quiſque iudicatur, quantum habet, non opum, ſed uirtutis. Magnos enim homines illi uirtute, non fortuna, ponderare ſolent. Itaque minus ſplendidi ſint putandi, quid enim refert, haud ideo tamen minores, quorum uirtuti par fortuna non detur. Optimis enim mortalium nullus eſt honos, uerus ſoliduſque, niſi ex honeſto, nullum autem honeſtum, niſi ex uirtute. Honos ergo, non ex auro argento-

que,

Digitized by Google

que, neque ex errore imperitae multitudinis, ſed ex uirtute, exiſtit. Quapropter optimarum artium ſtudia probe et inſigniter a Cicerone doctrina rerum honeſtarum dicuntur, ut ipſa doctrina intelligatur, et oriri ex honeſto, et eodem referri. Hac mente, quantum animi bona fortunis omnibus antecellant, ſupra diſputatum eſt. Quod ſi diuitibus, quam doctis, ampliores honores obtingunt, haec quidem indignitas facti ius legemque faciendi, apud bonos, haud conuellit. Ipſis etiam doctis, qui, ut ab aſſentatione, ſic ab oſtentatione, ſolent abhorrere, ſatis honoris ex ipſis meritis naſci uidetur, ſi collegas habeant, ſe ditiores quidem, lautiores, altiore gradu, haud ſapientiores tamen, ſed iſtos, quorum imperitiae ſua poſſint intelligentia ſubuenire. Sic honor doctis in ipſa reponitur ſcientia, cuius opem locupletiores expetant, nec tanta malignitate premi poteſt hic honos, quin aliquando uirtute ſua eluceat, ac prudentioribus ſe prodat. Nec uero Principes ipſi, quorum iudiciis nihil, neque illuſtrius, neque ſapientius, duci oportet, cum eoſdem claros et pecunioſos ad dignitates prouehunt, ullam pecuniae cauſſam interſerunt, ſed aliam longe, meritorum uidelicet, quae tributis honoribus reſpondere, atque

Digitized by Google

atque eos prouocaſſe, uideantur. Adeo diuitiae ſolae, cum uirtute ſi comparentur, nihil in ſe recondunt honoris eximii, ſed honoris quod ſuſcipiunt, conſequuntur recto ſui uſu. At eruditio uera, quae aequali cultu animum ingeniumque perpolit, in ſtudio uirtutis inſiſtit, tantoque melior, quanto honeſtior, merito cenſetur. Habet igitur eruditio, qualem nobis initio finiuimus, id, quod expetatur propter ſe, cumque ipſam ſapientiam, ac prudentiam, unde omnis utriuſque generis philoſophia profluit, ambitu ſuo contineat, tum uero in ſe includit illum, quem Cicero aperit Marco ſuo, primum ipſius honeſti fontem, in quo nauiter conſiderando, atque accommodando, uerſetur. Hanc eruditionis uim, in honeſto poſitam, ſentias in animis hominum praeſtantium, qui diſciplinis ingenuis ad omnis honeſtatis, honoriſque ueri, ſtudium incenduntur. Vt bene de patria meretur Cicero, fracto praeſertim Catilina, Pater ideo patriae dictus, idque primus. Quantum nomen adeptus eſt, conſiliis, rebus geſtis, reip. non modo procuratione, ſed etiam conſeruatione, nobilitatum. Sed ipſe, orans pro Archia, profitetur, niſi, multorum praeceptis, multiſque literis, ſibi ab adoleſcentia ſuaſiſſet, nihil eſſe in uita magnopere ex-

Digitized by Google

petendum, praeter laudem atque honeſtatem, in ea autem perſequenda, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parui eſſe ducenda, nunquam fieri potuiſſe, ut ſe, pro ſalute ciuium ſuorum, in tot ac tantas dimicationes obiiceret, tot profligatorum hominum quotidianos impetus ſuſtineret. Quid Roma quondam maius atque illuſtrius uidit, Africano, C. Laelio, L. Furio, M. Catone, illo ſene, qui tamen, ut pronuntiat Cicero, nunquam ſe ad literarum ſtudium contuliſſent, ſi nihil fuiſſent, ad percipiendam colendamque uirtutem, literis adiuti. Haec uirtus, quam literae docent, ac diſcentibus inſtillant, abeſt ab eis, qui ſolis diuitiis confidunt, ut magni fiant a uulgo, ſibique ad arcam plaudant. Abeſt ergo ſimul ab eiſdem magnitudo, quae a uirtute ſeiungi non poteſt, ueruſque honor, quem facta uirtuti conſentanea conciliant, uerum denique praeſidium uitae, quod recte factorum conſcientia bonis, aduerſus caſus incertos infeſtoſque, praebet. Hoc ſalutis humanae munimentum negligens, Craſſus, non ille Publius, Pontifex Maximus, de quo diximus, ſed iſte, qui ſolis theſauris ſuis nititur, in tantas fortunae difficultates incidit, ut creditoribus, ſicut Plinius loquitur, decoquat, et, bonis uenditis, nudus

Digitized by Google

dus ab opibus, quarum cauſſa nuper a multis colebatur, nunc a plebe exagitetur, cum egens ambulat, Diues ab occurrentibus ſalutatus, ut Val. Maximus hunc fortunae luſum exponit. At, qui eruditionem cum uirtute iungunt, nihil huius infamiae timent, quod in animi facultatibus cuncta, in fortunae bonis nihil, ponunt, et, ingenio ac uirtute, quam opibus, inſtructi eſſe malunt. Quo fit, ut meliores potius eſſe uelint, quam ditiores. Atque haec quidem uis ratioque honeſtatis tantum apud Romanos ualuit, ut, non ſplendidiſſimum quodque ac lautiſſimum putarent nobiliſſimum, ſed, quod optimum eſſet, idem nobiliſſimum iudicarent. Hoc antiquo ſenatus, populique Romani, de uirtute iudicio ad honores ampliſſimos eniſi ſunt T. Coruncanius, M. Cato, Mummius Achaicus, C. Marius, M. Cicero, alii, quos Velleius Paterculus oſtendit. Illis autem exemplis, ut idem colligit, hoc docent Romani, quod ſentiunt, in cuiuſcunque animo uirtus inſit, ei plurimum eſſe tribuendum. Huic ſententiae accedunt cuncta bonorum Principum ſapientumque iudicia, quibus, ut dixeramus, ad gerenda reipublicae munera, non ditiſſimi, ſed digniſſimi, deliguntur. Ipſi denique Principes, qui gloriae

Digitized by Google

inſeruiunt, ipſi duces uirique clariſſimi, qui nominis immortalitati ſtudent, non diuitiarum, ſed uirtutum rerumque geſtarum, nominibus inſigniri uolunt. Igitur docti, qui rerum cognitionem cum uirtute ſociant, longe praeclarius quiddam in eruditione, quam in opibus, conſtituunt, adeo quidem, ut abſtinentiam ipſi abundantiae praeponant. Et, quanquam omnes pecuniae quaerendae uias norunt, eiuſque, multis modis conficiendae, facultatem habent, ingenii tamen, quam patrimonii, copiis locupletari, malunt

Quod ſi illi, quorum uirtus hominum, magna praeſertim fortuna et amplitudine praeditorum, iudiciis honorificis ornatur, non maiores quidem fiunt ea re, ſed illuſtriores tamen, atque etiam honoratiores, ſolent haberi, in eruditis certe deſiderantur minime, qui pari felicitate ſint uſi. Platoni, Tarento Syracuſas accito, Dion tradit ſe totum, ille, intimus Dionyſio priori, qui non minus Siculis, atque Graecis, quam Carthaginienſibus, admirationi eſt. Eiuſdem philoſophi, multis literis exciti, aduentu in Siciliam adeo laetatur Dionyſius, iunior, ut ei uectatam nauim mittat obuiam, eumque, curru regali exceptum, ipſe uehat auri-

ge-

ga, ac Siculis oſtendat, Homerico plauſu colendum, ut Aelianus, ac Plinius, auctores ſunt. Conſiliis eiuſdem utitur, ac tantum auctoritate eius eloquentiaque commouetur, ut finem tyrannidis ipſius feciſſet, niſi, conſilio Philiſti deterritus, ſententiam deinde mutaſſet. Quid honoris, credas, Platoni a Cyrenaeis expectandum non fuiſſe, a quibus rogatus eſt, ut iis leges ſcriberet, remque publicam ordinaret. At ille abnuit, timens ſibi a rebus huius populi ſecundis, quas, difficile ſit, legibus aſtringi. Idem pari conſilio atque honore Arcadibus, ac Thebanis, expetitur, ſed neutris aſſentitur. Quantam, putes, auctoritatem obtinuiſſe Parmenidem, cuius in leges, patriae ſancitas, quotannis, ut Plutarchus dicit, iurari ſolebat, Theophraſtum, qui patriam tyrannide bis liberat, Ariſtonymum, qui Arcadum rempublicam conſtituit, Phormionem, qui Eleorum, Menedemum, qui Pyrrhaeorum, Eudoxum, qui Cnidiorum, Ariſtotelem, qui Stagiritarum, alios, qui aliorum. Num parui duxeris, ab Alexandro Magno ipſi Philippo, patri, magiſtrum anteponi. Philippo enim deberi uitam ſuam, ait Alexander, Ariſtoteli rationem, uita bene utendi. Quanti tandem exiſtimes, a Xenocrate praecepta regnandi

Digitized by Google

gnandi eundem regem petere, qui, mundum, negauerit, duobus regi ſolibus poſſe. Hic autem, Platonis diſcipulus, idem eſt ille, qui, a Graecis Aſiaticis miſſus ad Alexandrum, hunc unus omnium maxime ad bellum, Barbaris inferendum, auctoritate ſua incendit, ut Plutarchus tradit. Habes igitur hominem de ſchola, ſed regiae prudentiae magiſtrum, Aſiae Graiae legatum, expeditionis maximae auctorem, qua Perſarum deletae ſunt opes. Tacitus praetereo Euripidem, cui Archelaus primus, rex Macedonum, ſummam conſiliorum ſuorum credidit, ut A. Gellius ſcribit. Quid ergo his, de quibus meminimus, arbitrere, honoris impertitum non fuiſſe, ſi quidem eo uoluiſſent uti. Multi certe fortunae ſuae mediocritatem, libertate commendatam, honoribus, neſcio quibus, praetulerunt, ut Menander, in comico ſocco, ab Aegypti, ac Macedoniae, regibus, claſſe, et per legatos, expetitus. Quae quidem res quanquam illi magnum dignitatis teſtimonium dedit, maius tamen, ut Plinius exiſtimat, hoc iudicatum eſt ex ipſo, cum uirtutem ſuam non uendidit, literarum conſcientia regiae fortunae praelata. Ipſum Diogenis nomen aetati noſtrae ridiculum, ſordidum, horridum, fuerit, ſi

Cyni-

Digitized by Google

Cynicus hic, in dolio, quod in marmore Sponiano Maffaeaque gemma uides, uolutatus, uictus cultuſque inops, cogitetur. At uero Alexander M cum Diogene collocutus apud Corinthum, Niſi Alexander eſſem, inquit, Diogenes eſſe uellem. Quid ergo hominis, dixerit quiſpiam, ex tanto rege. Quaſi uero Alexander illudat monſtro cuidam hominis, uel exagitet canem, qualem ſe Diogenes ipſe tulit. Sed quanto aliter haec interpretatur Plutarchus. Alexandrum enim, ait, primo Diogenis aſpectu obſtupuiſſe, et, uita uiri ac grauitate attonitum, diſceſſiſſe. Deinceps, mentione Diogenis crebrius facta, idem illud, quod prius de philoſopho praedicauerat, ingeminare in caſtris conſueſſe. uelle enim Alexandrum ſapientiam diſputationibus experiri, niſi philoſopharetur armis. Neque enim hoc dicit, niſi rex eſſem, Diogenes eſſe uellem, neque, ſi non diues, etiam Argeades. Non enim fortunam ſapientiae anteponit, neque purpuram, ac diadema, pallio ac perae. Sed hoc dicit, niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe uellem. Quid autem hoc aliud rei, quam, niſi patriae, niſi domeſticae gloriae, rebus geſtis ad barbaros ultimos proferendae, ſtudio exiſſem, in otio ſane non deſiderem, potentiamque meam conferrem

ad

Digitized by Google

ad luxuriam, ſed frugalitatem Diogenis aemularer. Haec Plutarchus. Quibus mente agitatis, perſpicimus, quantum rex, omnis memoriae clariſſimus, ſuſpexerit Diogenem, quantamque hic fortunae, quantam dignitatis, ſpem potuerit ingredi, ſi quidem Alexandri gratia extolli uoluiſſet. Veniamus ad Romanos. Ipſa Auguſti, Caeſaris, aetate pater Naſonis poetices ſtudium inutile uocitabat, ut filium ab eo reuocaret. Homerum enim ipſum, negabat, opum quid reliquiſſe, hunc etiam, aiebat Sotades, ipſa fame confectum. Integri igitur libri ab Ioſepho Barberio, et aliis, de miſeria poetarum ſcripti ſunt. Quid autem minus miſerum, quid contra fortunatius, honoratius, altius, ſecreto Virgilii receſſu, in quo ille neque Auguſti, per epiſtolas colloquentis, gratia caret, neque cultu populi Romani. Hic enim, uerſibus Maronis in theatro auditis, ſurgit uniuerſus, hic, forte praeſentem ſpectantemque, Poetam ueneratur ſic, quaſi Auguſtum. Pluris hoc cenſet, neque immerito, Maternus ille, quam conſulatus, quo uiri ciuiles erant certaminibus ſuis periculiſque prouecti. Vide iam mihi, qui miraris hoc, et intuere acrius eundem Caeſarem, inter Horatium ac Virgilium ſedentem,

eaque

Digitized by Google

eaque re laetum, et festiue dicentem, hic Caesarem, neque lippis Poetae Venusini oculis, neque tristitia Mantuani, offensum, inter lachrymas, ac suspiria, sedere. Quantum hoc loco nominatim dicendum esset de aliis omnium generum eruditis, quos Augustus singulari honore publice priuatimque complexus est, nisi constaret inter omnes id, quod Tranquillus refert, eum fuisse talem imperatorem, qui saeculi sui ingenia fouerit omnibus modis. Sed, Augustus cum plures amicos haberet, Agrippam maxime atque Maecenatem, tum eo uerius in amicis eius interioribus numerandi uidentur duo sapientes, Arius atque Athenodorus, quo familiarius eis usus est, ad praecipuam maximamque curam suimet ipsius regundi atque uincendi. Vtriusque fidem atque integritatem Augusto probatam fuisse, Maecenas ipse, apud Dionem Cassium, testatur, et Arium eiusdem Caesaris amicum dicit Iulianus, Athenodorum, eidem libertate dicendi gratum. Huius quoque Athenodori consiliis Augustum paruisse, ab eoque praeceptis animi moderandi acceptis, bene rem gessisse, Zosimus et Suidas produnt. Scribit etiam huius quid ad Alexandrinos Iulianus, sed accuratius exponit Plutarchus, qua Caesar

Digitized by Google

Octauianus Arium gratia profecutus sit. Neque enim, Alexandriam soli huius conditori, Alexandro, uult, plaudere, sed ipsi etiam Ario, urbemque inuectus, familiariter cum philosopho loquitur, eundem dextra complectitur, ut, ab se cultus, spectaculo sit admirationique ciuitati, ad eum conuersae. Satis, opinor, honoris, doctrinae studiis habiti, a tanto Caesare, cuius magnitudinem si quis forte nesciat, huic, accipiat a Tranquillo, reges saepe, regnis relictis, tum Romae, tum prouincias obeunti, quotidiana clientium officia, togatos, ac sine regio insigni, praestitisse. Ad ipsum quoque eius uehiculum equumue reges cucurrerunt, ut Eutropius narrat. Venit tamen in mentem Themistii, qui, praetermissis aliis, amicissimos fuisse, ostendit, non modo Arium Augusto, quem modo nominaui, uerum Tiberio etiam Thrasylum, Traiano Dionem Chrysostomum, Antoninis duobus Epictetum, cumque doctis a Caesaribus amplissima quaeque delata fuerint, eadem ab Iouiano eruditis adhuc deferri, Videare Plinium non legisse, si nescias, quem Traianus honorem dicendi magistris tribuerit, quam dignationem sapientiae doctoribus, ut sub eo spiritum, et sanguinem, et patriam, receperint studia, summis Principis optimi

Digitized by Google

ptimi beneficiis cumulata. Ipſi menſae Traiani aſſignat Panegyriſtes hic Latii princeps, una cum benigna inuitatione, ſtudiorum honorem, aliis principum tricliniis obſcoenam petulantiam, menſis oberrantem. In quo Traianus numero locoque duxerit eruditos, indicio ſit unus ille Dio, qui Chryſoſtomus uſurpatur. Hunc enim Traianus, ut Themiſtius memoriae prodidit, ſecum aureo triumphalique curru Romae uectum, uultu ſaepius in eum conuerſo, compellans, Quidnam dicas, inquit, neſcio, te uero ego non minus diligo, quam memet ipſe. Comparemus hunc Dionis honorem cum ſuperiore Arii, ut utriuſque, et ſimilitudinem, uideamus, et excellentiam, pari duorum Caeſarum maximorum gratia inſignem. Traianus enim, magnitudine ſua, ſoli ſecundus eſt Auguſto, ſecundum quem fines Imperii omnium imperatorum latiſſime profert. Quo facilius conquieſcimus de Veſpaſianis, Hadriano, Antoninis, Alexandro Seuero, aliis huius faſtigii, quorum multa in literas gratia paſſim celebratur. Si quis tamen honoris, qui priuatae fortunae modum excedat, documentum aliud expectet, is uero Iunium Ruſticum contempletur, e diſciplina Stoica. Hunc enim Ruſticum Antoninus, diſcens

Digitized by Google

adhuc, audit, cum hoc idem, Caesar iam, omnia consilia, publica priuataque, communicat, huic etiam, ante praefectos praetorio, ut loquitur Iulius Capitolinus, semper osculum dat, hunc iterum designat consulem, huic mortuo statuas ab senatu poscit. Non dextram Iunio porrigit osculandam, quod gratiae satis erat, neque solum osculo excipit eum, quod permagnum, sed ante praefectos praetorio semper, quod maximum. Quid honoris iam, quid praemiorum, desideres in doctis, si memineris, Theodosium, in serie Imperatorum secundum, tantum illis, quod in Sozomeni praefatione legas, tribuisse, ut eos non solum suo Principis iudicio, sed aureis etiam imaginibus, statuis, donis, aliisque ornamentis, decorarit. Satis igitur, iam satis, ut opinor, honoris consequuntur uiri docti, si tanti habentur a Principibus, quorum quidem, constat, optimum quemque ac maximum uiris, doctrina praestantibus, delectatum fuisse. Quod nisi iam perspiceretur ex iis, quae diximus, haberemus in numerato tum alios, tum Hadrianum, cuius familiaritatem intrant Epictetus, Heliodorus, Fauorinus, ut memoriae traditum est ab Aelio Spartiano

Quod

Digitized by Google

Quod ſi aequiſſimo Auguſti, Traiani, aliorumque Principum, de doctis iudicio non conſentiunt ſemper alii non boni, hoc tamen unum hominibus, doctrina ornatis, quantae eſt gloriae, Imperatores exempli tam excelſi, quod aemulari quondam glorioſum putabatur, non diuites, ſed ingeniis literiſque claros, et caros habuiſſe, et, qua potuerint, indulgentia extuliſſe. Diuites ſane Tiberio, Neroni, et aliis, rerum dominis, ad tyrannidem rapinaſque conuerſis, curae fuerunt, ſed, ut expilarentur, ſimili ac miſero Senecae fato, qui crimine opum ingentium concidit. Suilio enim dicitur ter millies ſeſtertium paraſſe, hoc eſt, ſeptem Milliones, et dimidium. At uero, ſi diuitiis comparandis tantae difficultates propoſitae ſunt, ut eas eruditi uincere non poſſint, quid eſt, quam ob rem Senecae ſtudiis, in umbra educatis, tantus honorum atque opum cumulus, ex ſola Neronis diſciplina munificentiaque, accreſcit, quantum ipſe, Nerone coram, profitetur, nihil ut huic felicitati ſuae iam expetat, niſi moderationem, qua ſibi, ſtatuit, utendum. Vt accuſatoribus breuiter reſpondeat, Vna, inquit, defenſio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Haec refert Corn. Tacitus. Quid. An, eruditis tot aliis ho-

Digitized by Google

noris nihil habitum fuisse, arbitremur, qui, uel literis muneribusque acciti, uel sponte domo profecti, uel alia ratione cogniti, cum uiris Principibus uixerunt, in magna eorum gratia fuerunt, apud eos auctoritate multum potuerunt. Longe docent aliter ea, quae supra diximus, et, si quid huc addendum uideatur, haud dedecuerit illud, quod Aristidi Adrianaeo euenit. Hic enim Smyrnae quondam M. Aurelii Antonini familiaritatem consequitur, non, ut alii, uenditans se se, sed tertio demum die, quam Imperator huc uenerat, ad eum a familiaribus adductus. Namque a domestico commentandi studio prius abstrahi non potuit, quam ab Antonino, summo cum desiderio, aduocaretur. Vides, ab assentatione quam procul absit Aristides, sed, quanto cupidius idem requiratur a Marco, iam accipe. Hic enim, Ecquando, inquit, audiam te. Aristides ergo multum gratiae tum ab Imperatore init, et post id tempus, cum Smyrnam terrae motus atque hiatus euertissent, urbis disturbatae calamitatem apud Marcum literis deplorans, tanta eum ui permouet, ut hic, et ingemiscat crebro legens, et, lacrymis totum librum perfundens, instaurationi urbis annuat, sicut hortatus erat Aristides. Cur autem diui-

Digitized by Google

diuites, quos Smyrnae, commerciis ante florenti, merces, extra patriae ſolum depoſitae, et aliae poſſeſſiones non urbanae, reliquerant, idem non poſſunt apud Antoninum, quod rhetor ille. Apparet igitur huius uiri non ſolum eloquentia, ſed auctoritas etiam priſtina, quam ille ante id tempus apud Principem obtinuit, tantam quidem, ut ipſa eius oratio in praeſenti, et admittatur facilius, et fortius armetur. Ob eam rem Ariſtidi ſtatua in foro Smyrnaeo ponitur, neque Marcus Imperator, qui reſtituit ciuitatem, ſed Ariſtides conditor Smyrnae uocitatur, iuſtiſſima, ut Philoſtratus ait, et aequiſſima laude. Properemus iam, ubi neque tempus morandi habemus, neque cauſſam. Sed ita de ſtudiis noſtris olim meritus eſt Horatius, ut eius honori deeſſe nullo modo poſſimus. Subtexamus ergo illud, quod plurium pondus habuerit argumentorum, cum in eo hoc ſitum ſit, ut neque honorans maior inter homines eſſe poſſit, neque honoratus non eſſe multo beatior, ditiſſimo quoque. Auguſtus enim Horatium in palatium, ſcribendis epiſtolis, uocat. Datis ad Maecenatem literis, Ante, inquit, ipſe ſcribendis epiſtolis amicorum fufficiebam. Nunc occupatiſſimus, et infirmus, Horatium noſtrum a

te

Digitized by Google

te cupio abducere. Veniet ergo ab iſta paraſitica menſa ad hanc regiam, et nos, in ſcribendis epiſtolis, iuuabit. Haec Auguſtus. Horatium dicit noſtrum, ut ſuam in eum uoluntatem declaret. Auocat autem eum iocoſe a menſa paraſitica, id eſt, Maecenatis, qui ſale Horatiano ſolebat coenam ſuam condire. Sed Flaccus otium ſapientis anteponit cunctis aulae deliciis. Auguſtus tamen, ea re nihil offenſus, Sume tibi, ſcribit ad eum, aliquid iuris apud me, tanquam ſi conuictor mihi fueris. Recte enim, et non temere feceris, quoniam, id uſus mihi tecum eſſe, uolui, ſi per ualetudinem tuam fieri poſſit. Idemque rurſus et clarius, Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque noſtro audire. Nam incidit, ut, illo coram, fieret a me tui mentio. Neque, ſi tu, ſuperbus, amicitiam noſtram ſpreuiſti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν. Num parui exiſtimes, eum haberi Flaccum, cuius ſcriptis Auguſtus ſaepe mandari uelit, adeo, ut eius rei negligentiam grauiter ferat. Sermonibus enim Horatii lectis, hic Caeſar, nullam ſui mentionem iniectam, ita queritur. Iraſci me tibi, ſcito, quod non in pleriſque eiuſmodi ſcriptis mecum potiſſimum loquaris. An uereris, ne apud poſteros tibi

Digitized by Google

tibi infame ſit, quod uidearis familiaris nobis eſſe. Haec Auguſtus ad Horatium, manu ſua. Virgilio, familiari noſtro, non minus officii, aio, me debere, quam Horatio. Quidni ergo huic illum adiungam, ut pari dignitate cenſeatur. Dixi quidem de Virgilio, ſed ei quanto praeterea fuit honori, quanto etiam, ut credimus, praemio fuit, eius conſilio Auguſtum, in ipſa rerum ſumma, et uti, et ſtare. Huic enim, ut Donatus in Maronis uita narrat, de republica reddenda cum amiciſſimis deliberanti, Agrippa ſuadet, imperium deponendum, ſed Maecenas hoc idem diſſuadet. Caeſar, amicis inter ſe diſſentientibus, quibus plurimum confidebat, animi pendet, utramque in partem fluctuans, inter ancipites cogitandi curas. Virgilium ergo ſententiam, ea de re, rogat, qui Auguſtum, ſapienter admonitum, in ſtudio reipublicae retinendae confirmat, eique Caeſar morem gerit. Sic auctoritas unius Poetae, in re grauiſſima, apud Orbis Principem, plus ualet, quam conſeſſus ſanctioris conſilii intimus. Atque hi quidem ſimileſque honores ſunt doctorum hominum, adhuc uiuorum, qui diuitum indoctorum ſuperbiae merito opponuntur. Sed quanto plus honorum, longe firmiorum, latiusque patenti-

Digitized by Google

um, doctis tribuitur mortuis, quibus ingenii uis, literarumque memoria gloriae monimenta ſtruit. Peregrinatur cum Alexandro M. Homerus, cum eoque pernoctat. Eum pugnandi cupiditate incendit, ei miniſtrat arma, eius nartheciu m, de gaza Darii captum, occupat, quaſi pro triumphali Muſarum ſede. Ora ducum, Regum, Caeſarum, hominumque illuſtrium, tanto omnium aetatum gentiumque ſtudio inſidet, ut in eis, uelut ex tripode, ſecundis aduerſiſque rebus, oracula edere uideatur. Quis enim Sortes Homericas ignorat, quis uerſus, ex Homero, a Iulio, Auguſto, Imperatoribus ceteris, nobiliſſimo quoque ac doctiſſimo omnium populorum, in grauiſſimis uitae negotiis, uariis actionum humanarum iudiciis, conſiliorum inceptis euentiſque, familiariter pronuntiatos, ut ipſam naturae, ac ſapientiae, uocem. Sed de literis iam dictum eſt, quibus aeterna doctorum hominum praeconia mandantur. Vnum, ſi libet, adde, ſeruis ipſis ex doctrina tantum dignitatis acceſſiſſe, ut eis mortuis nullum memoriae defuerit ornamentum, nulluſque cultus. Cum autem non ſolum Phaedon, Cebes, Menippus, aliique non pauci, et ſerui fuerint, et clari poſt philoſophi, tum horum in numerum Aeſopus, atque

Digitized by Google

atque Epictetus, ueniunt. At Aesopo, ut Phaedrus monet, ingentem statuam ponunt Attici, seruumque collocant aeterna in basi. Epictetus autem, ut Lucianus notat, tantum admirationis habet, ut fictilis eius lucerna tribus drachmarum millibus ematur, idque a diuite, cuius lectioni nocturnae lychnus ille Stoicus, nescio quem, sapientiae spiritum polliceri uidetur. Ac de honore quidem multiplici, qui doctis, a summis quoque, habitus est, satis diximus

At uero hi, qui uiuunt in literis, eo minus quoque amplitudinis obtinere censentur, quo minus ad rempublicam uidentur apti. Scholae enim potius, quam uitae, seruire uidentur, in umbra magis, quam luce, uersari. Quo maiore enim studio quietem suam prosequuntur, eo longius absunt a tuenda augendaque utilitate communi. Non est ita. Quidni enim ad rempublicam sint idonei, quos M. Antoninus non ad aliquam forte partem reipublicae regundae aduocet, sed ad ipsam rerum summam, feliciter administrandam. Hoc enim in ore solitus est habere, Florere ciuitates, si, aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur, ut Iulius Capitolinus in scriptis reliquit. Loquitur

Digitized by Google

quitur cum Platone, nec tamen, ut hic, politiam ſibi fingens, ex ſola ingenii ſubtilitate, ſed ex probato ſimul uſu rerum ciuilium, quem aſſiduum habuit atque diuturnum, in terrarum Orbis imperio prudenter gubernando. Fertur quidem uulgato nomine Philoſophi, ſed cognomen hoc aetas poſterior edit, nulla fide ueteris hiſtoriae. Quanquam Antoninus ipſe principatum ſuum ornauit ipſa quoque ſcientia philoſophiae, eamque libris ſapientiſſime ſcriptis comprobauit. In omni enim uita, ut idem Capitolinus ait, philoſophatus eſt. At philoſophiae, factis exprimendae, ſtudio magnas res geſſit, aerumnis publicis, ut loquitur Victor, quaſi defenſor obiectus. Hac nominis gloria id conſequitur, ut, Eutropii teſtimonio, Princeps narretur poſteris, quem mirari facilius quis poſſit, quam laudare. Quid iam uel illuſtrius, uel grauius, eſſe poteſt, Auguſti Caeſaris iudicio, cuius non minus prudentia, quam felicitate, res Romana floruit. Hic enim de loco, doctrinae in republica dando, idem ſentit, quod M. Antoninus. Philoſophia enim, a prima adoleſcentia, nemini aequalium ceſſit, cum rerum potitus eſſet, quotidianis fere conuiuiis recolens, quae a philoſophis didicerat, aut hominum doctorum, quos alebat domi, conſuetudine

Digitized by Google

dine auxerat, ut pluribus apud Philonem locis explicatur. Ipſemet autem hortationes ad philoſophiam ſcribit, ut Tranquillus refert. Quid igitur eſt, quod eas hortationes componat ille, qui optimi ſtatus auctor eſſe dicique uelit, ut apud eundem Suetonium ipſe, hoc optans in primis, praedicat, ſi doctrinae liberalis, maxime philoſophiae, tractatio iſtud affert incommodum, ut homines ad rempublicam inepti reddantur. Adeone libeat inſanire, ut, Caeſarem, credamus, ſumma regnandi prudentia, ſumma agendi grauitate, inter infinitas grauiſſimaſque occupationes, dignum perſona ac maieſtate ſua ducere conſilium atque inſtitutum, ſcripto cohortandi ad ſtudium, quod nihil profit reipublicae, ei multum obſit. Auguſtus, e contrario, id contendit, ut, non tam plebem, quam proceres Romanos, et nobiliſſimum quemque, auctoritate ſua adducat ad illud ſtudiorum genus, ingenio complectendum, quod reipublicae commodis, ipſe compererit, plurimum inſeruire. Accedamus nunc ad ipſos philoſophos, quibus, ex omni paene eruditorum numero, maxime obtrectari ſolet. Quidni uero hi ad rempublicam capeſſendam iudicentur idonei, quorum in ea uirtus multiplici gloria ſemper enituit.

Digitized by Google

tuit. Namque haec uirtus utroque tempore, pacis ac belli, cognita est, in urbanis bellicisque rebus. Laudat Themistoclem M. Cicero, ob uictoriam Salaminiam, qua nomen eius maxime illustretur. Iure uero laudat, quod apud Salamina, paruo nauium numero, Xerxis maxima post hominum memoriam classis est deuicta, ut Corn. Nepos ait. Sed, rebus inter se collatis, idem Tullius Solonem, huiusque Areopagum, Themistocli, eiusque Salaminio tropaeo, praefert. Victoriam Salaminiam, ostendit, semel Athenis profuisse, Areopagum semper prodesse ciuitati, eiusque consilio leges Atheniensium, et maiorum instituta, seruari, ipsum quoque Themistoclem fuisse adiutum, qui senatus eiusdem consilio bellum gesserit. Atqui Solon hic non modo legum Atticarum scriptor fuit, sed etiam sapientissimus ex septem, ut Cicero ad Brutum scribit. Idem M. Tullius iudicat, quanquam, Pausaniae, ac Lysandri, rebus gestis imperium Lacedaemoniis dilatatum, putetur, eos tamen Lycurgi legibus ac disciplinae, ne minima quidem ex parte, conferendos esse. Atqui Lycurgus, multis ante septem sapientes saeculis, et sapiens fuit, et habitus est, ut Tusculanarum quinto differitur, et ipsum fontem Graecae sapien-

Digitized by Google

pientiae non ſolum combibit Homeri ſtudio, ſed huius etiam, in Aſia apud Creophili poſteros inuenti, et cupide deſcripti, uniuerſam poeſin primus ſecum in Graeciam tulit. Et, quoniam ſeptem ſapientum mentio facta eſt, hi nimirum omnes, praeter Mileſium Thalem, ciuitatibus ſuis praefuerunt, ut Cicero, in tertio de Oratore, docet. Ac Solon quidem magiſtratum geſſit Athenienſium, Periander Corinthiorum, Cleobulus Lindiorum, Chilon Lacedaemoniorum, Bias Prienenſium, Pittacus Mitylenaeorum. Zaleucus rempublicam Locrenſium legibus emendauit, Charondas Catanenſium, itemque Rheginorum, alii aliorum. Tarentinis plurima bona fecit Archytas, Solon Athenienſibus, Bias Prienenſibus, ut alios omittam. Quid Pericles, tanto ingenio, quanto animo, bonis omnibus diſciplinis ornatus, ut A Gellius loquitur. Nonne, ipſa Ciceronis ſententia, Graeciae princeps fuit, ac quadraginta annos remp. tanta tenuit auctoritate, ut Athenienſibus perſuaderet, quae nollent, tanta uirtute res geſſit, ut nouem tropaea ciuibus ſuis excitaret, et ciuitatem, quam magnam acceperat, maximam atque opulentiſſimam efficeret, nullo interim numo auctus, ut ait Plutarchus. Quid Demetrius ille Phalereus, non ex genere, cuius

ſplen-

Digitized by Google

ſplendorem nullum accepit, ſed ex doctrina, quam literis eruditiſſimis, harumque monimentis plurimis, probauit, et ex republica Atheniensium, quam optime digeſſit, nobilis atque clarus. Annon ciuitatis decennio princeps fuit, et multa praeclariſſime in republica geſſit, tantaque gratia atque auctoritate fuit, ut trecentis ſtatuis donaretur. Nonne idem, cum inuidiae cederet, apud Ptolemaeum, regum Alexandrinorum in Aegypto primum, legibus ſcribendis, multa cum dignitate praefuit, quibus fundandum eſſet regnum nouum. Quanti putemus in republica legationes, quibus ſaepe plus, quam telis ingentibuſque copiis, proficitur, et ille ſapientum mos continetur, ut rem prius uerbis, quam armis, experiamur. Has igitur legationes hiſtorici, prudentiae condi promi, magno ſtudio conſectantur, nec minore eas legunt expenduntque uiri, tractandae reipublicae periti, ſiue eas in Eclogis Polybianis, inſigni ciuilis ſapientiae theſauro, ſiue aliis in locis ſcriptorum, reperiant. Num Thebanos autem Epaminondae poenituit, hominis non minus docti, quam fortis, eoque fortioris, quo doctioris. Hic enim, Spartam delegatus, quo cunctorum ſociorum legati conuenerant, in frequentiſſima legationum

Digitized by Google

tionum celebritate, ſic impotentem Laconum dominationem auxilio ſocietatis priuauit, ut eloquentia ſua non minus eorum uires fregerit, quam pugna Leuctrica. Parum, credo, fuit, Athenis, quae pecunia quingentorum talentum multatae fuerant, Romam mitti Carneadem et Critolaum, alterum Academicum, alterum Peripateticum, philoſophos id temporis praeſtantiſſimos. At hi ſuis ciuibus ſalutem, quam in extrema paupertate ſperare non poſſent, ab ſenatu Romano impetrant, Patribus in tantam uerecundiam adductis, ut dicerent hi, Athenis legatos ueniſſe, non, qui perſuaderent, ſed, qui Romanos cogerent facere, ipſi quae uellent. A legationibus, ſupremiſque conſiliis, abit res ad uires, uimque pugnantium, ut duces belli, ad proelii concurſum, non ex palaeſtra, nedum ex umbraculis eruditorum, ſed ex caſtris, acciendi uideantur. Sed idem tamen Epaminondas ille, qui, caſtris utendum, hominibus, in acie ſpectandis, praecepit, ſe ipſum uincere, quod difficillimum eſt, in diſciplina prius didicit, quam hoſtes in proeliis, ſed in ea ſimul diſciplina ea praecepta accepit, quibus, ad uſum rei militaris, uel docilior fieret atque aptior, uel inſtructior etiam atque cautior. Quam fa-

Digitized by Google

cile eſt Xenophonti, cum prodiſſet e ludo Socratis, non ſolum in caſtris artem bellandi percipere, ſed eam etiam rebus geſtis tam ſcienter explicare, ut eum Africanus uterque, Iulius Caeſar, alii uictores illuſtres, deponere de manibus uix unquam uelint. Hic autem Xenophon tantam probat imperatoriam uirtutem, quantam nondum ſatis admirari poſſint duces ſummi, cum, Cyro in Aſia caeſo, Graecos, quos habet ſuperſtites, per tot gentes infeſtas, domum incolumes reducit. Quid, in grauiſſimo rerum motu, opis uel petas, uel expectes, a Sophocle, tragoediarum ſcriptore. At, Spartanis atque Thebanis in Athenienſes ſumma ui concitatis, hi quidem, maximis difficultatibus affecti atque preſſi, aduerſus ingens belli periculum, duos, ut refert e Trogo Iuſtinus, legunt duces, Periclem ac Sophoclem, qui, diuiſo exercitu, agros Lacedaemoniorum uaſtant, et multas Achaiae ciuitates ſub Athenienſium poteſtatem redigunt. Quid Pittacum dicam, qui ſingulari certamine cum Phrynone, Athenienſium duce, pro patria dimicat, ac patriam tyrannide liberat. Quid Archytam Tarentinum loquar, qui ſepties exercitum ducit, nunquam uictus. Socratem ipſum fortiter pro patria de-

certaſ-

Digitized by Google

certaſſe, plures tradunt, eiuſque tria ſtipendia commemorant, ad Potidaeam, Delium, Amphipolin, militantis. Hanc eius militiam laceſſit Athenaeus, ſed haud impune, quod huius negligentiam grauiter Iſaacus Caſaubonus coarguit. Plato autem, qui uirtutem Socratis bellicam oſtendit, magiſtrum imitatus, propugnare, ut ſcriptum legimus, pro patria non dubitat, nullumque periculum recuſat. Antiſthenes, Cynicae familiae princeps, ex proelio, ad Tanagram conſerto, multum gloriae, ut Diogenes Laertius ſignificat, capit, cuius ideo fortitudinem laudat Socrates, et Iulianus, ut eximiam, imitationi proponit. Haec, et plura, quae proferre non eſt neceſſe, abunde declarant, doctis hominibus facultatem reipublicae, domi foriſque adiuuandae, deeſſe neutiquam poſſe, qui ciuitates legibus fundarint, moribus temperarint, conſilio rexerint, diſciplina belli firmauerint, neque militum modo, ſed ducum etiam, uirtutem praeſtiterint, aliaque praeclare fecerint, quibus in commune conſuleretur. Sed intelligendum eſt, duo, ut Aelianus differit, fuiſſe ſapientum genera, unum eorum, qui in magiſtratibus imperiiſque uerſarentur, alterum illorum, qui, tametſi ad agen-

Digitized by Google

dum non essent imparati, docendi tamen cupidiores extiterint, in quieta placidaque uita. Ac de primo quidem genere satis dictum est. In quo, si quid dubitare uelis, Aelianus reponit, non solum Zaleucum, Charondam, Archytam, Solonem, Biantem, Chilonem, Pittacum, Cleobulum, Anaximandrum, sed etiam Xenophontem, Demetrium Phalereum, Periclem, Epaminondam, Phocionem, Aristidem, Ephialtem, et alios, quorum non nullos multi in philosophis haud quaerant. Alterum autem genus sapientum, quod disciplinae studet, non minus reipublicae, quam eius gubernacula si tractaret ipsum, prodest, multis doctrina impertiendis, quo meliores se praebeant utilioresque ciues. Atque hi quidem, non imperitia regundae ciuitatis, sed iudicio, honoribus inseruire nolunt, suis grauibusque cauſſis adducti. Sicut Pomponius ille Atticus, omni doctrina prudentiaque florens, qui honores non petit, cum ei pateant, quod, eos, intelligit, neque, conseruatis legibus, capi posse, neque, moribus ciuium tam corruptis, e republica geri. Hac mente Plato, ut Cicero ad Lentulum scribit, eam sibi cauſſam fuisse, ait, reipublicae non attingendae, quod, cum offendisset populum Athenienſem prope iam desipientem

entem ſenectute, cumque, eum, nec perſuadendo, nec cogendo, regi poſſe, uidiſſet, cum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe, non arbitraretur. Sed hi ſapientes docendo non minus de republica promerentur, quam agendo, plus etiam ſaepe, cum diſcipulos magnae indolis, egregie inſtitutos, in medium producunt. Ob eam rem Socrates, in epiſtola Iuliani ad Themiſtium, dicitur maiora, quam Alexander ipſe, feciſſe. huic oportere tribui Platonis ſapientiam, Xenophontis peritiam ducendi exercitus, Antiſthenis fortitudinem, Eretricam ac Megaricam familiam, Cebetem, Simmiam, Phaedonem, et colonias, inde ductas, Lyceum, Porticum, Academiam. Haec Iulianus. Plato autem, qui praeclara ſcribere dicebatur, ſed longe meliora docere, quanta ideo laude tollitur in coelum. Hinc, demonſtrat Plutarchus, proceſſiſſe illud Dionis, ut Siciliam tyrannide liberaret, illud Pythonis et Heraclidae, ut, interfecto Coty, Thraciam, hinc Chabriae ac Phocionis gloriam, rebus geſtis partam. Hic, uelim, agnoſcas Chabriam, et Phocionem, Platonis diſcipulos, ac meritum eximium, uimque magnam, diſciplinae Platonicae, cui utriuſque imperatoris excellentis uirtutes, et fama dignitaſque geſtorum, eis compa-

Digitized by Google

rata, tribuuntur. Eorum autem, qui disciplina utuntur, unus, bene institutus, saepe maiori patriae suae usui fuit, quam alii quamplurimi, rectae institutionis expertes. Epaminondae, scimus, praeceptorem, in Pythagorea disciplina, Lysin fuisse. Hunc auditor tanta caritate complectitur, ut adolescens tristem et seuerum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteponat, nec prius ab eo discedat, quam doctrinis omnes condiscipulos antecedat. Itaque tam fuit eruditus, ut illustrem locum tenuerit in claris philosophis, qui militiae simul rectores fuerunt, Aeliano teste. Hic autem patriae suae tantum officii praestitit, ut Thebae, et ante Epaminondam natum, et post eius interitum, perpetuo alieno paruerint imperio, contra ea, quamdiu ille praefuerit reipublicae, caput fuerint totius Graeciae. Ea re cognitum est, ut Corn. Nepos ait, unum hominem pluris, quam ciuitatem, fuisse. Hic autem est ille, quem doctrina Pythagorica dedit. Partium Graecarum studio ab Epaminonda dissensit Agesilaus, sed amore philosophiae cum eo consensit. Artibus enim Socraticis institutus est a Xenophonte, eaque re Lacedaemoni singulari tum praesidio fuit, tum ornamento. Disciplinam enim Socraticam moribus

ribus domi militiaeque expreſſit, mirifico praeſertim ſtudio uſus abſtinendi, atque ſuſtinendi. Qui quidem de maximis muneribus regum, dynaſtarum, ciuitatumque, nihil unquam contulerit domum ſuam, nihil, ſecundis in rebus, de uictu, nihil de ueſtitu, mutauerit, domumque ſuam ita inſtruxerit, ut ea nullum ſignum libidinis, nullum luxuriae, oſtenderet, ſed plurima patientiae atque abſtinentiae, nullaque in re a cuiuſuis inopis atque priuati differret. Quid ergo imprudens homo ſperauerit ab hoc imperatore philoſopho, cuius faciem ſi intueare, eum, difficile tibi ſit, non contemnere, ſtatura humili, corpore exiguo, claudum altero pede, ueſtitu obſoleto. Huncne tu uereare, ut propugnatorem ſalutis publicae, hoſtium terrorem, fulmen belli. Vt eum melius noſcas, memento, cum Epaminondas Spartam oppugnaret, eſſetque ſine muris opidum, Ageſilaum tali ſe uirtute praebuiſſe, ut eo tempore omnibus apparuerit, niſi ille fuiſſet, Spartam futuram non fuiſſe. Habes ciuem, quem ueteri teſtimonio expreſſimus, ex ſchola Socratica longe praeſtantiſſimum, et patriae ſuae unicum, quae plurimis, ac fortiſſimis, cum affluueret, hoc tamen uno, in extremo rerum diſcrimine, ſtabat, ne interi-

Digitized by Google

interiret. Quantum praeterea fuerat, Spartam ipſis quoque Perſis imperare, qui terra marique bellum uniuerſae Europae ſolerent inferre. Huius rei facultatem dediſſe tempus uidebatur, ſi Lacedaemon uti Ageſilao uoluiſſet. At hic, cum in Aſia uictori praeeſt exercitui, maximamque habet fiduciam, regni Perſarum potiundi, domum reuocatur, tantaque modeſtia dicto audiens eſt iuſſis abſentium magiſtratuum, ut ſi priuatus in comitio eſſet Spartae. In hoc, inquit Corn. Nepos, non minus eius pietas ſuſpicienda eſt, quam uirtus bellica. Vides ergo imperatorem philoſophum, in belli periculis ſummam prudentiam, quam didicerit a Xenophonte, exercentem, ducemque, et ſapientia et animi magnitudine maiorem, quam eius uirtutem uel intelligere potuerint Lacones, uel eam rebus ſuis adhibere. Quod multi non poſſunt, ſinguli ciuibus ſuis praeſtant, Pericles ab Anaxagora, Timotheus ab Iſocrate, Dion a Platone, principes Italorum a Pythagora, eruditi. Cum diſciplinae uim, fungendis muneribus fructuoſam, intelligant, Cato, relictis caſtris, ad Athenodorum naue proficiſcitur, Scipio Aemilianus Panaetium aduocat, horum doctrinis ut imbuantur. Quos quidem Plutarchus in eam laudat

laudat ſententiam, ut doceat, ſi quidem diſciplina liberalis uiros Principes, reipublicae clauum tenentes, rebus gerendis deditos, formauerit, ſtudio uirtutis incenderit, fore, ut haec ipſa diſciplina multis per unum proſit. Sapienter igitur idem praecipit, philoſopho maxime cum Principibus uiris uerſandum eſſe atque diſputandum, quorum uirtute ac ſcientia adiuuari reſpublica maxime poſſit. Hoc agit cum Pyrrho Cineas, auditor Demoſthenis, ſua ad animi moderationem hortatione, hoc cum Auguſto Athenodorus, irae compeſcendae rationem tradens, hoc cum Herode M. Nicolaus Damaſcenus, cum illo, Romam ad Auguſtum nauigante, in eadem philoſophans naui, ut legas in Eclogis Peireſcianis. Idem rei fuerat Zenoni cum Antigono Gonata, Macedonum rege, quotieſcunque hic eum, Athenis audiendum, conuenerat. Zenonem autem, ad ſe in Macedonia inſtituendum, literis inuitans, ipſe declarat apud Diogenem Laertium, quid unius Regis inſtitutio toti regno conducat. ſe erudito, omnes ſimul Macedonas erudiri. qui enim Macedoniae Regem, diſciplina emendatum, ad ſtudium uirtutis adduxerit, eum hac Regis emendatione efficere, ut ipſi ciues meliores fortioreſque reddantur.

Digitized by Google

dantur. Principis enim exemplo ciues plerumque fingi. Sed haec hactenus de fructu, ex disciplina sapientum in rempublicam redundante. Libros autem praeclaros cum scribunt, atque edunt, boni doctique uiri, latissime manat eorum industria, et reipublicae plurimum utilitatis affert. Non enim solum discendi cupidos praeceptis suis instituunt, quoad ipsi uiuunt, sed etiam post obitum suum, quoad posteri eorum opera euoluunt, atque uersant. Erat ea Cicero prudentia, ut auctor consilii publici numeraretur, ea auctoritate, ut in republica dominari diceretur ab inimicis, ea denique eloquentia, ut aliis posse regna conciliare putaretur. In agendo tamen spectare solebat, quid Plato iuberet, eumque uehementer auctorem sequi, ut ipse ad Lentulum scribit, eius quoque sententias in scripta sua transferre, ut his alii docerentur, cumque de Republica sex libros conficeret, in eis comitem Platonis se profiteri, ut Plinius tradit. Adeo Platone, in gerendo ac praecipiendo, solebat uti, suoque monebat exemplo, quid aliis, reipublicae deditis, in legendis sapientum libris, faciendum similiter esset. Quantum praeterea est, quod in moribus, disciplina reipublicae, legibus, omni genere institutionis, ab his doctoribus

ribus mortuis nos omnes discimus, aut quid tandem est, ab iisdem quod optime non discamus. Permultum igitur gratiae est, quod iis, si nolimus esse ingrati, referre debeamus. Ac ueteribus quidem adiicere recens inuenta statuit Baco Verulamius, sed repugnante Thoma Bodleio, cui iudicatum est, artes omnes, quae publice nunc tradantur, priscis iam temporibus extitisse. Sententiam, de quiete siderum, quantum iactant philosophi noui, eiusque principem ferunt Nicolaum Copernicum. Sed eam hic excoluit tantum, eandem illam olim iam professus est Philolaus, Pythagoreus magnae auctoritatis. Ismael igitur Bullialdus maluit hanc Philolai auctoritatem agnoscere, suamque Astronomiam dicere Philolaicam. Sed huiusmodi plura persequi, necesse non est. Illud, satius est, intelligi, hos ipsos, qui literarum se latebris abdant, id moliri, ut, quod habeant ingenii ac doctrinae, communibus hominum utilitatibus impertiant, et otii sui disciplina eorum instruant negotium, qui rempublicam capessant. M. Tullius, cum nuper altissimum reipublicae gradum tenuisset, oppresso iam senatu, sublatis iudiciis, in quibus plurimum poterat, a republica forensibusque negotiis ui atque armis prohibetur. Ita-

Digitized by Google

que, ex Vrbe profugiens, agros obit, quibus poteſt locis, deliteſcit, ſaepe ſolus eſt. Vt dolori reſiſtat, ad philoſophiam ſe refert, multa legit, plura ſcribit et inſignia, nec tamen obtrectatorum reprehenſionem poteſt effugere, mirantium, ex tanto ciuili uiro philoſophum fieri, ex tam claro publici conſilii principe obſcurum quaſi magiſtrum priuati ſolitariique ludi. Sed huic, diu multumque ſecum cogitanti, quanam re commodare poſſet quam plurimis, ne quando conſulere intermitteret reipublicae, nulla maior occurrit ratio, quam ſi ciuibus ſuis optimarum uias artium tradat. Inſtituit igitur omnem philoſophiam Latinis literis illuſtrare, idque pluribus libris perficere ſtudet, ordine diſpoſitis, quem ipſe, altero de Diuinatione, digerit. Quod enim, inquit, munus reipublicae afferre maius meliuſue poſſumus, quam, ſi docemus, atque erudimus iuuentutem. Haec Cicero. Et, quanquam inter curas grauiſſimas ſcribit, ſibi tamen ſatis bene de republica mereri uidetur, ſi quos iuuenes nanciſcatur diſcipulos, quorum induſtria exſplendeſcat in republica, et late poſſit patere. Sed idem ille non minorem laboris ſui fructum capit ex eis, qui, iam aetate prouecti, ex libris ſuis proficiant. Quod ſi glorioſum eſt, eorum,

qui

qui sunt eruntque, omni aetate quam plurimis prodesse, haud minoris certe existimandum uidetur hoc Ciceronis otium, quam superius eiusdem negotium, omnisque tot generum opera, quam in uariis reipublicae liberae occupationibus collocauit. Hoc enim otium, quod praeclara tot ingenii monimenta peperit, non minus commodi gentibus aliis, quam Romanis, attulit, semperque afferet, quoad haec illius scripta legentur, ad uitam omnem, scientia, prudentia, omnique disciplina, expoliendam. Quam ob rem haec umbra, in qua Cicero latet, tanta posteritatis luce fulget, ut suo splendore germanae uirtutis omnes Caesaris res gestas obscuret. Huius enim profunda dominandi libido patriam euertit, diuersasque Orbis terrae partes affligit, illa uero Tullii umbracula saeculis omnibus ea modestiae, ac iustitiae, praecepta tradunt, quibus patriae libertas, leges, instituta maiorum, ciuium fortunae, sociorum iura, in uictas quoque gentes mansuetudo aequitasque conseruetur. Haec, et his consimilia, literis mandant eruditi, et rectores omnium populorum docent, quid publice priuatimque expediat, eaque diligentia plurimum adiumenti cunctis omnis reipublicae partibus afferunt. Omnino, quoties de meritis

Digitized by Google

uitae, literarum ſtudioſae, iudicare uolumus, duas, ut antiqui cenſent, reſpublicas animo complecti debemus, quarum alterius terminos cum ſole metiamur, alterius modum finibus ciuitatis noſtrae terminemus. Alteram magnam uereque publicam, alteram minorem, dicamus. Maiori autem illi, in otio ſuo, deſeruiunt eruditi, ſcribendis emittendiſque libris, qui, terrarum Orbem peruagati, omnes et populos, et aetates, bonis omnium generum doctrinis inſtituant. Haud igitur hi otium ſuum languori ac deſidiae dedunt, et, quo melius, quo diutius, hominum commodis inſeruiunt, eo maiore honore uidentur utique digni, aequalium ſuorum, omniumque poſterorum. Hac mente Seneca, ſapiens ille, quid amplitudo reipublicae, quid amicitia Principis, ad dignitatem ualeat, inter opes ſplendidiſſimas, ingenti tamen malo ſuo, expertus, Quo animo, inquit, ad otium ſapiens ſecedit. Vt ſciat, tum quoque ea acturum, per quae poſteris proſit. Nos certe ſumus, qui dicimus, et Zenonem, et Chryſippum, maiora egiſſe, quam, ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent, quas non uni ciuitati, ſed toti humano generi, tulerunt. Quid ergo eſt, qua re tale otium non conueniat bono uiro, per quod futura ſaecu-

Digitized by Google

saecula ordinet, nec apud paucos concionetur, sed apud omnes omnium gentium homines, quique sunt, quique erunt. Haec ille. Ita uero literae doctorum socordia non languent, sed labore suo tantum efficiunt, ut eruditorum quies plus hominibus prosit, quam discursus aliorum, atque sudor. Qua re, cum tripartita sit, ut Plutarchus, et alii, docent, uitae institutio, una, quae contemplationi se tradat, alia, quae actioni, tertia, quae uoluptati, contemplatio certe, cui student docti, actionis laude eo minus caret, quo salubriores sunt utilioresque res, quas gerit, docendo praesentem futuramque aetatem. Nec uero hic aliam probamus uoluptatem, quam animi, et cum uirtute coniunctam, hancque, negamus, sincerius, quam bonis in artibus, reperiri. Sed, quoniam de tribus illis uitae generibus quod sit optimum, quaeri solet, utar rebus concessis, ut Geometrae solent. Dedisti iucunditatem liberalissimam contemplationi, dedisti eidem rerum optimarum actionem. Supereſt, ut eruditae contemplationi relinquere debeas ueram solidamque dignitatem, et incorrupta uoluptate conditam, qua optima uiuendi ratio maxime commendatur

Digitized by Google

Sed inuiſum in primis ſcholae nomen eſt, quae tamen omnis doctrinae parens, et omnis elegantiae magiſtra, merito exiſtimatur, ſuaque diſciplina omnem barbariam ſola profligat. Habet ſane ſchola nomen otii, ſed in quo ingenia omni diſciplinarum genere praeparat negotiis uitae, breui ſuſcipiendis. Quapropter hoc otium gerit negotii, ſuſtinet multum laboris, in docendo diſcendoque, ne qua doctrinae negligentia uitii quid contrahatur, quod emendari deinde non poſſit. Quo diligentior autem ac plenior eſt inſtitutio, eo magis omni prodeſt futurae uitae, cuius negotia, in magna munerum uarietate, agenda ſunt. Sed, eum diſcendi laborem quoniam multi non ferunt, eius faſtidio ſcholam deferunt, atque hanc odiſſe ſolent, obliti ſuae uel tarditatis, uel petulantiae, quibus, aequius erat, iraſci. Hi ſucclamant iſtis, qui ſcholam non attigerunt, eam dictitantes ignauiae ſedem, contemplationum inanium officinam, nugarum fabricam, otioſis quaeſtionibus negotioſam. Ignauiam dicunt, quod ſedulitatis ſordidae quaeſtum non habeat, contemplationem inanem, quod neque arcam, neque uentrem farciat, nugas, quod non praedicet illud, ſcilicet, ſalubre

ac

ac frugiferum, Virtus post Numos. At, haec si docerent scholae, non essent bonae mentis sacraria, non uirtutum seminaria, non domicilia sapientiae omnis, diuinae atque humanae, quae tamen et sunt, et optimi atque cordatissimi cuiusque iudicio censentur. Haec liberalis industriae curricula longe nobilius quiddam persequuntur, quod, in omnis honesti rectique studio positum, plurimum ad communes utilitates afferat, hae praestantiorum ingeniorum exercitationes, quae angustiis rei familiaris claudi nolunt, totam rerum uniuersitatem sibi contemplandam proponunt, hae disciplinae pubis, literis deditae, praebent homines, quibus reipublicae et firmamenta, et ornamenta, constituantur. Sed duplex est disciplina, altera scholarum maiorum, altera minorum. Illa morum studiorumque fundamenta ponit, haec institutionis rudimenta, multiplici altiorum doctrinarum cognitione, limat. Illa bene fundata, felicius haec procedit, haec, intelligenter ac nauiter exercita, ad frugem ac maturitatem scientiae, omni uitae utilis, perducitur. Qua re optimi maximique Principes, et scholis semper fauerunt, et iis, qui aemulationem ingeniorum, uel praeceptis alerent, uel literarum monimentis instituerent, uaria-

Digitized by Google

que ſcientia doctrinae ſtudium augerent. Viderunt enim, rempublicam ingeniorum prouentu et iuuari, et ornari, neque regnorum cultum eſſe maiorem, ſapientia, quae, bona ſeueraque diſciplina, per omnes hominum coetus, cum publica priuataque fortuna, diffundatur. Haec ita Philippus, Macedonum rex, prudentia ſua complectitur, ut, et diſciplinae, et huius magiſtris, plus tribuendum, putet, quam uerbis exprimere priuatus aliquis auſit. Eſt eiuſdem regis epiſtola quaedam ad Ariſtotelem, quam A. Gellius, in nono, recitat, ad commouendos, ut ait, parentum animos, quoniam hortationem continet curae ac diligentiae in liberorum diſciplinas. Eam igitur epiſtolam, temperare mihi non poſſum, quo minus proferam. Philippus Ariſtoteli ſalutem dicit. Filium mihi genitum, ſcito. Quod equidem dis habeo gratiam, non proinde, quia natus eſt, quam pro eo, quod, eum naſci, contigit, temporibus uitae tuae. Spero enim, fore, ut, eductus eruditusque abs te, dignus exiſtat, et nobis, et rerum iſtarum ſuſceptione. Haec Gellius. Quis ſcribit. Philippus, ut audiſti, rex Macedoniae, uictor Graeciae, multorumque populorum, ſumma prudentia, incredibili apud omnes natio-

nationes gloria. Ad quem ſcribit. Ad Ariſtotelem, philoſophum, qui coetus habet iuuenum diſcentium. Quid ſcribit autem. diuino ſibi munere natum eſſe filium, ſed in hoc munere minus eſſe, quod filius ſibi datus ſit, maius uero, quod filius hic natus ſit temporibus Ariſtotelis, adhuc uiuentis. Ergone Rex tantus filio, in ſpem regni genito, magiſtrum anteponit. Anteponit uero, ut perſpicis ex claris Philippi uerbis. Cur autem anteponit philoſophum filio ſuo. quia, hunc, uult, dignum exiſtere, et magnitudine patris, et ſucceſſione regni. Hoc, oſtendit, tum fore, cum educatus ille fuerit ab Ariſtotele atque inſtitutus. Quantum, quaeſo, hoc eſt, quod purpura Regis a pallio philoſophi expectat. Hoc tibi perſuadere ſi non potes, habes rem cum Philippo, non mecum. At Philippum uides Alexandri, ab hoc philoſopho eruditi, magnitudine tam felicem, ut, Iuſtini teſtimonio, Orbis imperii fundamenta pater iaciat, operis totius gloriam filius abſoluat. Potiſſimum autem, a uictoribus gentium potentiſſimis, ac feliciſſimis imperiorum conditoribus, animaduerſum eſt, praecipuam quandam curam pubis erudiendae ſuſcipi, eoque bonarum artium honore illud effici, ut comites armorum ſint literae, creſcantque cum

Digitized by Google

laureis, et ipso regnorum flore altius efflore-
scant. Quid, ex ueteri memoria, est potentius,
excelsius, inter homines mirabilius, illo Asiae do-
mitore, Alexandro Magno, quem, perculsis Per-
sis, Oriente deuicto, tot regnis potitum, tot ho-
stibus, uel domesticis, uel externis, circumses-
sum, necessaria quaedam nobilisque cura poten-
tiae, tum praesidiis sepiendae, tum armorum
terrore, in terris peregrinis, longe a domo, in
populis suspectis, muniendae, decere uideba-
tur, non humilis ista cogitatio iuuentutis insti-
tuendae. Sed hanc ille cogitationem omni
pondere grauiorem iudicauit, et, in Perside, tri-
ginta puerorum, undique delectorum, millia
Graecis literis imbui, iussit, multis magistris huic
simul rei datis. Num uero, hoc Alexandri insti-
tuto, Graece solum discebatur. Audi Plutarchum,
Alexandrum uoluisse, per Graecos, barbaris mix-
tos, per Macedoniam prolatam ad Oceanum,
Graeciam, ad uirtutis cultum, ferere. eius igi-
tur opera Graecorum sapientiam a barbaris per-
cipi, hacque, per urbes, amplius septuaginta,
ab Alexandro conditas, ceteramque Asiam, la-
tissime disseminata, homines a fera agrestique
uita ad humanitatem traduci. Sic Graeca do-
ctrina, cuius sapientia elegantiaque ipsum per-
poli-

Digitized by Google

politum eſt Latium, inter barbaros enituit, ac, tanta tum diſcipulorum, tum magiſtrorum, undique arceſſitorum, multitudine, optimarum artium ſtudia, una cum ſermone Graeco, longiſſimis ſpatiis proceſſerunt. Nullane his in ſpatiis, quibus lingua Graeca quam latiſſime in Oriente propagatur, ueſtigia cernas diuinae prouidentiae, qua prouiſum ſit, ut intelligatur futura, et interpretatio ueteris Inſtrumenti Graeca, et noui Foederis promulgatio, quae Graece ſcriptoribus ſacris eſſet conficienda. Magnus in Oriente fuit Alexander, nec minor certe in Occidente Carolus ille, qui, multitudine, uarietate, ferocia, robore, gentium uictarum ſi pendatur, cum uiris ipſe, cum feminis Macedo, pugnaſſe uideatur. Hic tamen Carolus, tot tantiſque bellis diſtrictus, tot triumphis in gradu aetatis ſuae altiſſimo locatus, neceſſitatem iuuentutis, literis imbuendae, curae habet ſibi, eamque Conciliis urget atque Edictis, auctore potiſſimum Flacco Albino ſuo, in ea cogitatione defixus, ut literas, paene iacentes, excitet, ſcholas euerſas inſtauret, nouas inſtituat, neque in Francogallia ſolum, ſed etiam in Germania. Hoc igitur uirtute ſua mereri uidetur Gabrieli Naudaeo, ut non minus literarum, quam Imperii, amplifica-

Digitized by Google

tione Magnus cenſeatur. Didicit autem ab Albino, quod hic ipſe adhuc docet, nihil ad regendum populum magis neceſſarium eſſe, nihil ad componendam optimis moribus uitam melius, quam ſapientiae decus, et diſciplinae laudem, ipſamque uim eruditionis. Artes enim liberales ſtudioſiſſime coluit, earumque doctores plurimum ueneratus, magnis eos affecit honoribus, Eginarto locuplete, et oculato, teſte. Quod ſi Carolus bonarum doctoribus artium tantum tribuit, eadem profecto re planum facit, quid ipſis tribuerit ſcholis, in quibus artes hae traderentur. Carolum certe, hoc affectum animo, uideor mihi uidere, quoties eum lego, cum Albino ſuo de Rhetorica ac Dialectica loquentem, ut diſcipulum cum praeceptore, tanta quoque cum modeſtia, ut ſaepius Albinum ſuum dicat Venerandum Magiſtrum. Hoc ne mireris, recordare ex Eginarto, quantum doctores hic Imperator uenerari conſueuerit. Albinus autem Carolo, uirtutem, proponit, atque ſcientiam, res tam claras eſſe, tam nobiles, ut expetendae non ſint propter aliud emolumentum, ſed amandae, propter ſolam dignitatem ſuam. Hac Carolo dignitate cum nihil antiquius eſſe poſſit, idem facile permouetur, ut ſcholas

Digitized by Google

las ob ipſas res tam praeclaras, in eis quae traduntur, adamet, eaque literas gratia recreet, qua paſſim nouus ingeniis, denuo emergentibus, nitor accedat. Illud autem mirum uideri poſſet, huic Carolo, aliiſque magnis gentium uictoribus, curae eſſe literarum incrementa, eis potiſſimum temporibus, quibus fortuna belli, armorumque impetus, cuncta proſtrauerint. Etenim obſeruarunt prudentes uiri, quod Caroli M. Philippi, Alexandri M. Auguſti, Marci Antonini, aliorum, hiſtoriae declarant, ita ſolere fieri, ut arma ſtudiaque floreant eiſdem temporibus, et incrementis imperiorum auctus literarum plerunque adiungantur. Cuius quidem rei cauſſam, uideo, a Gabriele Naudaeo, et aliis, ad animi magnitudinem referri, quae, ſola armorum tractatione non contenta, glorioſum putet, cum omne honeſtum, tum doctrinam, omnis honeſtatis nutricem, tueri. Sed ea in re mihi uideor altius quoddam auſpicium reperire. Solet enim Deus, ſceleribus populorum offenſus, magnos gentium domitores, ad delicta ferro ignique expianda, ſedibus ſuis excire, iram tamen ſuam hac temperare clementia, ut, belli plagis cladibuſque correctos, uelit, populos, non funditus deletos. Iam diuturnitate bello-

bellorum, militari licentia, rerum omnium confuſione, diſciplina obruitur, fas omne abrumpitur, animi efferantur, ut, ſpe pueritiae corrupta, nihil mali non ſit timendum. Contra ea, ingenuis artibus ingenia mitigantur, mores leniuntur, homines ex feritate ad manſuetudinem modeſtiamque traducuntur. Hac literarum ui ut manſuefiat indoles, aſperitate temporum ferocior reddita, Deus, qui, poenis male factorum expetitis, res afflictas erigere ſolet, beneficium tribuit liberalis diſciplinae, qua molliatur, quicquid eſt durum, et condocefactum, ad uſum uitae cultioris paretur. Quod quidem non poteſt iis mirum non uideri, qui arcanum diuinae prouidentiae, tam claris documentis proditum, minus pie ſcrutantur, cauſſis eius rei a uictorum laude, non a Deo, qui uictoribus his pro inſtrumentis tantum utitur, eiuſque ſapientia ac bonitate incredibili, ut fieri par erat, repetitis. Quanquam ergo uerum dicit Eumenius, inter omnia, quae uirtute Principum ac felicitate recreentur, nihil eſſe admirabilius, hac liberalitate, quam fouendis honorandiſque literarum ſtudiis impertiant, ſanctiorem tamen eius rei cauſſam ſi perſpexiſſet, ipſum ſane Dei conſilium ſtudiumque, ciuium mores in ſcholis componendi, eorumque inge-

Digitized by Google

ingenia ad utilitatem reipublicae inſtruendi, agnoſcere debuiſſet ac uenerari. Tantum refert, ad hoc Dei munus publico doctrinae uſu colendum, rectam iuuentuti diſciplinam praeſtari

Itaque Imperatores, Reges, Principes, ſcholis tot liberalibus priuilegia, immunitates, dignitates, attribuunt, in quibus manifeſtas honoris praecipui notas qui non cernat, is uero Tabulas inſpexiſſe non uidetur, eis de rebus promulgatas. Mirere iam ornatum ſummi ſplendoris, Academiis additum, purpuram, qua Rectores ornantur, et argentea ſceptra, iis praeferri quae ſolent. Atque hunc quidem cultum non ſola aſciuit Germania, ſed omnis Europa, ubicunque uigent Academiae. Adeo Caeſares, Reges, Principes, cum Pontificibus uidentur contendiſſe, ut nihil reliqui fieret, quod ad decorandas rebus honorificis ſcholas, altiores praeſertim, pertinere uideatur. Quanti iam illud, Academiam Pariſienſem non ſolum Primogenitam Regis Filiam dici, ſed eiuſdem etiam Rectori, in conuentibus ſolemnibus, Epiſcopos, Archiepiſcopos, et Cardinales, quibus eos nominibus hiſtorici recitant, primas detuliſſe. Ipſe uero Pariſienſis Antiſtes, cum, in prandio, Praelatis

Digitized by Google

omnibus praepoſuiſſet, ac praetuliſſet, Rectorem Pariſienſem, hoc fieri, oſtendit, oportere, quod Scholaſticae Profeſſioni Honos debeatur ac Reuerentia, ut Ioannes Launoius docet. Id ſi ita eſt, honoratur ſchola non beneficio quodam, ſed debito, propterea, quod ſchola eſt. At Veneti Scholae Patauinae Rectorem, ut accepimus, non purpura ſolum, ſed aurea etiam ſtola, induunt, abeuntemque magiſtratu, elogio doctoris honeſtant, ac, torque aureo donatum, Ordini Equitum D. Marci aſcribunt. Si ſcholis tantum tribuitur honoris, an huius nihil ſimul, uel doctoribus publicis, uel exercitationibus horum, promittas. Multum uero. Carolus quartus, Pragenſis Academiae, quam condiderat, auditorium ingreſſus, diſputationibus magiſtrorum, ut Aeneas Syluius commemorat, quatuor horas, multa cum animi uoluptate uacat, et, prandii, cuius iam tempus effluxerit, ab ſuis admonitus, Hoc, inquit, meum eſt prandium. Conſimili delectatus ingeniorum certamine, Iacobus primus, Rex Scotiae, ſaepius, ut Buchananus refert, ſcholas adit, et benignum aemulationis, doctrina exercitae, ſpectatorem ſe atque auditorem praebet. Ferdinandus Catholicus, ut Aluarus Gomezius ſcribit,

Digitized by Google

bit, Muſis regnum quaſi condit. Accedit Complutum, introit auditoria, Profeſſores, in iis docentes, audire auet. Regi Academiae Rector, reuerentia ductus, cum omnibus collegis, obuiam procedit. Sed Ferdinandus, faſces, qui praeferuntur ex more, conſpicatus, eos ſibi, uetat, ſummitti. has enim Muſarum aedes eſſe, in quibus illarum ſacerdotes regnare deberent. Ludouicus duodecimus, Franciae Rex, belli, in Italia ſuſcepti, multis urgetur grauibuſque curis. Neque eo ſecius, cum Ticini commoratur, Iaſonis Magni, qui tum interpretatur ius ciuile, fama commouetur ita, ut, non modo audire, geſtiat, illum, uerum etiam in Athenaeum comitari. Quo ut peruentum eſt, Rex, ſtupentibus cunctis, incedit Iaſoni ſiniſter, et, Hic incipit, Iaſo, inquit, tuum Regnum. Tum conſidet inter diſcipulos Magni, cum non nullis antiſtitibus, magnaque procerum turba. Hanc tanti Regis modeſtiam, quis fuerit tam immodeſtus ac ferus, qui non admiretur. Sed Pompeium tamen, ex Plinio meminimus, Mithridatici belli gloria maximum, cum Poſidonium, ſapientem Rhodium, qui publice contra Hermogenem diſputabat, audiſſet, exedraſque luſtraſſet, profeſſorum ianuis faſces laureatos ſummiſiſſe, honore doctrinarum. Mira

certe ea res uiſa eſt, ianuae philoſophi faſces ab eo ſummitti, cui ſe Oriens Occidenſque ſummiſerit, ſed ea re creſcit honos, qui literis eſt tributus a ſummis uiris. Franciſcus primus, etſi flagrat deſiderio, recuperandi regnum ſuum, domumque redeundi, non prius tamen, ut Aluarus Gomezius narrat, Hiſpania, cuius tum cuſtodia tenebatur, decedit, quam Academia Complutenſium luſtrata. Albertus, Maximiliani ſecundi Imp. filius, et Iſabella, Philippi ſecundi Regis Hiſpani, filia, cum Louanii more maiorum inaugurati eſſent, poſtridie eius diei luſtum Lipſium, de Clementia ex Seneca diſſerentem, in Athenaeo, audiunt, uenientes ultro, poſcentes etiam recitationem, inter auditores alios, comiter ſedentes. Hoc tradit Aubertus Miraeus in uita Lipſii, huiuſque ſcholam, ad Principes, ipſam adhuc legas. Quo minus puduit uiros illuſtres, cum dignitates ſuſtinerent ampliſſimas, data occaſione repetere ſcholas, atque his pariter, ac doctoribus claris, eodem tempore, ſignificationem honoris ſui dare. Vt alia, in re minus dubia, linquam, patrum memoria, ut ſcriptum eſt, legatus magni nominis Francicus, Comes Auauxius, cum Dauentriam tranſit, depoſita quaſi perſona ſua, pedes in Gymnaſium pergit, ubi

Ioannes

Ioannes Fridericus Gronouius eloquentiam profitetur. Quem, aduentu ſuo nec opinato oppreſſum, cum uidet, Tu, inquit, artem doces, quam ego exerceo. Scholae certe acceptum eſt referendum, quicquid eximii decoris, ſingularis emolumenti, ab ingeniis ornatioribus reſpublica capit. Gloriatur Graecia ingenii, doctrinae, eloquentiae, omnis elegantiae, principibus, Socrate, Platone, Ariſtotele, Theophraſto, Iſocrate, Demoſthene, Sophocle, Euripide, Pindaro, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, tot aliis omnium generum, a quorum fontibus omnis in Latium ſapientia cultuſque profluxit. Magna Latio dignitas paritur ab aemulis Graecorum, Cicerone, Varrone, Salluſtio, Liuio, Virgilio, horumque ſimilibus; quorum gloriam clariſſima ingenii monimenta omni memoriae tradent. Sed, quicquid horum, quicquid aliorum, ex omni aetate, gente, uarietate ſtudiorum, in pretio habetur, hoc quidem omne ex umbra ſcholae in lucem prolatum eſt, et, artis ac doctrinae ſuae praeſtantia commendatum, prudentibus admirationi fuit, nec minus exemplo, quod in uſum diligentis imitationis uerteretur. Sic, tradita per manus diſciplina, iuniores ſcholae profecerunt ex antiquioribus,

ribus, cumque praeſtantes ex eis uiri prodirent, magno reipublicae commodo compertum eſt, optime mentes atque ingenia ſcholarum nutrimentis ali. Hoc pro ſua, in commune conſulendi, prudentia cum haberent cognitum Imperatores, doctores publicos conſtituerunt, eiſque ſtipendia larga decreuerunt. Ex eis Veſpaſianus, qui artes et ingenia maxime fouit, e fiſco, ut Tranquillus refert, Graecis, Latiniſque, Rhetoribus aſſignat annua centena, id eſt, bis mille, et quingentos, Philippeos. Hadrianus autem, ut Aelius Spartianus auctor eſt, cum in alios, eruditione inſignes, multa uſus eſt munificentia, tum omnes Profeſſores, et honorauit, et diuites fecit. Doctores etiam, qui muneri non amplius ſufficerent, ditatos honoratoſque dimiſit. Nec uero Principibus uiris eſt pudori, ſcholas inuiſere, cum Pompeius, ex Aſia decedens, omnes Rhodi Sophiſtas audiat, ſinguloſque talento donet, ac pari ſe liberalitate Philoſophis Athenienſibus praebeat, ut Plutarchus oſtendit. Tiberius, in Rhodo, circa ſcholas et auditoria Profeſſorum aſſiduus, interdum ſine lictore et uiatore Gymnaſia obambulat, ut Tranquillus memoriae mandat. M Antoninus, iam particeps factus dignitatis Impera-

Digitized by Google

peratoriae, Apollonii nihilo ſecius domum, diſcendi cauſſa, uentitat, ut legitur apud Iul. Capitolinum. Quid denique aliud, quam ſcholas doctorum, quaerunt Iulius Caeſar, ac Pompeius, ianuam frequentantes, Ariſtonis ille, hic autem Cratippi, rogantes etiam, in tanta dignitate, ut admittantur. Quid ita. Non enim imperare ſolum uoluiſſe, dicuntur ab Aeliano, ſed recte etiam imperare. Hoc ſi praeſtat umbra, quid tandem glorioſius lux habet. Quemnam igitur ſcholae ſuppudeat, niſi qui, prudentibus imprudentiam tantam incuſantibus, profiteri non erubeſcat, ſe, quantum ſcholis publice priuatimque debeatur, ignorare. Cui autem ſit turpitudini, in ſchola docere iuuentutem, quod non ſolum huic, ſed per hanc omni etiam reipublicae, proſit. Audi Senecam nihilo minus ciuilis uitae, quam ſcholae, peritum. Nec enim is ſolum, inquit, reipublicae prodeſt, qui candidatos extrahit, et tuetur reos, et de pace belloque cenſet, ſed, qui iuuentutem exhortatur, qui, in tanta bonorum praeceptorum inopia, uirtute inſtituit animos, qui ad pecuniam luxuriamque curſu ruentes prenſat ac retrahit, et, ſi nihil aliud, certe moratur, in priuato publicum negotium agit. An ille plus praeſtat, qui

inter

inter peregrinos et ciues, aut urbanus praetor, adeuntibus assessoris uerba pronuntiat, quam, quid sit iustitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid diuinorum intellectus, quam gratuitum bonum sit bona conscientia. Haec ille, grauiter sane, ac praeclare. Vides, quam necessarium atque honorificum reipublicae munus sit doctrina, quam rari sint doctores boni, quanta ideo ambitione arcessendi sint, quanto reipublicae bono colendi

Quo reuerentius cogitandum est de Augusta Gente Austriaca, ut eius summa in literas merita, hoc quoque loco, grati animi memoria fideli recolamus. Quantum enim est, quod huic Domui, terrarum principi, Germania debeat, a Rudolpho illo Habsburgico, uelut nauis ex fluctibus marique scopuloso, seruata. Sed quantum praeterea Glorioſissimae huic Genti acceptum refert Germania, ingeniis, ac disciplinis, exculta, per illam potissimum curam, qua scholis prouidetur. Hac certe in re, omni reipublicae necessaria, nihilo minus, quam in aliis grauissimis, admirabilem se praestat Maximilianus primus, a quo, dici non potest, quantum beneficii scholae patriae acceperint, et,

Digitized by Google

et, quae ſuam in his dignitatem recuperarunt, uniuerſae literae, omnis denique, quem literae dederunt, ueruſque Germaniae cultus. Hic enim immortalis eſt omnis diſciplinae liberalis, qua floret adhuc Germania, inſtaurator, qui, diuinitus, ad Germaniam doctrina perpoliendam, excitatus, in Comitiis Vormatienſibus grauiſſime cohortatur, ut Septemuiri, in ſuis quiſque finibus, Academias condant. Eiuſdem hortatu, ipſa noſtra Academia a Friderico Sapiente, Saxoniae Septemuiro, inſtituitur, adiutore fratre Saxonis, Erneſto, antiſtite Magdeburgenſi, quem Raimundus legatus, Cardinalis Gorzenſis, auctoritate ſua impellit. Caeſaris, tam ſingularis, ductu, munificentia, praeſidio, literae Ebraeae, Graecae, Latinae, elegantiores diſciplinae, hiſtoriae, ac genealogiae, ſtudia, in Germania, uelut ſemente doctrinarum facta, in fecundam laetiſſimamque ſegetem efloreſcunt, et uberrimas omnium generum fruges optimaſque largiuntur. Ferdinandus primus, huiuſque ſucceſſores Auguſti, quo doctiores fuerunt ipſi, ac ſapientiores, eo benigniores ſe doctis, ipſiſque Academiis, praebuerunt. Vt doctos multis, magniſque, diligentiae praemiis ornarunt, ſic ipſas etiam Academias acceſſione

Digitized by Google

nouarum, in pluribus Imperii partibus, auxerunt. Gauisi maxime sunt data qualibet occasione, iuris, quo soli in Germania Caesares condunt Academias, ad altioris omnis doctrinae amplificationem conferendi. Sed, omnem maiorum gloriam altissimo diuinoque complexus animo, Carolus Sextus, cum se parentem, literis uniuersis communem, et omnis memoriae indulgentissimum, praestet, tum Academias, literarum nutrices, usque eo amat, ut doctores earum publicos, multis in locis, longe maiore atque effusiore, quam optare ausint illi, gratia saepe multumque dignetur. Viuimus adhuc in hac ipsa Academia, qui tam incredibilem Caesaris maximi gratiam taciti pie subiectissimeque ueneremur, sed mirari magis, quam laudare, possimus. Vixerunt in eadem Academia nostrate tres, qui, demigrationis interuallo haud longo, Vindobonam sunt euocati, ad munus in Aulico Imperii Iudicio suscipiendum. Si tantis una haec Academia beneficiis Caesareis cumulatur, quantus tandem numerus consimilium fuerit ineundus beneficiorum, quibus aliae tot locorum Academiae perfruantur. Quarum quidem, et eruditionis, in iis quae traditur, dignitas unde tandem potius, quam ex Caesareis his beneficiis

ficiis iudiciisque, potest apparere. Iam mihi quot quantique Germaniae Proceres essent commemorandi, si conditores Academiarum percensere uellem, quorum iudiciis eadem scholarum dignitas asseratur. Horum tamen omnium unus ad Maximilianum proxime uidetur accedere Saxo, Fridericus, cognomine Sapiens, qui tanta inter Germanorum Principes auctoritate eis pollet temporibus, ut, praeter ceteros, successione, in locum Maximiliani, dignus iudicetur. Hic, diuinae humanaeque sapientiae domicilium Vitembergae, ut diximus, collocat, tantaque huic cura ac benignitate prospicit, ut uiros doctissimos institutioni publicae deligat, aduocatosque lautis stipendiis alat. Horum fama iuuenes, ex peregrinis ac remotissimis gentibus, inuitantur, ut conferti huc confluant, ad opes omnis doctrinae colligendas, eisque locupletati, bonarum artium colonias deducunt, in pluribus Europae regionibus condendas, lateque spargendas. Quo nobilius autem nomen Academiae huius esse coepit, eo uehementius eandem successores Friderici diligunt, de quibus Ioannes, frater, eam, externo metu religionisque periculo tentatam, animi magnitudine conseruat, Ioannes Fridericus eam

Digitized by Google

nouis beneficiis fundat, Mauritius, bello diſſipatam, inſtaurat, Auguſtus, totque alii, huius aemuli, omni ſtudio tectam, multiplici beneficentia ſubleuatam, temporum difficultatibus expeditam, exornant, amplificant, confirmant. Quarum quidem rerum nihil erat expectandum, niſi optimis his praeſtantiſſimiſque Principibus fuiſſet perſuaſum, tantum reipublicae decus literarum ſtudiis contineri, ut illud non minus Vitembergae, quam Lipſiae, tuendum uideretur. Durat adhuc, in antiquis literarum monimentis, honos Prytaneo Attico, Muſeoque Alexandrino, in quibus alimenta praeberi publice ſolebant. Nec uero noſtris temporibus deſunt piae Principum, uirorumque illuſtrium, donationes, quibus, in ſubſidia ſtudiorum, alimentarii fiant. Sed conſideret mihi iam quis attentius paullo Triclinium illud, tam frequens numero, tam nationibus cunctis apertum, tam florens ingeniorum delectu, quod conuictus Vitembergae publicus, ac liberaliſſimus, inſtruit, in quo iuuenes tot populorum, tam praeclarae ſpei, iam inde a uetuſtioribus temporibus alti ſunt, e quo plurimi deinde eruditiſſimique uiri prodierunt, multa magnaque ornamenta, tum patriae, tum omnis reipublicae. Huius munificentiae, quae

Digitized by Google

quae peraeque cunctis pateat gentibus, uere regalis, exempla paria quibus in Academiis, non dicam Germaniae, ſed ipſius Europae, uel quaerenda ſint, uel inuenienda, equidem exquirere non poſſum. Adde iam duabus Saxoniae Academiis, ſororibus eruditionis exornandae ſtudio inter ſe pulcherrime certantibus, tres illas Prouinciales Scholas, inſigni Principum maximorum liberalitate atque indulgentia inſtitutas, quarum diſciplina tot egregios ſemper diſcipulos tulit, ut, cum ſaepe plures aliae multum ex labe ſaeculi trahant, hae ſtudio nitoris priſtini ſe dedant. Sed, quicquid literarum, quibus ingenia limantur, habet Saxonia, quicquid domiciliorum, in quibus bonae artes habitant, hoc profecto omne, quantumcunque eſt, Rex Maximus, Fridericus Auguſtus, ſapientia, prouidentia, munificentiaque ſua defendit, fouet, auget. Cum autem, regiam comitatumque ſuum, conſilia, iudicia, heroum, purpuratorum, amicorum, aliorum praeſtantium uirorum, tum omni uirtute, tum uero ſcientia, magnis rebus gerendis pari, uelit illuſtrari, ea ſane uoluntate ſua declarat, quid ipſi tribuendum eruditioni putet. Principum igitur, ipſorumque Regum, atque Imperatorum, iudiciis, palam demonſtra-

Digitized by Google

tis, crescit scholarum dignitas atque altius effertur, sed deprimitur, ut humile quid, atque abiicitur, quicquid scholis, ac literis, ab imperitis exprobratur.

Ex iis autem, quae disseruimus, intelligi potest, eruditos homines publicis honoribus eo digniores esse, quo maiore sint omnis generis doctrina instructi, ob eamque rem eos ad nullum dignitatis genus peruenire non potuisse, nisi, modestia, aliaue caussa quadam grauiore, retardati, abstinere a republica maluissent, neque eo secius ullum eis a cordatioribus honorem defuisse. Ne quis tamen obtrectationi locus relinquatur, ea iam diligentius aliquanto consideremus, quae P. iste Suilius, de quo diximus, Senecae inimicus, in studiis Senecae criminatur, cum eadem fere det crimini, quae uulgo in literas iaci solent. Quid ait ergo. Studia esse inertia, et iuuenum imperitiae accommodata, quae, uiuida et incorrupta eloquentia, non exerceatur, tuendis ciuibus. Homo uanus, imperante Claudio, terribilis, uenalis, sed multorum odiis nunc flagrans, qui pretio caussas, contra legem Cinciam, orauisset, eloquentiam suam ostentat, qua, in foro reque publica, se nobilitatum,

tatum, putat. Hac pernicioſe utitur, multa male et iniuſte faciens in Vrbe, multa crudeliter auareque in Aſia prouincia, ubi, direptis ſociis, crimen peculatus ſubit. Sic, in omnem licentiam effuſus, eloquentiam, quae malis defendendis, bonis exagitandis, ſpectata erat, ac reipublicae damno uiguerat, uiuidam dicit, quae corruptelis ciuium ſeruierat, incorruptam, ſed ferocia animi magis, ut loquitur grauiſſimus auctor, Corn. Tacitus, quam ratione. At Senecae, ſecum habitantis, ſtudia nominat partim inertia, quae, a laboribus reipublicae ſeiuncta, otium deſidiae perſequantur, partim inſcientiae iuuenum dedita, quae non prodeant in lucem ſolemque, ſed, in angulis ac tenebris abdita, clauſtris ſcholae coerceantur. Hanc ille dicit ſapientiam Senecae, haec philoſophorum praecepta, ſed horum ſubitam felicitatem contemnit, ut natam ex nouo ſocordique otio, atque huic opponit ueterem, ac diu partam, dignationem ſuam, tanquam ex actu rerum profectam, concertationibus forenſibus aliiſque elaboratam, reipublicae muneribus illuſtrem. Sic, iudice Suilio, obſoleſcunt artes eruditorum, iacent in puluere ignobili, planeque ſordent. Sed, has quantum rurſus, ſi quis eis defenſor opus

omob eſt,

Digitized by Google

eſt, extollit Auguſtus. Hic enim Ario, philoſopho, familiarique ſuo, quem ab hoc Imperatore Alexandriae honoratum oſtendimus, praefecturam mandat Aegypti. Eam uero, ſibi delatam, quis accipere nolit. Aegyptum enim Auguſtus, clauſtrum inter alia dominationis arcana, ſibi primum ſeponit, eam deinde equitibus Romanis committit, regum loco obtinendam, ut Tacitus ait. Honorem tamen huius praefecturae recuſat Arius, ut Iulianus ad Themiſtium ſcribit. Magnae inter Agrigentinos auctoritatis fuit Empedocles, Pythagorae diſcipulus, magnae idem ſcientiae, nec minoris modeſtiae. Itaque regnum ei tradere uolunt, ut Diogenes Laertius narrat, ſed hoc ut capeſſat, ei perſuadere non poſſunt. Tantum enim abeſt a cupiditate dominandi, ut ſatius ducat, ciuili fortunae modo uti, frugalitate regalibus copiis praelata. Crotoniatae, credo, in magna Graecia dubitaſſent, Pythagoram in alto reipublicae ſuae gradu ponere, cum ſummo ſtudio ab eo contenderent, ut, ſenatum ipſorum, qui mille hominum numero conſtabat, conſiliis ſuis uti, pateretur. At illi tantam ei tribuerunt uenerationem, ut etiam, quod Valerius Maximus ac Iuſtinus teſtantur, ex mortui domo,

Digitized by Google

domo, templum facerent, eumque colerent pro Deo. Locum, credo, in Athenienſium republica obtinere non potuiſſet, ſi uoluiſſet, Zeno, ab Athenienſibus, qui uiros gentis ſuae maximos expellere conſueſſent, inſigni nihilo ſecius honore affectus. Ipſas enim portarum claues, noua quadam teſtificatione ſuae de illo opinionis, apud eum, hominem peregrinum, deponunt, eumque aurea corona, et aerea imagine, donant, ut Diogenes Laertius docet. Cum et bellis multis grauibuſque diſtringeretur Graecia, et complures haberet occupatiſſimaſque reſpublicas, multos tulit excellenteſque imperatores, multos ſimul uiros, in luce oculiſque ciuium magnos. Haec Graecia tamen, ut Val. Maximus confirmat, uniuerſa Gorgiae Leontino, ſtudiis literarum aetatis ſuae cunctos adeo praeſtanti, ut primus in conuentu poſceret, qua de re quiſque uellet audire, primo quoque, in Apollinis Delphici templo, ſtatuam ſolido ex auro ponit, mutata conſuetudine, quam ad id tempus ſeruauerat, ceteris auratas ſtatuendi. Graecis, ſi libet, adiice Romanos, apud quos, ut Eumapius ac Suidas referunt, admiratio ingenii ſtatuam, gloriae plenam, Prohaereſio ſtruit, appoſito titulo, Regina regum Roma regi eloquen-

Digitized by Google

tiae. Sed uterque horum, quos modo nominaui, Sophiſtes fuit, hoc eſt, eloquentiae, ſapientiae, literarumque, doctrina clarus, uterque forenſi luce caruit, in auditoriis, non iudiciis, uerſatus, neuter ergo linguae uenalis, qua Suilius ſe iactat. Huius igitur utriuſque inertiae, et imperitiae, qualem in iuuenili diſciplina accuſat Suilius, quantum tribuitur honoris inuſitati. Quid autem ſimile mereri potuit Suilii, fori tabe pecunioſi, uel ſolertia, uel peritia, utraque id conſecuti tandem, ut, iuſto malitiae ſuae praemio, damnatus, adempta bonorum parte, in Baleares inſulas pelleretur. Adeo ſus Mineruam, ut aiunt, Suilius Senecam docet, hoc eſt, Suilii ſimiles, atque imperiti, doctos impudenter atque inſulſe reprehendunt. Suilius, iuris calumnia, innocentiae peſtis, noſſe debuerat, illo hominum genere, cuius ingeniis atque exercitationibus ſcholae uarii generis floreant, nihil aut ſimplicius, aut ſincerius, aut melius, reperiri. Quod quidem de Iſaeo cum pronuntiet Plinius Caecilius, tum uero idem, e contrario, de ſe ipſe, Nos, inquit, qui in foro ueriſque litibus terimur, multum malitiae, quamuis nolimus, addiſcimus. Quo aequius eſt, apud omnes bonos inire gratiam, ac praecipua laude ferri, uiros

reipublicae bono datos, Sulpicios, Papinianos, Vlpianos, horumque aemulos, qui, iuſtitiae pariter ac iuris conſulti, omni ſtudio conſilioque nitantur, ut, reuocata in forum fide, malitioſa iuris interpretatio pellatur, aſſerta iudiciorum grauitate, litigandi ſtudium, praeuaricatioque, auaritia libidoque miſerorum ſpoliis creſcendi, coerceatur. Sed unde tandem ueniunt hi in conſpectum, niſi ex ſcholis, Muciae illius ueteris ſimilibus, aut, ſub Principibus, ex duabus potiſſimum illis celeberrimis, Romana ac Berytienſi. Quod enim in his, aequi bonique ſacrariis, dicerunt, hoc ad ius dicendum, controuerſiaſque minuendas, afferunt, hoc uſu forenſi confirmant, hoc legum doctorumque ſtudio perpoliunt, ſemper tamen reſpicientes ad fontes illos, e quibus in ſcholis hauſerunt. Nemo uirtutes intelligit Scipionis Aemiliani, bello togaque praeſtantes, quin malit hunc, quam Marium, quanto optimum bello, tanto pace peſſimum. Sed quid aliud huic deeſt, niſi diſciplinae liberalis humanitas, quae prudentiam illius, aequitatem, modeſtiamque, finxit. Ergo ſcholae debet Aemilianus incrementa gloriae togatae, quibus Marium ſuperat, ſcholae etiam debent alii beneficium doctrinae, quam, cum Sci-

Digitized by Google

pione Aemiliano, magnis rebus gerendis adhibere ſolent. Haec, pro ſapientia ſua, quam ſtudio literarum aluit, conſiderans, Alexander Seuerus, Imperator, literatorum conſiliis non minus in re militari, quam ciuili, ſolet uti, ſed eo pacto memoriam ſcholarum meritumque celebrat, ſine quibus extitiſſet illorum literatorum nihil. Nullam enim conſtitutionem ſacrauit ſine uiginti iuriſperitis, quibus in ipſis profeſſores iuris, diſcipulos Papiniani, reperias, et ſine doctiſſimis praeterea ac ſapientibus uiris, iiſdemque quinquaginta, ut non minus in conſilio eſſent ſententiae, quam ſenatuſconſultum conficerent, idque ſic, ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur, quid quiſque dixiſſet. Solitus etiam eſt, cum rei militaris ſenatum haberet, accire milites ueteranos, ſenes bene meritos, locorum, bellorum, caſtrorumque, peritos, ſed omnes horum literatos, eos maxime, qui noſſent hiſtoriam, percontans hos, quid, ſimilibus in cauſſis, ueteres imperatores, uel domeſtici, uel externi, feciſſent. Duplex conſilium uides Caeſaris, qui comparatus eſt Alexandro Magno, unum togae, alterum belli, ſed utrumque eruditum, utrumque affectum honore ſingulari, cuius fructum perciperet ex literis, puerili

Digitized by Google

erili disciplina coli coeptis. Vt enim doctos, sic scholas, amauit hic Alexander, qui, Rhetoribus, tradatur, Grammaticis, Medicis, Mathematicis, aliisque, salaria instituisse, et auditoria decresse. Haec, et alia, Lampridius refert. Quid ergo minus inertiae damnes, quam literas bonas, quid minus, quam has easdem, in iuuenilis inscientiae crimen atque odium uoces

Quod si fieri iam posset, ut docti, modestique, homines indoctis atque immodestis, literarum obtrectatoribus, nondum satis sua defendisse studia uideantur, sed adhuc maledicis respondere cogantur, habent ii certe, ut alia praeteream, in promptu, cunctis e populis politioribus, illustria iudicii publici testimonia, quibus grauiter se, ac splendide, tueantur, plus etiam, quam necesse iam sit. Nam difficile dictu est, quid honoratius sit, quam, ex umbraculis scholisque, arcessi ad res praecipuas regnorum gentiumque tractandas, ascisci in amicitiam, et consilia, Principum, ad dignitates reipublicae ampliſſimas prouehi, nec minore iam splendore in luce, quam paullo ante magna ingenii fama in umbra, uersari. Haec iis, quae de honore doctis haberi solito latius disputauimus,

Digitized by Google

ſatis demonſtrantur, neque minus eiſdem ſtabiliuntur. Itaque, ne reuoluar eodem, unde aegrius diſceſſi, ex recentiorum memoria ſaeculorum unum legationum munus mente repetam, ſed tanta uel amplitudine, uel utilitate publica, praeditum, ut eo plurimae, et maximae, res rationeſque contineantur reipublicae. Quanti enim putes, hominem unum, rarius enim plures, pari praeſertim poteſtate, nunc exeunt, unum, inquam, alias ad gentes, cum auctoritate publica, mitti, qui perſonam reipublicae ſuae gerat, iure feciali res repetitum ueniat, bella componat, foedera uel antiqua confirmet, uel noua ſanciat, et tot alia publice conficiat, quibus procuretur gentium quies, communis utilitas, publica ſalus. Haec praeclare qui fecerit, eumne nos aptum ad rempublicam, expeditum ad res agendas, animo paratum, conſilii plenum, uſu promptum, exiſtimemus. Tali uero ſe uirtute multi praebuerunt homines eruditi, qui magno Principum ſtudio, amplis etiam induſtriae praemiis, ad obeundas magnis in rebus legationes, aduocari ſolerent. His enim, ſuperioribuſque, temporibus tanta erat de hominibus, eruditione claris, opinio, ut eis potiſſimum adminiſtratio

ſplen-

Digitized by Google

ſplendidiſſimarum legationum committeretur. Eam uero opinionem fortuna, motibus ſedandis, bellis reſtinguendis, pace firmanda, quiete ac ſalute gentium conſtituenda, comprobauit. Cum autem uiri, doctrina ac uirtute praeſtantes, ex ipſis ſaepe ſcholis ſumerentur legationibus gerendis, tum uero eos, hac dignitate perfunctos, haud pudebat, uel ad priſtinum docendi munus ſe referre, uel noua in Academiis ſuſcipere, quanquam multis erant magniſque honoribus, luculenta quoque ac glorioſa laborum mercede, ornati. Emanuel Chryſoloras ab Ioanne Palaeologo, ſummo Reipublicae Chriſtianae tempore, cum Barbarorum impetus ſuſtineri non poſſet, Byzantio mittitur ad Pontificem Romanum, Principeſque Chriſtianos, ut cum eis rationem ineat opis, ſibi, Orientique Chriſtiano, ferendae. Erat autem Byzantii magna auctoritate non ſolum prudentiae, ſed etiam doctrinae, ut Graeci nominis doctiſſimus numeraretur. Legatione perfunctus, manet in Italia, et Graecas literas Venetiis, Florentiae, Ticini, Romae, profitetur, Grammatica quoque Graeca ſcribit. Eius induſtria ac fide praecipue factum uidetur, ut, Italia Graecis literis, quas cupide arripuerat,

Digitized by Google

rat, imbuta, Graecae linguae cognitio in ceteras Occidentis regiones, ipſumque Septentrionem, penetraret. Illorum princeps eſt exulum Graecorum, qui Conſtantinopoli, peregrinae tyrannidis metu, fugati, in Italiam, uelut in portum aliquem tutiorem, ſe recipiunt, ſuoque Graece docendi exemplo alios ciues ſuos, ad faciendum ſimiliter, uidetur excitaſſe. Beſſarion, Georgii Gemiſti Plethonis diſcipulus, tantum temporis ſcholae tribuit, ut uiua fieret ſpiranſque ſchola, quae cunctis eruditis pateret, non minus in eius amicitia, quam bibliotheca, Venetis deinde legata. Nec ſolum plura ſcribit ad Principes Italiae, de ſedandis Chriſtianorum diſcordiis, belloque in Turcas decernendo, tum pro Platone, ad interpretandum Ariſtotelem, aliiſque de rebus, ſed ipſam etiam inſtitutionem ad Paedagogum Thomae Palaeologi filiorum. At hic tamen multis multorum generum legationibus fungitur, cum Ioanne Palaeologo, Imperatore Byzantino, primum ad concilium Ferrarienſe profectus, tum, purpura ſacra ornatus, ad Mantuanum, ad Venetos item, Germanos, ipſumque Caeſarem, ad Franciae etiam Regem, Ludouicum undecimum, alioſque, miſſus. Accedat huic, quoniam occurrit,

Graeco

Digitized by Google

Graeco Graecus, Ioannes Lascaris, quem, domo profugum, Roma excipit, et Medicea Laurentii domus liberaliter habet. Hic Byzantium, atque in Franciam, pluries, maioribus de rebus, delegatur, sed in Vrbe, suis affixus literis, moritur, extrema senectute confectus. Namque, et carmina condidit, et non nulla Polybii in Latinum conuertit, et, hominum doctorum familiaritate delectatus, eos, in emendandis libris, adiuuit. Ex ipsis autem Italis quot nominandi forent homines, summa et doctrina, et docendi diligentia, ob eam ipsam caussam administrandis legationibus ex tot aliis delecti, quod docti et erant, et habebantur. Hermolaum Barbarum quis nescit, uirum haud sui nominis, sed quem uerius Antibarbarum, et uictorem barbariae, patria fugatae, dicas. Quid enim elegantiae desideres in eius uel eloquentia, quam aetatis priscae studio limat, uel doctrina, quam ex Graecis fontibus haurit, uel industria, qua Aristotelem, Themistium, Dioscoridem, Plinium, alios, polite interpretatur. Hic scientiae liberali se totum dat, et coniugium fugit, quod literis nihil tam infestum iudicat, quam uxoris iugum, et optimarum studiis artium adeo se tradit, ut duos tantum dominos

Digitized by Google

agnoſcat, Chriſtum, et literas, ſicut ipſe praedicare ſolet. Itaque Venetiis ſcholas domeſticas, magno auditorum conuentu, inſtituit, contemptis iſtorum uocibus, qui eas perſona nobilis Veneti non ſatis dignas iudicant. Sed ex his diſciplinae penetralibus a Senatu patrio extrahitur, ad Fridericum, Auguſtum, eiuſque filium, Maximilianum, Caeſarem, ire iuſſus, ad Ludouicum quoque Sfortiam, Ducem Mediolanenſem, ad Pontificem Romanum, Innocentium octauum, ſingulari ubique beneuolentia ſuſceptus. Haud exiguae res ſunt, quas pluribus legationibus atque illuſtrioribus gerit Romulus Amaſaeus, a Pontifice Maximo ad Imperatorem Romanorum, Regem Poloniae, ac Proceres Germaniae, miſſus. Ipſe tamen, publicis negotiis perfunctus, Graecas Latinaſque literas, magna cum ingenii gloria, profitetur, eis aetatem traducit, hanc uiuendi rationem aliis, ut praeclaram optimamque, commendat. Antonius Panormitanus Lauream Poeticam capit ab Imp. Sigiſmundo, humanitatis ſtudia Mediolani tradit, ſtipendio octingentorum aureorum annuo conductus. Sed Alphonſus, rex Arragoniae et Siciliae, quibus Neapolin uirtute ſua adiicit, fortitudine ſapientiaque inſignis, Antoni-

um

um illum, ad ſe accitum, grauiſſimis negotiis, quibus diſtringitur, obeundis adhibet, cum eoque, ex amicis intimis, de rebus domi foriſque gerendis, conſilia familiariſſime capit, ei plures mandat ſplendidaſque legationes, ut hiſtoria Bartholomaei Facii docet. Huius Alphonſi filius, Ferdinandus, ut Pontani hiſtoria fidem facit, Ioanni Iouiano Pontano filium ſuum dat in diſciplinam, eius ſtylo publicas, maximis de rebus, epiſtolas, ſcribit, ei denique pleraque, ac praecipua, belli paciſque negotia committit, nedum adminiſtrationi legationum imparem eum putet. Petrus Victorius, mandato legati munere, ad complures Principes, ipſumque Pontificem, Iulium tertium, a Coſmo mittitur, eamque prouinciam multa cum dignitate ſuſtinet, ob ingenii famam, doctrinae praeſtantiam, inſignemque prudentiam, magnis honoribus ubique ornatus. Sed, rebus his confectis, actis egregie partibus ſuis, et noua Equitis atque Comitis amplitudine auctus, refert ſe multa cum animi uoluptate ad Muſas ſuas Florentinas, redeuntibus ad eum, tum aliis, tum Germanis, quorum ſingularem in ſe amorem et diſciplinae meretur fide, et literis, ad ipſos Germanos exaratis, teſtatur. Io. Baptiſta Guarinus non ſolum Itali-

Digitized by Google

ci carminis fama celebratur, ſed etiam humaniorum literarum ac philoſophiae. Hanc autem Ferrarae cum tradit, a Principe Ferrarienſi in Aulam uocatus, ei fit, in conſiliis, familiariſſimus, eius nomine complures obit legationes, ad Pontifices Romanos, Venetos, ipſum Poloniae Regem, magna cum laude rei bene geſtae. Magni refert Genuenſium, inducias, uel pacem, fieri cum Alphonſo, rege. Itaque Bartholomaeo Facio, homini doctrina claro, id negotii datur, legatione delata. Quin etiam Poggius Florentinus mittitur ad Concilium Conſtantienſe, ubi Fabium reperire dicitur, Campanus, ad conuentum Ratiſponenſem, Bembus a Leone X ad Venetos, Sadoletus a Paulo III ad Franciſcum I, ut alios complures omittam. Difficile enim eſt, omnia perſequi, neque iam neceſſe

Quo plures Francia uiros eruditos ſemper aluit, quo maioribus eos ornamentis affecit, eo minus dubitauit ſplendidas legationes doctis hominibus decernere, qui doctrinae ſtudia profiterentur, in eiſque emori, iucundum putarent. Atque etiam ipſi Franci, quanta non modo prudentia, uerum etiam doctrinae elegantia, praeditum

Digitized by Google

ditum ſibi uellent probarentque legatum, docuerunt exemplo Caroli Paſchalii, etſi in Pedemontio nati, in Francogallia tamen exculti, quem rebus honeſtarunt ampliſſimis. Hic enim pereleganti libello imaginem Legati expreſſit, qualis ipſe fuit, ab Henrico tertio ad Polonos, itemque ab Henrico quarto ad Eliſabetam Britannicam, et alio, denique ad Rhaetos miſſus. Haec autem legatio Rhaetica quanquam Vicquefortio talis legati munus habere non uidetur, qualem ipſe informat, Paſchalius tamen, illo decem annorum tempore, quod apud Rhaetos degit, perſonam, ſibi impoſitam, prudenter gerit, et ampliorem, quam maioribus in negotiis tenuit, tanta ſuſtinuit uirtute, ut inſignem locum, in ipſo Regis conſilio, obtineret. Cum ſummam, in pluribus magniſque legationibus ſuis, laudem ex uſu rerum gerendarum paratiſſimo ſuſcepiſſet, eam admiratione cumulauit exquiſitae doctrinae, quam, de Coronis, aliiſque eruditionis uariae partibus, pulcherrime commentans, mirifice declarauit. Quanquam Francia pluribus magniſque legationum documentis abundat, ex his tamen unum duntaxat ſumam, quod plurium legationum pondus habere poſſit. Quid enim. Nonne Guilielmus

Digitized by Google

Budaeus duplici legatione, ex Francia in Italiam, a Ludouico duodecimo ſibi demandata, fungitur, ut cum aliis Principibus agat magnis de rebus, quae deinde geruntur. Qualis autem fuerit hic Budaeus, ex libris, ab eo confectis, de Graeca Lingua, de Aſſe, et aliis, cognoſci poteſt, ex ipſo etiam Thuano, cui dicitur ab umbra, et puluere literario, in quibus delituerit, ad honores, et ſplendorem aulae, euectus. Re tamen bene geſta, primum amplum Scribae Regii locum obtinet, tum a Franciſco primo, nihil rogato, munus libellorum ſupplicum, quod eius gentis ampliſſimum putatur. Quid Germani. Hi, ut literas acceperunt, ſingulari earum amore nulli cunctae Europae populo ceſſerunt, nullo genere honorum, qui doctis hominibus tribui poſſent. Itaque, cum alias reipublicae partes literatis hominibus dederunt, tum poteſtatem fungendae legationis. Ac ſplendidiores quidem legationes uirorum doctorum nominari poterunt, ſed ipſa literarum dignitas, quam defendimus, nullum facile legatum literis optatiorem oſtenderit, quam Ioannem Capnionem. Hic primum a Principe Vurtembergico, Euerardo, cuius in aula uiuebat, quicum Romam iuerat, ad Fridericum Imperatorem mittitur, tan-

Digitized by Google

tantamque apud eum gratiam init, ut eius hic consilio grauissimis in rebus utatur, quae iudicia hominum eruditorum expetere uideantur. Aliam legationem suscipit, a Philippo Palatino delatam, in Vrbem ad Pontificem Maximum delegatus, ubi hominum, summa amplitudine atque doctrina praeditorum, non solum amicitia, sed etiam admiratione, floret. Hunc ipsemet Argyropylus, publicus elegantiae Graecae magister, Romae in auditorio illustri, ubi Capnio, quaedam Thucydidis Graeca recitare, eadem Latine interpretari, iubetur, utrumque facientem pulchre admirans, Graecia, inquit, exilio nostro transuolauit Alpes. Ecquis ergo fuit hic Capnio. Homo literis deditus, quas aliis tradere soleret, quarum in umbra latere, quam in aularum luce uersari, mallet. Nec uero curiae deerat, nec iudiciis, sed, quod nactus erat otii, in liberalibus studiis libentissime consumebat. Cum placeret ubique Principibus, satius ducebat, literis seruire. Hoc animo Tubingae, hoc Ingolstadii, uiuebat, hoc Stutgardiae moriebatur, domi suae. Cum autem duas quondam legationes gessisset, illud priore consequitur, ut scientiam Hebraeae linguae, cuius rudimenta a Vesselio Frisio acceperat, disciplina

Digitized by Google

na Iudaei medici, in aula Imperatoria, augeat, posteriore deinceps hoc, ut eiusdem linguae facultatem insignem, institutione Iudaei Romani perfectiore, nanciscatur. Hac instructus, dum Graecae cognitioni Hebraeam adiicit, in Germania non adiutor solum fit literarum, sed etiam Graecarum, atque Hebraearum maxime, instaurator. Has enim, praeter Graecas, pluribus in locis tradit, primus quoque Grammaticen Hebraeam Latine scribit, et Onomasticon, et alia, huius linguae studio utilia, addit. Ex pluribus Germaniae legatis, qui doctrinae studiis eminuerunt, iungatur Capnioni Ioannes Sturmius, haud segnior in iuuentute, literis erudienda. Hic, ipsius scholae Argentoratensis rector, a Proceribus Germaniae ad Franciae Regem, de pace, inter hunc Anglumque concilianda, delegatus, cum additos haberet collegas duos, potissimas huius rei partes sustinet, easque singulari prudentia gerit. Difficultate negotio, ut fit, obiecta, ex legatorum conuentu ipse Lutetiam Parisiorum proficiscitur, ab eoque comiter acceptus, et auditus benigne, magnam init gratiam, multoque iudicii Regii honore affectus, reque gesta laetus, discedit. Missas facio alias eius legationes, in Angliam, Dani-

Digitized by Google

Daniam, ad complures Imperii Principes, ſuſceptas, cum, inuitus quamlibet, adhiberetur arduis negotiis, ac deliberationibus de Regnis, rebuſque publicis, quarum turbidae res eſſent, denuo pacandis. Quis autem erat ille Sturmius. Homo umbraticus, ſcholaſtico puluere obſitus, ingeniis puerorum poliendis, ſi quiſquam alius illius aetatis, intentus, cuius etiam ea de re conſilia cupidiſſime peti ſolebant, et libri, de literarum ludis, recte aperiendis, de inſtitutione ſcholaſtica, copioſe ſcripti, feruntur. Sed uide tu, quem tarditas ingenii uel arcuit ſchola, uel expulit, uide tu, inquam, mihi prudentiam, quae latet ſub pallio, uide rerum gerendarum ſcientiam, quae omnis memoriae hiſtoria exempliſque accurate inſtruitur, uide animum, rebus gerendis paratum, qui fiduciam ſtudiorum habet, nec indiget opis alienae, praeſidiis doctrinae nixus, quam ſcholae tradunt, maxime ciuiles. Ergo neque Sturmius ueretur adire Franciſcum, neque Franciſcus Sturmium faſtidit. Immo uero familiarem Sturmio ſe praebet, eique ſtipendium annuum decernit. Idem facit Henricus II, idem Angliae ac Daniae Reges, plures quoque Germaniae Principes, et ipſi denique Imperatores, Carolus V, Ferdinandus I, Maximi-

Digitized by Google

lianus II. Sic uirtus Sturmii, ſummis probata, tractatur tam honorifice, ut umbra ſcholae tantum lucis, quantum ſummi honoris, capere uideatur. Conſulto praeterii plures Germaniae legatos, ingenio doctrinaque nobiles. Si quod tamen adhuc inſigne huius generis nomen deſideras, dabo tibi Viglium Aytam Zuichemium. Hic, natione Friſius, iuris diſciplinam explanat Patauii, Auenione, Ingolſtadii. Patauii quoque Carolo quinto, Imperatori, inſcribit Graecas Inſtitutiones Theophili, quas eruit ex Bibliotheca Beſſarionis. Carolo deinde probatus, adhibetur ab eo conſiliis, ducitur comes ad uaria imperii Comitia, mittitur, maximis de rebus, ad complures Principes, ac ſplendidiſſimis honoribus, in Belgio maxime, effertur, gratia ſimul uſus Philippi ſecundi. Sed prius, quam hoc eueniret, locum Aſſeſſoris in Tribunali Spirenſi ampliſſimum cum Profeſſione Ingolſtadienſi commutare non dubitat, maioris exiſtimans uitam, in literis degendam. Si ſatius eſt, ut aiunt, plus, quam minus, dare, quidni demus hoc Germaniae, ut uerum eius magnumque honorem, Conradum Peutingerum, ſubtexamus. Hic, Auguſtae Vindelicum natus, in Italia Patauii, et Romae a Pomponio Laeto, eruditus, com-

Digitized by Google

plures graueſque legationes ad Maximilianum I, et Carolum V, adminiſtrat. Horum utrique tam carus eſt, ut apud eos gradum Conſiliarii capeſſat. Quanquam in rebus gerendis ſpectatiſſimus eſt, nullius tamen muneris tanta difficultate premitur, quin literarum retineat ſtudium, eaſque ſubleuet, quibus poſſit rebus. Relicta propter ſenectutem republica, in nullo, niſi literarum, otio conquieſcere, iucundum putat. Opera ſolitudinis, quam uacatio publicorum negotiorum dat, oſtendunt Inſcriptiones uetuſtae Romanae, quas muris domeſticis interiorum aedium ſuarum Peutingerus inſerit, Inclinatio Romani Imperii, Paullus Varnefridus, Iornandes, Conradus Vrſbergenſis, tot alia. Hae, quas dixi, legationes habent priuatas literas, quae et legatis, et aliis, proſunt. Aliud uideas, ex Italis, in Andrea Naugerio, qui ſcripta ſua in legatione perdit ipſe. Hic, Marci Muſuri, et Sabellici, diſcipulus, ſed elegantior Sabellico, orator a Venetis ſumitur, ut eorum partes, apud Carolum V in Hiſpania, et Franciſcum I in Francia, agat. Diutius in Hiſpania moratus, cum Ioanne Boſcano, aliiſque uiris doctis, uerſatur, et plura, ut ſolet, ſua polit. Sed, Bleſis in Francia oppreſſus morbo, cum, uitam deſperans, inſtare mortem, intelligit, Hiſtoriam Venetam,

Digitized by Google

quam domi foriſque multa cura condiderat, una cum ſcriptis aliis, cremat. Videtur imitari Maronem, qui, moriens, teſtamento legare uoluit Aeneida ſuam Vulcano, ut minus emendatam. Vt Naugerii diſſimilis eſt Codrus Vrceus, qui de Muſeo, lumine non extincto, exit, et reuertens, libri, recens confecti, aliorumque ſcriptorum, cineres reperit, inopinato malo adeo turbatus, ut, furenti ſimilis, domo ſe proripiat, in ſiluam ruat. Doluit multis, hiſtoriam clarae gentis a Naugerio comburi, ab homine tam prudenti atque eleganti, tanto labore, contextam, ſcriptam praeſertim ſingulari ſtudio elegantiae Iuliae. Hanc enim, ut optimam, poſt Ioſ. Scaligerum, H. Bignonius Grotio, res Belgicas componenti, commendat, ac Tacito recte praefert. Sed Naugerio nondum ſatis limata uidebatur hiſtoria ſua, qui tam ſeuerus ſui fuit exactor, ut mirentur non nulli, ab illo, qui ſibi nunquam ſatiſfecerit, relinqui poſteris aliquid literarum potuiſſe. Haec de legatis doctis, quibus literae, uel comites fuerunt, uel ſociae omnis uitae

Quin etiam uiri, illuſtri doctrina ornati, quos uerum ſplendorem legationum, clariſſima earum lumina, dixeris, ipſimet domeſticas ſibi ſcholas, ſubſeciuis horis, in legationibus ſuis, inſtru-

Digitized by Google

inſtruere uidentur. Cum enim leuamenta curarum in ſtudiis ingenuis quaerant, praeclaros uarii generis libros, quos itineris comites aſciuerunt, uel, in peregrinis gentibus comparatos, bibliothecis ſuis adiiciunt, cupide ſuauiterque uerſant, bibliothecas inſignes frequentant, Codices in eis raros membranaſque euoluunt. Muſea uarii generis ingreſſi, theſauros antiquitatis eruditae excutiunt, Numos, Gemmas, Marmora, alia uel naturae, uel artis opera, inſpiciunt, et, quicquid obtulerit ſeſe monimentorum, maxime ueterum, conſiderant, quicquid ingenioſe ac ſubtiliter inuentorum occurrerit, ſtudioſe contemplantur, multa cum animi uoluptate. Domi hominum eruditorum, a quibus ſalutantur, ſermonibus doctis perfruuntur, interdum quoque ſtatos amiciſſimorum coetus habent, aut inſtitutos apud alios inuiſunt, nullamque uarie proficiendi occaſionem dimittentes, multarum rerum, memoria digniſſimarum, cognitione, undique appetita, gaudent. Atque etiam ſaepe, quod negotiis publicis ſupereſt temporis, ad ſcribendum conferunt, et, quae commentati ſecum ſunt, literis mandant, eaque uel edunt continuo, uel in ſcriniis aſſeruant, deinceps edenda. Nihil dixi, quod reperire non

Digitized by Google

potuerint in Ez. Spanhemio, qui eum uel Lutetiae Parisiorum, uel Londini, cognouerint, in amplissimis legationum muneribus, quibus fungebatur. Nihil fuit insignium bibliothecarum, quin excusserit, nihil hominum doctorum, quin ad eum uentitauerit, eiusque uel consilio, uel iudicio, uel sermone eruditissimo, uti consueuerit. Sed ipse quot eruditorum conuentus apud alios consuetudine sua celebrauit, ut perillustrem illum in aedibus Ducis Aumontii, quem, cultui institutum studii Numismatici, eximie collaudat ipse. Consimili hebdomadum singularum sodalitate, quae Romae praestantium hominum frequentia concelebraretur, usus quondam fuerat in Palatio Christinae Reginae, eiusque memoriam extare uoluit in editione prima operis Numismatici, quod huic Sueonum Reginae, antiquitatis omnis perstudiosae, inscripsit. Nec uero illa Spanhemiana, qua Berolinum merito gloriatur, in Germania creuit, sed in exteris potissimum regnis, ubi legationes administratae sunt. Hic etiam compositi sunt plures libri mirificae eruditionis, cuius, in alto praesertim recessu poetarum reconditae, uel excellentiam, uel amplitudinem, si expendas, mirere profecto, a legato splendidissimo grauibusque negotiorum curis districto, scribi haec potuis-

Digitized by Google

potuisse, quae summum Varronis cuiusdam, ut hic ipse loqui solet, musinantis, otium postulare uideantur. Ac primum quidem, in elegantissima illa legatione Italica, Romae natum est opus, in hoc genere palmarium, praestantiae Numismaticae, sed in Parisiensi, ac Britannica, auctum sic atque exornatum, ut nouum uideri possit. In eadem Londinensi Aristophanes animadversionibus exquisitis explanatus est, ut alia, futuro potissimum usui in aduersariis parata, taceamus. Haud minus studii nobilissimi uiguit multo ante in Hugone Grotio, qui eiusdem reginae, Christinae, Oratorem apud Franciae regem, Ludouicum XIII, egit. Tum alia secum commentatus est, quae scriberet, tum illud opus ingens, quo diuinas utriusque Foederis tabulas explicauit. Sed, quoniam, ipsius scripturae sacrae contextum secutus, sacra cum profanis conferre statuit, multis ad eam rem libris opus fuit. Itaque consedit inter aceruos librorum, eis quasi sepeliendus, ut ait Ludouicus Auberius, testis oculatus. Cum autem Grotius esset uiuum quoddam spiransque Museum, non modo a Sirmondo, Petauio, Puteanis fratribus, horumque similibus, colebatur, sed etiam ad eum confluebat, quicquid erat eruditorum, ut Socraticis eius sermonibus fruere-

tur.

Digitized by Google

tur. Quales hi ſermones eſſe potuerint, colligas ex iudicio Saxonis, gente doctrinaque illuſtris, Henrici Friſii, qui, iuuenis adhuc, Grotio familiariter Pariſiis uſus eſt. Scribens enim Lugdunum ad Petrum Cunaeum, Quem ego, inquit, uti ne uiderim, auri montes mereri nollem. Prorſus hic unus mihi inſtar omnium eſt. Haec Friſius. Qui deinde Grotium Hamburgi uidit, et magnifice de eo praedicauit. De Augerio autem Giſlenio Buſbequio quid ſentiamus. Magiſne hunc, credamus, in legatione otiatum fuiſſe. Bis enim, legatus Ferdinandi Caeſaris, Conſtantinopolin iuit. Ipſe uero itinera ſua duo, Conſtantinopolitanum et Amaſianum, non ſolum eleganter, ſed etiam tanta rerum inſignium cura, deſcribit, ut, ex eis ſe, Thuanus fateatur, in annales ſuos quam plurima tranſtuliſſe. Deſcriptionem autem legationis, apud Turcicum Imperatorem curatae, tanti facit Franciſcus Hotomannus, ut eius prudentia legati munus inſtruat, eamque lectitari uelit. Sed, praeter ea, quae legationis cura poſtulat, quantum agit, quam praeclare, Buſbequius. Antiquas enim inſcriptiones conquirit, membranas ueteres coemit, rariores plantas colligit, animalium minus notorum naturas explorat. Habet ſecum pictorem,

Digitized by Google

rem, eoque utitur ad herbas atque ſtirpes, animantes etiam uarias, accurate depingendas. Rei herbariae ſupplementa Petro Andreae Matthiolo ſuppeditat, qui ea operi ſuo inſerit, obſtrictumque ſe Buſbequio profitetur. Hoc idem facit Andreas Schottus, qui Marmor Ancyranum Buſbequio refert acceptum, et Ianus Gruterus, aliique plures, qui aetatis priſcae titulos, e ſchedis Buſbequianis, ſaepe multumque laudant. Habetis, Auditores, homines doctos ac ſplendidos, qui legationum ſuarum otia conferant in literas, harumque monimentis multa, ex omni genere, mandent. Publice ſic ipſos quoque poſteros docent ea, quae priuatim ſecum commentati ſunt, multiſque modis teſtantur, ſe, diſcendi cupidos, ſuas ſibi ſcholas inſtituiſſe domi, et, uel doceri, uoluiſſe, ipſoſmet, uel alios docere, utrumque autem eo melius fieri, quo diligentius olim in ſcholis ipſi profecerint. Adeo ſcholae, in quibus artes bonae diſcuntur, ita parant animos, ut hi, et domi et peregre, uerum quoddam mirificumque pabulum in diſcendo quaerant. Sed iam ſatis multa de praeſtantia uitae eruditae, plura etiam, quam uoluiſſemus, niſi dignitas huius uitae uiſa eſſet poſtulare, ut frequenti hominum iniquiſſimorum obtrectationi occurreremus

Digitized by Google

Felices igitur eruditos, animi ingeniique cultu, quo ueram hominum dignitatem ſuſtinent, gloria uitae communis, quam moribus ac doctrinis expoliunt, animi bene compoſiti tranquillitate, qua aetatem quietam placidamque exigunt, ſpe immortalitatis, inter mortales conſequendae, qua uitam ultra ipſum humanae naturae terminum producunt, earum denique patrimonio literarum, e quibus, una cum uiris, pace belloque magnis, plurimas maximaſque capiunt utilitates. Eant nunc, qui, ſordida praedicatione opum ſuarum, uitae, literis traductae, honeſtatem, modeſtiam, frugalitatem, in contemptionem adducere parant. Faceſſant, qui effuſis ambitus ſui largitionibus, ac falſi ſplendoris oſtentatione, doctorum hominum dignitatem imminuere conantur. Obmuteſcant, qui reipublicae gerendae peritiam hominum, omni ſcientia ornatiſſimorum, ſtudiis, honorem ſcholis, uirtutis eruditioniſque templis, detrahere audent. Felices uos, qui doctrinis lectiſſimis, prouentu diſcipulorum uberrimo, ſcriptis omni arte limatis, nomen ueſtrum feciſtis inſigne, eiuſque amplitudinem quotidianis laboribus, praeclaris operibus, augetis. Num uos [illegible] deceat, uel poeniteat, in ea uerſari ſchola, et [illegible]

[illegible]

mnis doctrinae praecepta tradere, in qua tot iuuenes egregiae indolis atque expectationis adoleſcant, qui magno reipublicae adiumento atque ornamento futuri ſint, ex qua tot taleſque uiri, omnium ordinum praeſtantiſſimi, euadant, qui plurium generum officia non Saxoniae modo, ſed aliis etiam gentibus, nauent, quam nationes externae iam olim pro fonte quodam puriſſimo coluerint, unde diuinam humanamque ſapientiam haurirent, huc ad diſcendum miſſo flore iuuentutis ſuae, hinc accitis ad docendum uiris, politiſſima quaque ſcientia inſtructis. Quin retinete uos animum, dignitatis pleniſſimum, bene merendi de hac Academia, quae, ſola illa ſacrorum emendatione, Orbi terrarum ſalutari, de nobis poſteriſque noſtris, de bonis denique cunctis, optime merita eſt, cumulate maiorum gloriam ueſtris promeritis, eamque rem, credite, non minus inſignem, ac ſtabilem ad perpetuam nominis ueſtri commemorationem, quam reipublicae fructuoſam atque optatiſſimam, fore. Felices uos, qui, doctrinae ſtudiis dediti, optimis artibus eruditi, uia, magnorum uirorum ueſtigiis impreſſa, ad immortalitatem contenditis, et copioſiſſimos induſtriae ueſtrae fructus breui feretis. Vos inſiſtitis optimi cuiuſque

gradibus, quibus in faſtigium omnis eruditionis eſcenditur, uos in antiquam uirtutem, animoſque uiriles, excitati eſtis, et noua patriae ueſtrae decora, plaudente omni uirtutum choro, paratis. Macti animis eſte, quos nullae laborum difficultates infringant, cum nullum ſit honoris, nullum commodorum, nullum ſuauitatis honeſtiſſimae, genus in omni republica, quin ſcientiam, operamque ueſtram, rei communi nauandam, expectet

Supereſt, Auditores, ut eruditi bona ſua, tam ſolida, tam ſine fuco bona, tam diuturna, quae uirtus, quae doctrina, impertit, mature norint, cupide amplectantur, ſpretis tot inanibus, quae multitudo, externarum rerum ſpecie deluſa, miratur. Haec nobis bona, tum auita, tum Athenarum noſtrarum propria, Deus, omnis doctrinae melioris fons atque cuſtos, integro patriae otio, conſeruet. Faxit hoc, ſaluo Rege, cuius tutela munificentiaque literae florent, ſalua Saxonia, quae liberali diſciplinae perfugium ſemper praebuit, ſalua noſtrate Academia, quae omnis doctrinae politiſſimae nutrix ſemper adiutrixque fuit, nullum barbariae, ingeniis infeſtae, locum unquam dedit, nec minus omnis ſcientiae,

Digitized by Google

tiae, multis atque reconditis literis excultae, quam Religionis, in pristinum restitutae, colonias, antiquitus misit, ad gentes multas longinquasque deductas

---

EVSEBIAE SOPHIAEQVE DECVS LECTISSIMA PHOEBI
QVAE VIRTVTE NITES INGENIOQVE MANVS
VOCE TVA SEV TEMPLA SONENT SEV PALLADIS ARTES
SPLENDESCANT MERITIS LAETOR VTRINQVE TVIS
PORRIGIT HIS LAVRVM QVA PINDVS CLARET APOLLO
FLOREAT HAEC OMNI LAVREA LAVDE PRECOR
TV MIHI TV MVSIS CVM SIS PERRARA VIDEBIT
ECQVANDO SIMILEM LEVCORIS ALMA MANVM

Digitized by Google

VIII

IN EXCESSVM IO. HENRICI NOBILIS DOMINI DE BERGER

A. clɔ lɔ CCXXXIII

VII CAL. DECEMBRES

Si unquam moestus in concionem prodii, ac graues moerendi cauſſas habere mihi uiſus ſum, hoc profecto tempore, ſic perturbatus ad uos, Auditores, uenio, ut, quantum animo, tantum corpore, langueſcam, ſic momenta perceptae moeſtitiae conſidero, ut facilius materiam doloris uberrimam, quam ullam eius medicinam, reperire poſſim. Hic enim mihi dies, quo Vindobonae, ſuperiore anno, deceſſit Ioannes Henricus Bergerus, uulnus, obitu illius inflictum, refricat, hic praeteritae calamitatis, haud ſimplicis, imaginem, quaſi praeſentem, ante oculos mihi proponit, hic eas denique mihi curas ſolicitudineſque in memoriam redigit, quibus, ſi non ſolutus omnino atque expeditus, at leua-

Digitized by Google

tus certe quodam modo, mihi uidebar. Recordor enim, orbari me fratre deſideratiſſimo, qui nomen familiamque noſtram magna dignitate ornauerit, nec minori me caritate complexus ſit. Recordor, non tam fratre me orbari, quam patre, a quo certe ea ſint in me profecta, quae potuerint a patre in filium proficiſci. Recordor, hoc amoris fraterni ſolatio tum me priuari, cum, uix dum elato cariſſimae atque amantiſſimae uxoris, Catharinae Sophiae, funere, oculis adhuc lacrymantibus, ex ſubita rerum mearum commutatione, grauiter dolerem, luctumque domeſticum nulla prope re magis ſuſtentarem, quam ſalute fratris, mihi pietate filii culti ſemper, ac ſemper colendi. Nam patri uitam debeo, ſed, quo minus eidem ſimul educationem deberem, mors eius impediuit, quem puerulus adhuc amiſi. At frater hic, quadam ingenii facultate iam clarus, ſua mihi cura ſubuenit, ſuſceptaque patris perſona, et adoleſcentiam meam prudentia rexit, et literarum ſtudia conſilio iuuit, et fortunam, quibus potuit, praeſidiis conſtabiliuit. Haec autem, et alia, quorum nunc in mentem uenit, quantas mihi dolorum faces admoueant, facile iudicari poteſt. Itaque triſtitia, qua omni ex parte obruor, in tan-

tas

Digitized by Google

tas adducor angustias, ut, consilii quid capiam, constituere uix possim

Sed, quoniam moerore, in rebus asperis, nihil proficitur, uincat tristitiam pietas, ita rectum tenens, ut ipsas quoque lacrymas improbet, quibus officium uioletur. Hoc autem tempore supremum pietatis officium, et postulari a me, uideo, et recusari non posse, re considerata, intelligo. Nam datae mihi sunt partes, fraternam memoriam oratione anniuersaria recolendi, quas ultro mihi sumpsissem, nisi uiribus meis, angore animi debilitatis, fuissem diffisus. Etsi enim dies aegritudinem dicitur adimere, iamque annus est a morte fratris, uulnus tamen, quod ea accepi, tam graue fuit, ut, diligentiore eius cogitatione, facile dolor rursus ingrauescere possit, qui alleuatus aliquantum uidebatur. Sic animi pendebam, incerta, metusne maioris, an pudoris, opinione suspensus. Quanquam enim uerebar, ne suscepto negotio male fungerer, suppudebat tamen me tergiuersationis, qua obseruantiae, piis manibus declarandae, mora uideretur interponi. Omnes autem hos, qui me pupugerunt, scrupulos euellit praesens animi religio, quae, intimo sensu commota, conqui-

Digitized by Google

conquieſcere prius non poteſt, quam munus obſequii ultimum executa ſit

Huic tamen inſtituto uidetur intercedere prudentia, ſolemnemque fratris laudationem, quaſi minus uel modeſtam, uel uſitatam, diſſuadere. Ne dicam, olim Iulium Agricolam, ſocerum, integro libro, a genero laudatum fuiſſe, Cornelio Tacito, ſuam etiam, conſtat ex hoc ipſo, pleroſque uitam, fiducia morum, narraſſe. Aetatis priſcae iudicio, memini, conſilium, funera ſuorum laude proſequendi, ab immodeſtia infamiaque tantum afuiſſe, ut hoc in primis pium duceretur. Hac enim mente Iulius Caeſar, iam quaeſtor, non amitam ſolum, Iuliam, ſed uxorem etiam, Corneliam, mortuas, e more, ut accepimus, pro roſtris laudauit. Idemque honos tributus eſt auiae Iuliae ab Auguſto, matri Popiliae a Catulo, uxori Druſillae a Lepido, Poppaeae Sabinae a Nerone. Quanto minus ergo dedecuerit, fratrum mortuorum laudes, iuſtas praeſertim, praedicari, ſicut praedicatae ſunt a magnis, clariſque, uiris. Ne longius abeam, ex antiquis in promptu eſt Gregorius Nyſſenus, qui memoriae Baſilii, nomine ac uirtute Magni, conſuluit, de nouis, Hadrianus Valeſius,

Digitized by Google

qui famae seruiit Henrici Valesii, uterque pius in fratrem, uterque copiosus fratris disertusque laudator

Sub his exemplis, dum meae pietatis operam fratri nauo, prudentum, paulloque aequiorum, offensionem hoc minus extimescam, quo longius ab omni ostentatione ac uanitate remouebor, alienus ab omni confictae laudis consectatione, atque, ut sola rerum, quarum testimonia non dubia suppetunt, fide, sic presso demissoque dicendi genere, contentus. Hoc enim institutum in ultimam fratris nostri uoluntatem maxime cadit, qui simplicem uitae suae, literis mandatae, commemorationem sibi poposcit, credimus, ne quid, in ea quod emineret, sibi tribuere uideretur. Nam cuncta, quae prospere sibi euenissent, soli Deo, omnis fortunae auctori, eiusque bonitati, accepta referre consuetuit

Vos, Auditores, quae uestra est animi aequitas, date, quaeso, hoc uiri, qui neque praesens quondam, neque absens postea, nostratis Academiae decus unquam commodumque neglexit, memoriae, date meae etiam, cuius munere defungi statuo, pietati, ut mihi, breuiter dictu-

Digitized by Google

dicturo, ueſtrae in audiendo benignitatis aliquid impertiatis. Me ſicubi, non tam, uel ingenium, cuius nihil habeo, uel eloquentia, cuius nullam mihi partem arrogo, quam animus, dolore perculſus, deſerat, languenti, oro uos atque obſecro, mihi ſubuenite, labentem excipite, illa humanitate ueſtra, qua nemini ſoletis deeſſe

Natus eſt Ioannes Henricus Bergerus, Gerae in Variſcis, Anno cIↃ IↃc LVII, quarto Calendas Februarias, Valentino Bergero, et Margaretha Catharina Faſchia, quorum ſe cur poeniteret, cauſſae nihil, dum uixit, habere ſibi uiſus eſt. Faſchia gens in Toringis olim floruit, necdum obſoleuit. Erant, qui, conſanguineos ſe profeſſi, maiorum imagines ex Belgio commemorarent Valentino, ſed gentis, auitis ſedibus excitae, exilium potius, uagum atque calamitoſum, quam ſedes certas, et priore fortuna dignas, in Germania Pannoniaque, referre uiderentur. Itaque, nec pater Valentinus, huic ſanguini, qui altius petebatur, plus debere, uoluit, quam uirtuti ſuae, nec filius eius, Ioannes Henricus, aliunde ſplendorem mutuari, aliis potius rebus, quam externis, captus. Etſi enim hereditatem, haud tenuiſſimam, adiit,

Digitized by Google

lautiſſimi tamen patrimonii fortunas iis non inuidit, qui opulenti, quam boni, eſſe mallent. Ipſe fundamentum fortunae in uirtute, uirtutis praeſidium in bonae frugis diſciplina, conſtituebat. At diſciplina magnam uim capit ab inſtitutione domeſtica, neque paruam, ab exemplis, in medio ſitis. Vtrumque indolis, quam natura tribuerat, excitandae adiumentum in ſanctitate parentum curaque habuit, nec ſimul aliud, ſuis accommodatum ſtudiis, deſiderauit. Quam priſcae enim doctrinae fuerit, ac uariae, Valentinus, loquuntur eius ſcripta, quam ad ingenia, praeceptis inſtitutiſque formanda, idoneus, diſcipuli oſtendunt, qui, reipublicae, compluribus in partibus regundae, admoti, multas ampliſſimaſque dignitates geſſerunt. Hoc uſus ille, tam patre, quam magiſtro, omnium maxime fideli, in ſinu eius gremioque creuit, nec paruam ſui expectationem concitauit

Eam mox auxit Halis Saxonum, quo cum patre profectus eſt, urbe iam tum, et liberaliſmis ſtudiis, et iuuenum ſtudioſorum frequentia, ſic affluente, ut Academiae, quam Lyceo; ſimilior uideretur. Memoria teneo, me ex illo audiſſe, cum diceret, hic ſe, non ſolum politio-

re,

Digitized by Google

re, sed etiam subtiliore, doctrina impertitum, facile res confeciſſe, quae saepe acriora condiſcipulorum ingenia fatigauerint. uiguiſſe tum Dialecticas exercitationes, sed multos familiarium, neque indoctos, argumentationum tortuosarum laqueis exuere se non potuiſſe. quos ipse nodos, e coetu discentium euocatus, haud aegre cum diſſoluerit, ea se intelligentia praeceptoribus docilitatem suam probaſſe. His deinceps artibus multum gratiae habuit, easque, praedicauit, magno sibi fuiſſe usui in iure reddendo, siue, quod in quaque cauſſa uerum esset, perspiciendum foret, siue falsum e latebris extrahendum, siue, confusa, oporteret, suo distingui ordine, siue fallaciis obscurata, certo quodam expeditoque iudicio definiri. Eiusdem se facultatis auxilio, in senatu iuridico, et accuratius, et promptius, recensere solitum acta, non solum grauium, ac saepe impeditiſſimarum, sed complurium etiam, diſſimillimarumque, cauſſarum, quarum alias super alias, continenti serie, eodem conuentu, summatim expoſuerit et expedite. Sic eandem sibi scientiam, et iudicii, et memoriae, subsidium praebuiſſe. Haec ille, quae aliquo etiam librorum editorum loco, quod meminerim, annotauit

Digitized by Google

Halis Lipſiam digreſſus, ſtudio iuris ſe dedit. Etſi multis iam doctrinis eruditus erat, reuerentius tamen hoc ſtudiorum genus habuit, quam multi ſolent, fatis quaſi eum ducentibus ad maius quoddam negotium, illa in diſciplina conficiendum. Hanc enim diuini humanique iuris intelligentiam, non in compendiorum, ſatis plerumque aridorum, riuulis, ſed in fontibus, quaerendam, iudicauit. Qui quidem fontes cum latius pateant, ad eos, uidit, combibendos amplioris doctrinae peritiam requiri. Ad uiros igitur, uaria claros eruditione, ſe contulit, ex iiſque coluit in primis Francoſtenium, Rappoltum, Albertum, Meneccenium, Fellerum, Rechembergium, quos ſua ſibi modeſtia deuinxit. Horum, tum opera, tum conſilio, uſus, philoſophiam, maxime de moribus, reque publica, hiſtoriam, antiquitatem, praeſertim Romanam, ipſam quoque ſanctiorem, politioris humanitatis cultum, maturiore iam iudicio, et exquiſitiore diligentia, percepit. Sacris etiam doctoribus, Scherzero, Carpzouio, Oleario, multum operae dedit, non modo ad myſteria diuina plenius addiſcenda, uerum etiam ad ipſas legum ſtirpes omnibus ueſtigiis indagandas. Romanos enim, animaduertit, a Graecis, Graecos ab Aegyptiis,

Digitized by Google

gyptiis, Aegyptios, qua ſapuerint, ab Hebraeis, leges accepiſſe. harum autem ſanctitatem non aliunde, quam ex monimentis ſacris, arceſſendam eſſe, ſi quidem ab origine ultima ſit repetenda, et omnis labis expers eſſe debeat, diuinaeque menti coniuncta. Ea uero Theologorum conſuetudine id conſecutus eſt, ut, poſtero tempore, iuris diuini receſſum nauiter perquireret, accuratiuſque de ſacris diſſereret, philoſophica praeſertim adiutus ſcientia, qua res, in controuerſiam adductae, in arctum cogerentur. Sed haec, quae, in multiplici doctrinarum genere, exploraverat, ad iuriſprudentiam, latius apparandam, cuncta referebat

Huic igitur ſe totum tradidit, duces auctoreſque complures, ac ſcientiſſimos artis ſuae, nactus, quorum nihilo minus, quam ceterorum, ingeniis Lipſia, omnis ſapientiae nutrix, egregia praeclaraque, florebat. Aderat Cramero, uentitabat ad Geiſlerum, conueniebat Carpzouium, alios ad amicitiam adiungebat, quibus cum uerſari, operae pretium foret. At uero Suendendorfero, ac Bornio, praeter ceteros, ſe dedebat, nec tantum, his myſtagogis, in adyta diuini humanique iuris penetrabat, ſed, datis

datis etiam, quae ſpectarentur in publico, ſpeciminibus, eorundem auctoritate permotus, ipſe legitimam ſcientiam aliis interpretabatur. Quanquam deinceps, horum praeceptorum ſuorum mentione forte facta, nihil eis honoris habere non ſolebat, Iacobi tamen Bornii memoriam haud alia pietate, quam filii, colebat. Hunc enim ſtudiorum ſuorum auctorem profitebatur grauiſſimum, hunc fautorem commendatoremque perpetuum, et quaſi fortunae ſuae, in Saxonia fundatae, principem, huius iudicio, conſilio, auctoritati, in omni re maiori gerenda, tantum tribuebat, ad eius ut exemplum conformari maxime uellet. Nec uero aliter ab illo de tanto iudicatum fuiſſe uiro, ac dignitas eius poſtulauerit, aſſentientur facile, qui merita Bornii illuſtria non ignorant

Aliquanto iam diutius, quam initio ſtatuerat, Lipſiae commoratus, lenam demigrauit. Huc enim ſaepius iam cogitauit, memor amicorum, quos ea in urbe multos pater habebat, memor literarum, quibus pater eodem aliquoties, ad publicum docendi munus, erat inuitatus. Sed hic nullam reperit cauſſam, qua re locum nouo domicilio mutaret, quem copio-

Digitized by Google

pioſum ſatis iam nactus erat, nec minus aptum, ad inſeruiendum diſciplinae liberali. Filius autem, etſi honoribus iuriſprudentiae, pro doctrina iam parta, capeſſendis, haud immaturus putabatur, ab horum tamen cupiditate longius aberat, alio penitus animo affectus, quam uideas in multis. Illis enim temporibus, ut ipſe ſolebat narrare, homines, non tam honoribus ornari, quam honores ornare, uolebant, nec tanto impetu, quanto poſtea, ad ambitum ferebantur, et ipſe iuris utriuſque doctor eſſe malebat, quam uideri. Doctrinae igitur locupletandae ſtudio incenſus, eo ſe, gaudebat, delatum, ubi multiplicis eruditionis prouentum, et uelut alteram quandam Berytum, inueniret. Praeclaris enim Salana iureconſultis uere gloriabatur, Struuiis maxime, Lynckeris, Schilteris, qui quidem rectius operibus ſuis, quam ullius praedicatione, cenſentur. Magni enim ſunt auctores, totieſque laudatis uiris laudati, quoties diſcentium ſtudiis ab iis proponuntur. Ac, Schiltero quidem, incredibile eſt, quantum uel iuris intelligentia, enucleatius praeſertim atque ornatius tradita, debeat, uel hiſtoria, omniſque antiquitas, una cum ipſa philoſophia, ad intelligentiam uſumque iuris accommodatae, uetuſtas

Digitized by Google

denique Germanica, cuius thesauros, ante id tempus obliuione obrutos, inuestigatoris tam singularis sagacitas e tenebris eruit, in lucem aspectumque prolatos, scholis luculentis illustrauit. His, ille, triumuiris familiariter usus, quam bonas haud perdiderit horas, existimari, uel me tacente, potest. Iidem uero, Dialecticis legibus ad differendum adhibitis, cum subtilius docerent atque enodatius, ea profecto re nihil iucundius accidere poterat homini, philosophandi scientia haud leuiter imbuto. Itaque neruosa Struuii breuitate capiebatur, Struuius uicissim limatiore discipuli ingenio delectari solebat, quoties hic, uel, ingressus eruditorum circulos, acumen explicaret, uel, motis domi scrupulis, institui uellet. Struuio certe cupide perfruebatur. Eiusdem libros adamabat, illum maxime, quo iurisprudentia fori, breuiter quidem, sed concinne admodum et exquisite, exponitur, eumque postea familiaribus, et commendare, consueuit, et enarrae. Hic illi libellus occasionem caussamque dedit operis condendi, quod Oeconomia Iuris inscribitur, neque doctis uidetur displicuisse. Saepius enim ad prelum est reuocatum, frequentique sui usu, tum aliis iudiciis, tum summo Imperii Aulico, ut audio, ualde pro-

Digitized by Google

probatum eſt. Multam etiam, ſelectamque, Lynckeri doctrinam arripuit, ſed iuris publici prudentiam cupidiſſime, quae ab illo perinde, ac Schiltero, magnam eruditionis lucem accipiebat, non tam ex argumento iuris Romani alieniſſimo, quam ex fontibus rerum legumque patriarum domeſticis, hauſta. Lynckero quoque arbitro, doctrinae certamen iniit, ac, ſtrenue defenſis, quas ex antiqua iuris penu eruerat, ſententiis, arctius eum ſibi coniunxit, nec modo praeſentis beneuolentiam retinuit, uerum abſentis etiam. Hoc enim ipſo ſuaſore, in eiuſdem, Vindobonam, ad munus, in Tribunali Imperii Aulico ſuſcipiendum, acciti, locum expetitus eſt, uerum pluribus retardatus cauſſis mutandae ſedis. Eodem deinceps conciliatore, Purpuratis Aulae Auguſtae adeo commendatus eſt, ut, eorum iudiciis probatus, eorum commendatione ornatus, ad eundem Senatum ampliſſimum aſcriberetur. Sed haec multo poſt euenerunt. At, Ienae adhuc diuerſatus, eodem, quo Lipſiae, conſilio cum iuris ſcientia literas alias, quae adiumento ſibi ornamentoque forent, copulauit. Has autem literas Boſius, Sagittarius, extremo etiam tempore Schubartus, ex omni ſaeculorum memoria, ex alia quoque lautioris diſciplinae ſupellectili,

Digitized by Google

depromptas, multo eruditae humanitatis ſale ſpargebant. Nec uero faſtidiebantur, Velthemius, Vueigelius, Poſnerus, Schmidius, uiri ingenioſi, et ſapientiae ſtudiis clari. Placebat etiam acumen Muſaei, euidentia Becmanni, concinnitas Baieri, Theologorum certe nobiliorum, multaque doctrinae fama. Sed rei, cui ſtudendum eſſet, caput erat iuriſprudentia, quo cuncta ſpectarent. Hanc interim, ut Lipſiae nuper, non modo diſcit, ſed etiam docet, ac docendo rectiſſime diſcit. Habet enim ſui percupidos, quos, opinione ingenii, alliciat ad auſcultandum. Cum, multis ſtudiorum occupationumque curis diſtentus, omnes ingenii et induſtriae neruos contenderet, nihilo minus ſibi nihil agere uidetur, niſi prodeat in aciem ingeniorum, diſputantium argumentis, uelut armis ſapientiae, inſtructam, factaque ſui copia, uires experiatur. Hortatur eo priſtinus diſputandi uſus, quo domi iam, in diſciplina patris, inſtitutus erat. Hortantur eodem proximae eiuſdem generis exercitationes, quae, Lipſiae interuallo quodam repetitae, ac nauiter continuatae, et animum, acuerant, et ingenii uires. Proinde, in hac ingenii palaeſtra, ille, non expectare iam decertantes, ſed quaerere, nec ſubſiſtere tantum laceſſentes, ſed etiam haud imbelles, haud ignauos, prouoca-

re,

Digitized by Google

re, ac ſaepius uincere repugnantes. Rei, bene multis modis adminiſtratae, fama in turbam exeunte, eſſe iam in oculis eruditae ciuitatis, aſpici paſſim acrius, monſtrarique, coepit. Exoritur nouus complurium fauor, qui eum ſibi ſtudiorum ducem legunt, eumque ſua audiendi cupiditate magiſtrum declarant, in iuris cognitione, ex fontibus deguſtanda, non poenitendum. Hos ille, docendo diſputandoque, ſic exercet, ut iſtis magnopere proſit, nec parum ſibi. Ea uero nobis, per otium, animi cauſſa, iucunda rerum praeteritarum recordatione, cum narraret, non infitiabatur, ut alat aemulatio ingenia, ſic eadem ſe a puero fuiſſe accenſum. quantum degeneris animi ſodales reſpuerit, tantum ſe bonos atque doctos amaſſe, ſed his tamen ipſis, uirtutis laude, concedendum, non putaſſe. infixum ſibi in animo fuiſſe ſtimulum gloriae, quem aequalium, aut ſua duntaxat mirantium, oſtentatio, uel meliorum etiam admiratio, multitudini iniecta, non obtuderit, ſed exacuerit, admirandum in modum. temperare igitur ſibi non potuiſſe, quin uirtutem periclitaretur, aliis laudi datam. eam, re comprobatam, ſi reperiſſet, merito ſuo haud fraudaſſe, ſed, ab ea, tamen, abeſſe longius, noluiſſe. ſin falſam atque ina-

Digitized by Google

nem cognoſſet, ſine mora ſpreuiſſe. Hoc animi, affirmabat, ſibi, tum iuueni, fuiſſe. ſed iſta tunc aetate ſibi cognitum, quod adhuc, aetate prouecta, certum habeat, nulla re magis, quam diſputandi ſolertia, uel explorari ingenia, uel ad iudicandi celeritatem expediri, uel etiam in uindicando tuendoque uero confirmari. hoc tamen diſceptandi genus, rationibus, inter ſe placide collatis, eſſe fulciendum, ordine aſtringendum, ab omni libidine nugandi ac rixandi ſeiungendum, ut aequali modeſtia prudentiaque gubernetur. ea quidem ratione, ſapienter inſtituta, quantum iudicio roboris, ordinis, facilitatis, accedat, id uero iuris peritos, in ſtrepitu forenſi, in tribunalibus, in adminiſtratione rerum grauiſſimarum, omni denique tempore iuris dicundi, quotidie edoceri. ſe ipſos autem, atque alios, fruſtrari eos, qui, diſputandi exercitatione, linguae tantum procudendae captioſaſque concluſiunculas redarguendi, inſtrumentum, in exedris Academicis, quaerant. tantae rei, quae latiſſime pateat, momentum longe grauius eſſe. uitam enim iuriſconſultorum, quibus in omni cauſſa, uerum a falſo, aequum ab iniquo, diſcernendum ſit, perpetuam eſſe diſputationem. Haec ille

Cete-

Digitized by Google

Ceterum Ienae, inde enim diuertit oratio, de ſtudiis auditorum tam bene meritus iudicatur, ut nemo dubitet, quin locandus in gradu doctoris iuridici uideatur. Ipſe, nihil cunctatus, nomen ſuum rite profitetur, ſcientiae exploratoribus ſui copiam facit. Supereſt, ut, certamine palmario, cuius cupiditate flagrat, in publico ingeniorum conflictu, defunctus, laurea, praemio laboris, potiatur. Huc intentum, grauiores, quae conſilium eius interpellant, fortunae conſtituendae rationes Lipſiam reuocant, eodemque, tergiuerſantem quamlibet atque renitentem, fatum, quod alia ex occulto machinatur, omni dehortantium auctoritate potentius, eum reducit.

At ille, ut Lipſiam reuertit, alia primum parat. Mutata deinde ſententia, partibus, quas maiorum mos alumnis iuriſprudentiae iam probatis imponit, ſumptis denuo expletiſque, honores, dudum ſibi deſtinatos, ſuſcipit, eoſque noua deinceps uirtute tueri ſtudet. Proſpera ſunt incepta, parata auditorum beneuolentia, acre doctoris, recens creati, ſtudium, prompta iuris interpretandi diſſerendique facultas, non interrupti labores, ipſaque audientium alacrita-

te

te ſuauiter augeſcentes. Nec coeptis laus defuit, neque laudi, ut fit, obtrectatio, ſed hanc animi conſtantia ſuſtinuit, uirtus obtriuit. Ipſa quidem inuidia animum, officii conſcientia ſuſtentatum, ad meliorem ſpem erexit. Haec enim uidebatur oſtendere quiddam, haud ſpernendum, quod, in alio fulgens, cerneret, nec ferre more ſuo poſſet. Cum fama ingenii accreuit fortuna, haud ingrata laborum merces. Fauit enim eius dignitati, cum ei nunc, in Eccleſiaſtico ſenatu, locum aſſeſſoris tribueret, aliumque, in ordine iuridico capeſſendum, eidem deſtinaret. Atque ad hunc quidem honoris gradum multi aſpirabant, ſed ad eum perueniebat ille, ceteris antelatus. Noui muneris noui labores. At, neque hos reformidabat, neque alios, laboris ſane tolerans, eiuſdem appetens etiam, cum doctrinae praeſidiis inſtructus eſſet, nec inops conſilii, agendoque promptus. Haec enim uere poſſumus praedicare, quae ille comprobauit omni uita ſua, nec ſine naturali quodam bono. Quicquid igitur nouarum acceſſerat occupationum, nihil afferebat languoris, nihil quoque timoris. Multum, contra, animi addebat felicitas negotii ſui bene gerendi, multum occaſio facultaſque uirtutis, uel conſiliis domi dandis,

Digitized by Google

dandis, uel cauſſis in foro orandis, latius explicandae, multum ſpes amplificandae dignitatis, ampliorum denique expectatio commodorum. Nec ſpes fefellit. Nam, collecta multorum gratia, qui plurimum auctoritate poterant, idoneus habetur, qui maioribus ſeruetur incrementis, et amplius induſtriae ac laudis curriculum adipiſcatur. Dubium certe non erat, quin tradendae iuriſprudentiae prouinciam, publice adminiſtrandam, nanciſceretur, ſi qua uacare coepiſſet.

Sed, Lipſiae quod ſperauerat, hoc ſibi, nec opinanti, literis, Vitemberga miſſis, uidet, offerri. Huc ut uenit, in cuncta recipitur collegia, quae profeſſioni iuris patent. Allectus mox eſt in ſenatum Luſatiae inferioris prouincialem; et, intermiſſo quodam tempore, Dreſenam accitus, ut in decretorio prouocationum Saxonicarum tribunali locum ſimul obtineret. Procedente tempore, per ſucceſſionum Academicarum gradus, primum aſcendit ordinis ſui, neque huic ſolum praefuit, ſed alteri etiam curiae, in qua cauſſae ſanctioris fori diſceptantur. Adeo, felici rerum curſu, nihil iuridicae dignitatis illi Vitembergae non tribuebatur, plus etiam identidem deferebatur ali-

Digitized by Google

unde, quod omitto. Sed, primo aduentu, in collegas incidens, doctrina, auctoritate, nominis dignitate, praestantes, reperit certe, quorum conspectu exemplisque moueretur. Venit enim in mentem recordari, quantum, cum aliis, tum Caspari Zieglero maxime, ac Vilelmo Lysero, tribuere consueuerit, his duobus potissimum, professus, auctoribus, se, in respondendo iure, multum profeciſſe. Apud Zieglerum certe filii locum tenere uisus est, cui gratiam ut referret, non secius eum, quam patrem, reuereri solitus est, dum uixit. Tot stadia, quae curreret, adeptus, quot munera, in cursu relangueſcere, nedum deficere, foedum ducebat. Illi, pro necessitudine nostra, familiariter affui, assiduos eius labores uidi, saepe miratus, ab eo nullum animi relaxandi locum quaeri, sed, ipso in otio, de negotio continenter fere cogitari. Vt enim ager mutatis seminibus gaudet, sic ille mihi, laborum mutatione, recreari uidebatur. Neminem certe audiui, qui patientiam laboris in eo desideraverit, multos, qui, tolerantia laborum, horumque alacri, et felici, perfunctione, pares ei putauerint haud multos. Erant, qui subtile, distinctum, neruosumque, docendi genus ei darent. Erant, qui, iudicii uim, consilii copiam, insignem

insignem expromptamque legum memoriam, usum rerum, ei concederent. Erant, qui, commendationem oris, uocis suauitatem, mixtam modestiae grauitatem, in eo laudarent. Noui, quibus placeret scribendi genus, non tam flosculis ornatum, quam rerum copia confertum, non tam ad aurium uoluptatem, quam ad ueritatem, compositum, non redundans, sed pressum, quod iurisconsultum decere uideretur. Addebant alii, ac ponebant in laude, elegantiam styli Germanici natiuam, quae uerborum, maxime propriorum, delectu, copia, collocatione, totius orationis perspicuitate, contextu, numero, commendaretur. Quo quidem, haud scio, an referendum sit id, quod nuper mihi dixit iureconsultus quidam Vitembergensis, hic, Vitembergae, duo omnino scripturae genera excellere, quae responsis, in senatu iuridico reddendis, adhibeantur, alterum quidem Bergerianum, alterum Schroeterianum. De quo tamen ipsi uiderint, qui nunc adsunt, iurisconsulti, ne quid affirmare uidear, quod cognitum non habeam, sed auditum

Taceo plura, et illa, quae audita retuli, aliis existimanda relinquo, ne quid immodestius

Digitized by Google

de fratre, qui laudis meae non eget, pronùntiaſſe uidear. Vidi tamen ſcholas eius, ipſas etiam obii, tam publicas, quam priuatas, auditorumque frequentia celebratas. Audiui crebro diſputantem, auditorium eius uidi conuentu copioſum, in expectationem erectum, attentione tranquillum. Noui quam plurimos, quos diſcipulos habuit, multis, atque ampliſſimis, dignitatibus perfunctos. Noui eorum permultos, qui adhuc in magiſtratibus, in uario munerum genere, in Academiis, in Aulis, amicitiaque Principum, uigent. Neque uero hos Saxonia modo ex diſciplina illius accepit, aut populi finitimi, ſed remotiſſimae etiam gentes. Haec, mihi, cogitatione pertractanti, illud ſaltem uidetur colligendum, eorum, quae dixi, futurum nihil fuiſſe, niſi praeſtitiſſet ille quiddam, loco perſonaque ſua dignum

Sed, adeſſe, uideo, qui partim illius collegae, partim auditores, partim amici, fuerint, uiros, ſumma munerum amplitudine, inſigni auctoritate, ſpectata grauitate, incorrupta fide. Quibus quidem cum omnis illius uita, omnis agendi ratio, ſtudia denique omnia, cognita ſint atque perſpecta, hos ego iam, hos, inquam, appello

Digitized by Google

pello, horum ſit iudicium, horum quoque teſtimonium, quam praeſens, tam probatum. Ex his quidam teſtabuntur, qui conuictu illius, mecum, ſunt uſi, ipſum eius triclinium quaſi ſcholam quandam iuridicam fuiſſe. Adeo priuata illius quies a publico labore parum differebat. Quod ſi cetera deficerent argumenta, rationem tamen, non ſui ſolum negotii, ſed etiam otii, tam ſuae aetati, quam poſteris, reddidiſſe uidetur, lucubratis Vitembergae, atque in lucem editis, tot plurium generum uoluminibus, quae, ſecunda multorum uoluntate excepta, paſſim leguntur, crebroque, ut audio, tam aduocatis, quam iudicibus ipſis, in controuerſo fori iure, ſuppetias, haud inutiles, ferunt. Haec ingenii monimenta ſunt, quibus mandauit ſtudium Academiae, literis ſuis illuſtrandae. Quanta uero fide, uigilantia, prudentiaque, uaria eiuſdem Academiae munera geſſerit, recordabuntur, eum qui norunt. Vt Vitembergam, uiris ac ſtudiis incitatiſſimam, et omni doctorum praeſtantia florentiſſimam, uidit, ſic, decore collegarum uiuorum tantum exhilarari, ſolitus eſt, quantum deſiderio mortuorum affligi. Sed horum, ſaepius etiam natu minorum, tot conſpexit funera, ut iis, qui ſucceſſerant, aetate, qua muneribus

Digitized by Google

Academicis praefuerat, cunctis antiſtaret. Hac cum aetate, rerumque Academicarum ſcientia, ſimul accreuit reipublicae noſtratis literatae cura, quae ſemper apud illum, egregii publici amantiſſimum, excubabat. Scimus certe, quicquid auctoritate, gratia, precibus, apud eos, qui ſummas in Aula Saxonica dignitates ſuſtinerent, ualuerit, hoc illum, ad tuenda Academiae iura, augendaſque eiuſdem utilitates, quam maxime potuerit, contuliſſe. Etenim, tum denique priuatis rationibus, arbitrabatur, optime conſultum fore, ſi prius publicis eſſet proſpectum

Satis de Vitemberga. Solet tamen haec, inſtituto ueteri, ex aſſeſſoribus ſuis quoſdam prouinciali Luſatiae inferioris iudicio commodare. Quorum quidem in numero frater fuit, primumque tenuit locum. Per hos igitur ipſa Vitemberga de iis, quae in Luſatia de fratre eodem fuerint audita, ſimul teſtari poteſt. Quod ſi communis uox, quae iactatur in Luſatis, eſt audienda, hoc illi teſtimonium, ut notae uirtutis, uulgo datur, eum fuiſſe in iudicando integrum, in laborando acrem, in conficiendo percelerem, in omni denique iuris dicundi negotio

uirum,

Digitized by Google

uirum, qui, cum ualde bonis se probauerit, se ipsum semper, nisus uisusque sit, superare

Acrius iam, res enim seuerior agitur, animus attendatur. Audiatur Dresena. Haec sedes est consilii publici augusta, haec testis, quo excelsior, eo grauior, quanto potentioris iudicii, tanto liberioris, tantae denique auctoritatis, ut eo ex omni Saxonia prouocetur. Atqui Dresena industriam illius singularem, iudicium, legitima scientia fultum, alacritatem in suscipiendis negotiis, celeritatem in administrandis, alia, si quando desiderauerit, mirum certe fuerit, quid sit, quod tam honorifica iudicii sui testimonia, et illi reddiderit olim uiuo, et mortuo adhuc reddat. Quo recentius est, hoc sanctius nobis sit, pluriumque rationum pondus habeat, illud iudicium, quod nuper apud nos, in urbis huius Arce, cum Principi Maximo, ac Paterna successione Dignissimo, fides ciuium solemni sacramento obligaretur, pluribus audientibus, ab excellentissimis quibusdam, ac praecipuis, Aulae Saxonicae Purpuratis in eam sententiam, hisque uerbis, factum est, ut fratri nostro dexteritatis exploratissimae, qua pauci possent gloriari, testimonium sponte ultroque perhiberetur.

tur. Sed quid opus eſt plura. Iam enim cernas auctoritatis apicem, ſi ponderes argumenta rerum eminentiſſima, quae, ut accipies, in ipſo Regio, ſummoque, iudicio adſunt. Rex enim, iam Diuus, ſuperiore Imperii interregno, cum Vicariae dignitatis munus, Nouemuirali Saxonis iure, gereret, eiuſque rei cauſſa collegium ſeparatim inſtitueret, in hoc is collegium cooptari Bergerum, ipſe, ipſe, inquam, ſingulari ductus gratia, nominatim iuſſit. Idem anno CIↃ IↃC XCIX, in Dreſenenſi Procerum Saxonicorum conuentu, Bergero negotium dedit, formulam rei iudiciariae, in ordinando maxime foro, conſtituendi. Quam quidem hic, et compoſuit, et, animaduerſionibus adiectis, diuulgauit. Praetereo alia, quae, mandato Regio, accurauit, ſiue caſus dubii, quibus iudices diſtringerentur, enodandi forent, ſiue conſilia iuridica maioribus de rebus danda, ſiue alia, quae committerentur, pluribus in locis perficienda. Haec enim haud neſciunt, qui reminiſcuntur, plura illi extra ordinem concredita fuiſſe, quae tantum legitimae ſcientiae exigerent, quantum laboris difficillimi. Nec uero Regem Potentiſſimum ſapientiſſimumque, aut iudicii huius ſui unquam poenituiſſe, aut fidei, ab illo,

ciue;

Digitized by Google

ciue obſequentiſſimo, in aliis diuerſorum munerum partibus praeſtitae, ex eo iudicari poteſt, quod eundem illum, et in Saxonia, et Vindobonam poſtea dimiſſum, integra eſt perpetuaque gratia proſecutus. At ille, partibus interim ſuis functus, bono erat quietoque animo, et, ſua contentus fortuna, Vitembergae ſtatuebat mori. Saepe enim multumque in cogitatione mortalitatis ſuae defixus erat. Saepe, libris praeſertim pluribus iam emiſſis, nunc, aiebat, ad mortem me componam. Tantum certe a cupiditate mutandi domicilii aberat, ut plures iam olim dignitatis amplioris gradus, qui pluribus e locis identidem offerebantur, protinus deprecaretur. Pari modo poſtea, neque Halas Saxonum, quae paternos cineres habebant, neque Merſeburgum, neque Ienam, diſcedere uolebat, cum quidem inuitaretur pollicitationibus auctioris, et amplitudinis, et fortunae

At omnium minime nuntium expectabat, quo Vindobonam euocabatur, ad locum, in Aulico Imperii Conſilio obtinendum. Hoc ille nuntio etſi uarie, ut facile intellectu eſt, afficiebatur, quod tamen Ioſephi, Imperatoris Glorioſiſſimi, mors ei rei intercedebat, omnem huius cu-

Digitized by Google

ram, ut uanam inanemque, deponebat. Rursus tamen, praeter opinionem, accidit, ut, Carolus, in fastis Imperatorum Sextus, qui nemini Carolorum, uirtute ac magnitudine operum, secundus est, cum fratri Augusto succederet, rerum uix potitus, priorem Caesaris extincti uoluntatem secum considéraret, eamque consensu suo comprobaret. Id postquam illi renuntiabatur, pluribus de caussis, multum solicitudinis, atque ancipitem cogitandi curam, afferebat. Sed, quoniam ea res, non tam humano consilio processisse uidebatur, quam diuino nutu, religione ductus, obtemperandum, putauit. Vindobonam igitur profectus, tantumne facultatis ad gerendum munus attulerit, quantum fama tulit, non est nostrum, existimare. Rectius ea de re iudicauerint, qui, in communi illustrique consessu, et sententias, ab illo dictas, audiuerunt, et operum, ibidem ab eo editorum, spectatores, approbatores etiam, fuerunt. Scimus tamen, ac summa cum ueneratione recordamur, Maximi Inuictissimique Caesaris, Augusti, gratiam, non solum in illum, perpetua clementia defensum, sed in omnem etiam eius familiam, largiter effusam fuisse. Haec tanta certe fuit, ut eius filio spes fieret

Digitized by Google

fieret loci, in eodem Senatu ampliſſimo capiundi, atque hic etiam locus ei, patre mortuo, daretur. Quae quidem indulgentia hoc ſanctius eſt colenda, quo luculentius amplificatione filii declarat, tanto Caeſari obſequium patris ſubiectiſſimum neutiquam diſplicuiſſe. Huic autem patri nihil optatius fuit, quam Imperatoris Sanctiſſimi iuſtiſſimis religioſiſſimiſque mandatis ſe ſuoſque labores conſecrare, in hoc obſequentiae ſtudio conſeneſcere, ac uires laboribus exhaurire, in hoc emori demum, ſpirituque ultimo profuſo, pro acceptis tot beneficiis, animi grati religionem, omni uita conſeruatam, teſtificari. Acquieuit igitur in honore, et fructum, ex eo qui percipi poſſet, aliis, alta ſpectantibus, haud inuidit, cum intelligeret, patere ſibi dignitates, aliis ex locis, Auliſque Regiis, delatas. Nobilitatis tamen, quae, nullo interiecto, ſubeſt Imperio, Francicae, Sueuicae, ac Rhenanae, tabulas, cum ſignificatione multi honoris ac beneuolentiae ſibi miſſas, accepit. Huic illuſtri, una cum familia ſua, aſcriptus ordini, factam conſortionis eius copiam eo pluris putauit, quo ſibi ſuiſque iudicauit honorificentius, ad corporis, tam antiqui, tam praeſtabilis, equeſtria tot decorum iura admitti. Sic multa-

Digitized by Google

rum ei gratulationum fiebat acceſſio, honoriſque multiplicis materia creſcebat, pluribus in locis, eo etiam tempore, cum nihil huius cogitaret

Sed fortuna, longe, quam optare ſolitus erat, proſperiore, etſi uſus eſt, eam tamen, intellexit, domeſtica felicitate haud minimum augeri. Multos, meminimus, loci uel ſummi, cum publice felices eſſent, infeliciſſimos ſibi uiſos fuiſſe, nulla quidem re alia, quam domeſtico malo. Quid enim eſt, quod fortunatum putes, ſi quando domi nihil tranquilli, nihil laeti, reperias, ubi portum curarum, condimentum laboris, leuamentum moleſtiae, et quaerere, debeas, et inuenire. Hoc familiari bono ſi careas, illud, ſi frugi es, miſerum tibi ac flebile reſtat ſolatium, ut, in calamitatis remedium, abſtruſi doloris ſenſum nouis ſemper laboribus aliquantum temperes, nec laboribus tamen prius leuere, quam fueris ſenſim his, ipſaque animi aegritudine, confectus. Melius igitur ſuas ſe res habere, gauiſus eſt, non minus conſtituendae domus, quam animi, ex moleſtiis recreandi, ſubſidium inſtrumentumque nactus coniugio, quam ſuaui, tam felici. Anno enim CIↃ IↃ C LXXXIIII, pridie Nonas Nouembres, Dreſenae in matri-

Digitized by Google

monium duxit uirtutis ornatiſſimae uirginem, Mariam Sophiam, nobiliſſimis Iacobeae gentis, quae floruit apud Saxones, et floret adhuc, natalibus oriundam. Hanc in oculis tulit, cum hac coniunctiſſime uixit, ex hac uberem utriuſque ſexus ſtirpem procreauit. Plures ex liberis mature deceſſerunt. Hoc tamen illi multum conſolationis attulit, quod, ſuperſtitum omnes, dignitate fortuniſque auctos, uidit, ex his etiam nepotes, atque neptes. At uidiſſet hanc progeniem ſuam, multo, uel frequentiorem, uel florentiorem, ſi diutius uixiſſet. De liberis natu maximus, Chriſtophorus Henricus, iam pridem nouum familiae lumen intulit, uirtute, quae generis dignitati reſpondeat, multis rebus probata. Haec enim in Academia noſtrate, pluribuſque huius muneribus, in prouinciali Luſatiae inferioris tribunali, in ſummo prouocationum Saxonicarum iudicio, Aulicoque conſilio, eluxit. Acceſſit, ad extremum, adminiſtratio negotii grauiſſimi, ab illo, e Saxonia publice delegato, in Friſia, qua orientem ſpectat, plures annos, multa fide, prudentiaque, curati. Nuper, in Caeſareo Imperii Senatu Aulico, ſplendidum nactus locum, paternas uirtutes aemulatur ſtrenue, toties patris, quaſi praeſentis, memoria excitatus, quo-

Digitized by Google

ties in Senatum hunc, dignitatis pleniſſimum, uenit. Domi uero, quicquid habet curarum, haud mediocriter lenit amore, fide, uigilantia, qua rei familiari proſpicitur, prudentiſſima, uxoris, animi ſanctitate inſignis, Annae Margarethae, Schirriae gentis origine nobilis. Sed maiorem ſtirpis ubertatem haud deſiderat, quando unicas illas quidem, ueriſſimas tamen, delicias ſuas inuenit in Sophia Henrica, quae tanto ſuauiorem matrimonii huius fructum ortu ſuo parentibus impertiit, quanto pulchriore commendatione uirginalis decoris adoleſcit. Paterni nominis amplitudinem, ſed in alio ſalutaris artis ſtudio, praeclare factis ſuſtinet Ioannes Samuel, ſcientiae, quam multis peregrinationibus, in regnis Europae florentiſſimis, ſibi comparauit, plura iam, inſigniaque, praemia conſecutus. Singulari enim ipſius Imperatoris Auguſtiſſimi clementia, conſiliarii Caeſarei, nec minore Potentiſſimi Prutenorum Regis indulgentia, conſiliarii Regii, dignitatem adeptus eſt, eamque gratiam apud Regem magnae Britanniae Potentiſſimum iniit, uti cuſtos ualetudinis Regiae legeretur. Medendi facultate ſemper floruit, ſed eius famam plurimum, domicilio Cellae ad Alleram fl· conſtituto, auxit, eoque

Digitized by Google

altiorem, in Medicis Germanicis, iam locum obtinet, aliis praeſertim uariae ac praeſtantis doctrinae copiis ornatus. Quo concordius cum probatiſſima coniuge, quae ſplendore gentis Speirmannae digniſſima fuit, Iuliana Clara, uixit, eo dolentius mortem eius tulit. Huius tamen doloris ſui leuamenta reperit in duobus filiis, Ioanne Kiliano Iuſto, et Godofredo Ottone, quorum praeclara indole, ac morum ſuauitate, mirifice delectatur. Omnem denique temporis ſuperioris triſtitiam ſola mitigare potuit Margaretha Ludouica, maius, incertum, mariti, ex aegritudine recreati, ſolatium, an ſplendidiſſimae ſtirpis Ramdohriae decus. Fecunditatem certe ſuam multiplici pulcherrimoque partu comprobauit, genitis ſex liberis, Alberto Henrico, Chriſtophoro Guilielmo, Friderico Ludouico, Auguſto Gottlibio, Sara Sophia, et Maria Ludouica. Ex quibus tertius diem obiit, reliqui plurimum ſpei oſtendunt. Virtuti fratrum, tam clarae, reſpondet facultas ingenii, ad ſumma omnia prompti, quae in Friderico Ludouico fulget. Hic Vindobonae primum, auctore et adiutore patre, graui negotiorum, ex uaria Principum fortuna recens oblatorum, tractatione, ad omnes ſcientiae ciuilis uſus, eruditur.

Digitized by Google

ditur. In ſenatum inde Regiminis Vurtembergenſis allectus, nullos honores adipiſcitur tam amplos, quin capax habeatur ampliorum. Spectat nunc eius, interioribus Legationum conſiliis arceſſiti, felicem induſtriam Guelferbytum, fidem eius peritiamque exploratiſſimam multa gratia proſequitur Princeps Sapientiſſimus, uident omnes, illius ſcripta qui legunt, quam prudens ſit in iure Imperii noſtri publico, quam uerſatus in aliis togae artibus, quantum in diiudicandis illuſtribus magni momenti controuerſiis ualeat, quantumque adeptus ſit, ad maximas pari iudicio diſceptandas. Habet certe, quod ſibi in honoris, haud exigui, partem interpretetur, in praeclaro iudicii teſtimonio, quo eum, abhinc annos aliquot, tractus Rhenani ſuperioris Proceres ornarunt. Ab his enim, praeter ceteros, maxime populares, homo peregrinus, ſola ingenii nobilitate famaque cognitus, ſummo imperii tribunali, quod Vezlariae ius dicit, ad locum in hoc ipſo capeſſendum, commendatur, nec uero minus conſeſſui huic ampliſſimo, per uirtutis ac doctrinae experimenta, probatur, more maiorum edita

Fraternis ueſtigiis inſiſtit Ioannes Auguſtinus,

Digitized by Google

nus, cum alia doctrina exquisitiore, tum paterna, institutus. Diu enim Vindobonae uersatus, in sinu patris uiuit, huius uoce, consuetudine, exemplo, formatur, quam attentus grauissimorum spectator operum, tam solers imitator, et multo inde rerum ciuilium usu subactus. Primum dignitatis gradum assequitur in Aula Hessodarmstadiensi, regiminis, secretiorumque Legationum, consiliis accitus, quem tanta uirtute tenet, ut plures maioresque res, ab Illustrissima domo sibi commissas, in ipsa Aula Caesarea, complures annos, administret. Regia exceptus gratia, altiorem ascendit locum, eumque Cellae, in Aulico Consilio, omni partium suarum studio tuetur, ingenii facultatem, maiori etiam fortunae parem, fidem, industriamque singularem, ubique demonstrans. Hac dignitatis amplificatione laetus, fructum domesticae felicitatis, haud mediocrem, fert ex connubii foedere, icto quondam cum Sara Maria, uirgine tam praeclara, ut generosam, ex sanguine Hugonum, stirpem insignibus sexus sui dotibus multum decoraret. In huius enim complexu suauiter acquiescit, huius affabilitate ex omni molestia reficitur, ex hac pater fit liberorum suauissimorum, Ioannis Christophori, Hermanni

manni Conradi, Mariae Sarae, et plura amoris coniunctiſſimi pignora expectat. Gaudet his fratribus ſoror, gaudent ſorore fratres, Ioanna Maria, quae tantum elegantiori ſexui dat ornamentum, quantum uirili fratres. Haec intelligit, quanto ſibi decori ſit Io. Henricus Heucherus, non ſolum gradu conſilii Aulici, locoque inter Medicos, Regiae ſalutis cuſtodes, ſed etiam ingenii fama, illuſtris, quantumque huius amore, tantum eiuſdem amoris felicitate, laetatur. Hoc enim, multo ſibi iucundiſſimum, in maximis fortunae muneribus ponit, connubium ſuum prolis bonae fecundum ſemper fuiſſe, huius rei uiua ſibi teſtimonia ante oculos obuerſari, toties cognoſcit, quoties, de progenitis ſeptem liberis, tres ſuperſtites, longeque optatiſſimos, conſpicit, incrementum certe optimum domus ſuae. De quibus unus filius, Ioannes Fridericus, omni doctrinae morumque elegantia expolitus, Aulici iam conſilii dignitate fungitur, meritoque, Principibus placuiſſe uiris, ut ille ait, non ultimam laudem putat. Duae filiae, Chriſtiana Ludouica, et Mariana Sophia, forma pulcherrimae, ſed uirtute adhuc pulchriores, inter delicias uerecundiae, cultuſque uirginalis, integerrimas nitent. Hactenus de familia fratris

Digitized by Google

tris noſtri, liberiſque eius optimis. Quid. Haec talia ſtirpis tuae decora, nonne geſtias, uidere. Quid. Haec ſi uideas, nullane laetitia efferare. Vidit autem ille pleroſque horum, quos commemoraui, liberum, eorumque conſpectu ſibi animum permulceri, ſenſit

At hi uero ſunt illi liberi, qui nunc, ut eorum mater, uel auia, maritum cariſſimum, ſic ipſi, mecum, patrem, auumque, acerbiſſimo ſibi caſu ereptum, complorant. Nunc enim, conuerſa ſubito fortuna, laetitiam triſtitia fatalis interrumpit. Vixerat ille, ualetudine bona plenumque et commoda, rarioribus morbis, ac fere leuioribus, tantum boni nulla re magis, quam animi continentia, ac temperantia uitae, conſecutus. Hoc uitae ſobriae ſtudio uires alebat corporis, ſani ſatis, in media ſtatura robuſti, uegeti, agilis etiam, non iuuenili modo aetate, ſed etiam prouectiore. Aucto inde, conſeruatoque, ipſo animi uigore, tam facile labores ferebat, ut ſine his ipſam ſibi uitam putaret acerbam. Sed ingraueſcenti tamen aetati, ſi non uacatio, quae odio habebatur, at laxamenti certe quid dandum, uidebatur. Verum hoc ipſum ille in partem ignauiae, aut dedecoris, in-

terpretari ſolebat. Sic, nulla ſenectutis ſuae ratione habita, cum nunquam ſe curis relaxaret, mirandum non erat, ſi, quod reliquum erat uirium, conſumeretur. Langueſcens igitur ſenſim corpore, mox graui, repentinoque, morbo oppreſſus, abſumptis denique uiribus, exhauſtus, nullam uſquam, quae medeatur tanto malo, medicinam reperit, niſi in patientia animi, Deo, Seruatorique ſuo, deuoti. Ad hunc enim, prout in omni uita conſueuerat, rebus inter homines iam deſperatis, ſe recipit, in hoc omnem ſalutis ſpem collocat, ad hunc denique, Chriſtianis expiatus myſteriis, aſpernatus caduca, aeterna cogitans, nullo mortis metu, nullo labantis alienatiue animi ſigno, ſumma potius fiduciae conſtantia, ut optare ſolitus erat, quinto et ſeptuageſimo aetatis anno, ſuper decem menſes, diebus quatuor minus, excedit. Hic finis longae ſatis, quam ille egit, uitae, ſed omnino laborioſae, hoc initium moeroris noſtri, nec leuis forte, ſed multo gratiſſimi, quippe, cum patrem potius, quam fratrem, lugeamus

Beatum tamen te, frater deſideratiſſime, qui, tot, tamque illuſtribus, laboribus tam feliciter perfunctus, tum acquieueris demum, cum

cum uixeris, nobis quidem, quos ſemper amaſti, parum, at naturae, quae paucis tantum aetatis indulget, at dignitati, quam dignitate ſapientis ornare ſtuduiſti, ſatis. Beatum te, qui, cum multorum ſaepe, ac fortunatiſſimorum, breui deleatur memoria, tuae habeas monimenta, tam in liberis, quam in libris. Beatum te, qui, cunctis temporum formidoloſorum procellis mature praereptus, in tutiſſimo, ac placidiſſimo, uerſeris portu, nobis interim neſcientibus, qua forte rerum aduerſarum tempeſtate abripiendi, quibus reflantis fortunae fluctibus, naufragiiſque, iactandi, ſimus, atque affligendi. Nos ea te colemus recti honeſtique cura, ut uirtutes tuas, quantum in nobis ſitum eſt, aemulari inſtituamus. Nos imaginem uultus tui, grauitatis tuae, omnis conſuetudinis tuae, expreſſam animis atque effictam, ſic tenebimus, ut, qualis eras uiuus, qualis coram agere nobiſcum ſolebas, tali te quaſi monitore atque hortatore praeſenti, ad bene praeclareque agendum incitemur. Nos beneficia tua, multo uberrima, praedicatione meritorum gratiſſima proſequemur, eorumque memoriam nunquam, niſi cum ipſa anima, deponemus. Oblectabimur etiam tui recordatione, ac laetabimur, quoties

Digitized by Google

Vitemberga, ſuorum memor decorum, commemorauerit, tres ciuitatis ſuae iuriſconſultos, ex Academico ſenatu, inuſitato forte Germaniae exemplo, poſteriſque narrando, ſuppari aetate, in altiſſimum Imperii tribunal prodiiſſe, horumque te primum fuiſſe, ac uiam quaſi ceteris aperuiſſe

Vobis, Auditores, quorum ſingularis, in me attente audiendo, humanitas orationem meam ad ipſum eius exitum prouexit, quid ego, quantumque, una cum omni familia noſtra, debeam, ſentio magis, quam, gratiis agendis, officiis promittendis, explicare poſſum. Amatis tamen, praeter cetera, integritatem animi, quae nullo obſinatur fuco, ſed, demonſtrata officii ſanctitate, ingenuam ſinceramque pietatem colat. Huius, uobis approbandae, cauſſa Deum immortalem comprecor, ut, quicquid in hoc dicendi argumento triſte fuit atque calamitoſum, hoc arceat a uobis, reiiciat, depellat, quicquid laetum atque proſperum, hoc impertiat uobis, amplificet, cumulet, ac, rebus publice priuatimque ſecundiſſimis, nunquam, fortunam ueſtram, niſi noua incrementorum acceſſione, communtari, patiatur

IX

Digitized by Google

IX

IN
OBITVM
IO. GEORGII ABICHTII
DOCTORIS AC PROFESSORIS THEOLOGI

Honorem supremum, quem grati erga homines bene meritos animi fidelis memoria postulauerit, IOANNI GEORGIO ABICHTIO habere hodierno die, constituimus, Auditores. Cuius quidem uiri funus, ante oculos positum, cum uideam, eo certe grauius commoueor, quo pluris multa, atque insignia, uiri eiusdem, sanctissimi doctissimique, decora facere consueui

Sanctitatem eius, et omnis uita, sancte integreque acta, testatur, et haec ipsa etiam Aedes Mariana nobis in memoriam redigit, quae uoce eius salubernima personuit, complures annos. Nam sacrorum antistes hoc ipso in loco fuit, et, quod coetui pio, in mysteriis diuinis rite procurandis, usui atque saluti foret, summa cura uigilantiaque prouidit. Quae

qui-

quidem ſanctimonia tametſi aliorum in ſe conuertebat oculos, propterea, quod illa Theologum in primis decere uidebatur, ad eandem tamen plura et animi, et ipſius corporis, acceſſerunt bona. Nam, prudentiam eius, integritatem, induſtriam, in Conſeſſu, uel Academico, uel Eccleſiaſtico, in curandis ac diſpungendis aerarii ſacri rationibus, in regundo diuinae procurationis ordine, in conſeruanda moderandaque Sacerdotii diſciplina, cognitas, quamuis laudauero uerbis ampliſſimis, minus tamen dixero pro dignitate, quam dictum uellent illi, qui ſpectatores harum fuere rerum, earundemque et teſtes adhuc ſunt locupletes, et copioſi ſincerique praecones. De grauitate eius quid dicam, qua ſeueritatem cogitandi iudicandique ſignificauit. Quid de comitate, qua grauitatem temperans, familiares ſemper arctius ſibi copulauit, ignotiſſimum quemque facile cepit. Quid de affabilitate ſermonis, omnique ſermonis huius cultu, tum uaria lectiſſimaque doctrina perſperſi, tum Paullino ſale conditi. Itaque nihilo minus mouere ſolebat audientes atque inſtruere, quam delinire. Nihil enim praeceps atque tumultuarium afferebat, nihil, inuolutum atque obſcurum, nihil, intempeſtiuum parumque aptum,

Digitized by Google

ptum, ſed, deliberata cuncta ac meditata, aperta atque expreſſa, ac rei, perſonae, loco temporique, accommodata. Cumque res aſperitatis quid habere uideretur, hoc, pulchre callebat, circumſpecta quadam lenitate orationis mitigare. Sic eo ſuauius influebat in animos, quo maiore ſe cunctis humanitate praeberet, ac paratiorem ipſis dictis monitiſque audientiam faciebat. Suadere enim magis, quam praecipere, uidebatur, neque eo ſecius rei docendae plurimum fidei praeſtabat. Oris ſuauitatem commendabat ipſa dignitas corporis, etiam ſenilis iamque debilioris. Cuius quidem motus omnis geſtuſque, ad decorem compoſitus, mores oſtendebat, non hauſtos ex umbraculis hominum, literis inuolutorum, ſed politioris conſuetudinis uſu elegantiaque excultos. Qua quidem re quantum gratiae apud cunctos, lautiores etiam, inibat, tantum opinionis apud illos habebat, qui ſanctiorem uitae ornatum a prudentia Theologica haud remotum ponerent. Sed haec, et alia, quae in illo quondam perſpecta ſunt, noſtrum quis ignorat. Quis, ea, credat, a me perinde nunc exponi poſſe, atque eadem ipſe quondam cognorit, admiratuſque ſit

Digitized by Google

Doctrina eius multis egregiisque documentis eluxit, uel in scholis complurium generum Theologicis, uel in disputationibus publice habitis, uel in scriptis, et uariis, et eruditione uaria, sanctiore potissimum, plenis. Magnam enim multiplicis eruditionis facultatem habuit, non solum in rerum diuinarum intelligentia, sed in scientia etiam philosophandi, ueteri atque noua, peraeque uersatus in utraque. Nam Philosophiam cum Theologia, iam inde ab annis Academicis, coniungere solitus est, et ingenio multum ualuit, cum aliis in studiis, tum uero in Metaphysicis, ac Mathematicis, quorum non exilem in sacris usum et ipse expertus est, et discipulis utili ratione demonstrauit. Taceo, breuitatis caussa, alia superioris temporis exempla, quae, in lucem prolata, extant. Vnum disciplinae Philosophicae, idemque grauissimum, de Animo Humano, argumentum strictim attingo. Hoc enim nuper admodum tractauit ille, tantaque diligentia exposuit, ut multas protulerit exquisitasque rationes, quas nouis principum huius aetatis Philosophorum, Leibnitii, aliorumque, opinionibus opponendas, putarit

Orientis, non solum Hebraeis, sed aliis etiam

Digitized by Google

am uarii generis, illuſtrati literis, quantam habuerit cognitionem, uix dicendum uidetur. Namque, et Lipſia earum, quibus Oriens olim locutus eſt, linguarum doctorem publicum habuit quondam coluitque Abichtium, et, hic ex antiquis eiuſcemodi monimentis concinne ac dilucide quae praecepit, nondum legi ſunt deſita, et diſcipuli, ex eius ſchola progreſſi, memoriam magiſtri, tam excellentis, praedicant adhuc, in multis celeberrimiſque locis

Haec, et alia, uiri praeclari, multaque ingenii ac doctrinae gloria praediti, decora nobis, obitu eius funeſtiſſimo, ſubtrahuntur, quantoque praeſtantiora fuerunt, tanto grauius ſui deſiderium nobis relinquunt. Sic male nobiſcum agitur, Auditores, quibus haec bona intercipit una fatalis hora, neutiquam autem cum Abichtio, cui longe melius res cecidit. Quid enim morte ſua perdidit, niſi mortalitatem, et infinitas breuis huius uitae miſerias, quales ferre ſolet ſecundiſſima quaeque fortuna. Quid obtigit morienti, quod optabile non ſit aliis, obitus multorum recordantibus, anxios ualde, et, mente alienata, miſerandos. Habuit enim uitae finem, ſine morbi doloribus, ſine difficultate tra-

Digitized by Google

hendi animam aegram, ſine omni cruciatu languentis corporis, expeditum certe ac facilem, ſimul pium tamen. Exitum ſimilem optimus quiſque ſibi optauerit, eumque ſi ſortiatur, hac profecto re beatus, uel ipſis adhuc in terris, dici poſſit

Haec me res in ſe totum conuertit. Haec me, manu uelut iniecta, in ſe moratur. Huc animum nunc inſtituo, incredibili deſiderio felicitatis eiuſdem potiundae ductus. Sed, Graecos, uideo, horumque inſtituto Romanos, eiuſdem, quam modo dixi, felicitatis, in moriendo, fructum aſſumere ſibi uoluiſſe, ſpecioſo, atque optabili, Euthanaſiae nomine decoratum. Qua tamen in re illi ſe ipſi fruſtrantur, decepti uocabulo, non ſatis explorato, cuius uſum potius habent, quam menſuram, altius petendam, implent. Haec igitur profanae uetuſtatis Euthanaſia cum nomini ſuo, in re profecto maxima, haud reſpondeat, quid eius ſit emendandum, ut uera germanaque exiſtat Euthanaſia, breuiter, ſi ueniam datis, exponam, Auditores

Omnino poſſis Euthanaſian, ex uero Technico, et uocum collocatione, ſpectatam, largius pronuntiare de quouis genere bonae mortis. Sed

Sed adductius id nominis nobiſcum ſi capias, idem notauerit Graece, quod Latinis eſt, Cito, ac nullo cruciatu, defungi. Sic enim Tranquillus interpretatur Euthanaſian, qualem Auguſtus Caeſar, Graece doctiſſimus, commemorare ſolitus eſt. Nam fere, quoties, ut accepimus, audiuit, propere quem, et cruciatus expertem, deceſſiſſe, ſibi, et ſuis, exitum ſimilem precatus eſt, eodemque Euthanaſiae uocabulo frequenter uſus. Habes igitur auctorem, ſi quem tibi quaeris, magnum uocis huius, habes in auctore exemplum, quo illuſtrius dari non poſſit. Tanto minus, uel alia nunc opus eſt auctoritate, uel exemplo, ut fides rei docendae fiat. Talis autem mors in primis bona dicitur, qualem, ex ipſo Auguſti ore, deſcripſi. At uero δυσθάνατον, conſtat, apud Hippocratem Galenumque hominem dici illum, qui moriatur cum cruciatu et miſere, qui cum graui morbo, ac difficili morte, conflictatus ſit. Bonam etiam mortem obire Graecis Latiniſque dicuntur, qui cadunt in proelio, pugnantes fortiter, cum hoſte forti, armis in acie collatis. Sed male putantur mori, qui, uel in bello, ignauorum manu confoſſi, intereunt, uel in aquis atque mari, fluctibus abſorpti. Illa tamen ipſa mors militaris propterea

Suet. A 99

Giſb. Cuper. Obſ. I. 8

Digitized by Google

Horat. lib. I. Sat. I. u. 6. 8 quoque bona eſt uiſa, quod repentina eſt. Hac enim mente Mercator iſte Horatianus, quem ſortis ſuae poenitet, militiam commercio ſuo praeoptat. Subiicit enim ſibi, aut mortem citam, aut uictoriam laetam, quarum rerum alterutra ſint euentura. Magnum igitur fortunae munus habetur mors ſubita, ab iiſque doloribus ſeiuncta, quibus diu grauiterque aegrotantes, inter tot uitae taedia, torqueri ſolent. Hic enim naturae ſenſus eſt, ut abhorreat a doloribus, ualetudinis praeſertim pertinacis, cuius mala cum finiantur morte ſola, haec ipſa ſaepe tolerabilior, morbis grauioribus, iudicatur. Ita quidem ſtatutum habet T. Pomponius Atticus, qui, poſtquam, dolores accreſcere in dies, ſenſit, alere morbum deſinit, ac moritur, inedia conſumptus. Corellius autem Rufus cum, pedum dolore correptus, incredibiles cruciatus, et indigniſſima tormenta, patitur, in latrones crudeliſſimos ſibi uidetur incidiſſe. Plinium intuens, Cur, inquit, me, putas, hos tantos dolores tamdiu ſuſtinere, ut ſcilicet iſti latroni, uel uno die, ſuperſim. Mox, abſtinens cibo, ſponte decedit. Itaque ſummi interdum uiri priſcae memoriae, horrore fugaque dolorum, ad tantam adducuntur deſperationem, ut necem ſibi

Corn. Nep. Att. 22

Plin. lib. I. Ep. 12

Digitized by Google

ſibi conſciſcant. Hoc autem, quod nefarie faciunt, Summam Rationem uocant, ipſo, quem dixi, Plinio auctore. Proinde, ac ſi, doloribus morborum cum morte collatis, mortis praeferendae rationibus uincantur rationes dolorum ſuſtinendorum, quos maioribus in malis ducunt. Sed haec Ratio Summa, quae uera eſt deſperatio, nihil habet rationis, cum Pythagoras, Plato, et ſapientiſſimus quiſque ueterum, duce Ratione, doceat, iniuſſu Dei de ſtatione mortali decedendum haud eſſe

Plin. ſupra

Cic. Cat. 20
Plato Phaed. pag. 61. 62 Ed. Serran.

Tantus autem cruciamentorum, quibus graues diuturnique morbi homines premant, horror duas peperit cauſſas illas Euthanaſiae oprandae. Expetebant enim mortem celerem, nulloque affectam cruciatu. Nam uidebantur ſibi, celeriter moriendo, id conſequi, ut mortis, ex morbo imminentis interitumque intentantis, metu uacarent, ac tot ſimul tantiſque animi angoribus, quos ſupremorum cogitatio, ex anteactae uitae conſcientia, et praeſenti rerum commutatione, ciere ſolet. Morſus enim malae mentis, norant, acerrimos eſſe, neque paruum eſſe ſupplicium, quod uiuis adhuc terrores, metus, perturbationes, ex maleficiis ac flagi-

Plutarch. de his, qui ſero a Numin. pun. p. 554. 555
Cic. I. de Legg.

Digitized by Google

flagitiis conceptae, inferant. Hoc etiam proficere, moriendo ſine cruciatu, ſibi uidebantur, ut illius acerbitatis effugerent ſenſum, qua mors lenta difficiliſque corpus affligeret, membris artubuſque tortum. Sic, hominem, rebantur, excruciari miſerandum in modum, quoad, uarietate malorum, identidem ſuccreſcentium, fractus atque abſumptus, necetur. ſed celeri morte occupari ſenſus atque opprimi, ut mali uis percipi non poſſit, ac, nullo dolore percepto, nullum mutationis repentis incommodum ſentiri. ita uero ſe illius potiri felicitatis, qua uitam hominum impertiat indolentia, tantae quidem, uti iam ipſimet, aut accedant his, aut parum ab his diſſentiant, qui ſummum bonum in uacuitate doloris ponant. Hoc Epicureis certe adeo perſuaſum fuit, ut ipſam uoluptatem maximam in non dolendo conſtituerent, eadem prorſus mente, qua dolorem arbitrarentur ſummum malum. An poteſt, inquit ille, quicquam eſſe ſuauius, quam nihil dolere

Cic. de Fin. II 4. III. de Off. 33

Pari modo Auguſtus, ſibi ſuiſque Euthanaſian precatus, doloris amotionem conſectatur. In morte enim praecipiti, ac dolore uacua, leuamentum quaerit mali, omnium maxime terribilis,

Digitized by Google

bilis, communemque hominum uitam peruagati. Nam mali maioris acerbitatem minoris opinione mitigat, uſque eo, ut hoc poſterius interpretetur in partem cuiuſdam boni. Hoc enim, putat, naſci detractione dolorum, quibus aegrorum corpus debilitatum confectumque morti tradatur. tali modo non cruciatum fore mortem, ſed aerumnarum requiem

Sed ita corpori proſpicit Princeps Romanorum, ſuae omniſque aetatis maximus, non animo, qui tamen corpori longe cum praeſtet, eius certe potior erat cura cogitatioque ſuſcipienda, eique praecipue conſulendum, nec modo in praeſens, ſed in poſterum etiam, ut Socrates ipſe grauiter monet. Hic enim animus, ut ipſi docent ſapientes notae melioris, cum ab omni concretione mortali ſegregatus ſit, immortalis eſt, hic, cum ad exemplar diuinitatis expreſſus ſit, diuinus eſt, hic, corporis uinculis ſolutus, ad ſanctiſſimum ſeueriſſimumque uitae anteactae iudicem adducitur, ut rationem reddat actionum ſuarum, et uel praemia uirtutum capeſſat, uel poenas malefactorum luat. Hoc ueterum eſt ΔΙΑΔΙΚΑΖΕΣΘΑΙ. Quod quidem Epicuri temeritas, in ſua diffluens corpuſcula, ſi

Plato Phaed. p. 107

Plato Phaed. p. 80

Digitized by Google

Plato in Apolog. Socr. p. 41 Phaed. p. 113 de Rep. lib. X p. 614 Plat. Phaed. p. 72. et X. de Legg. p. 905 Plat. Epist. 7 p. 335.

non capit, at idem certe alii sanioris iudicii, Socrates atque Plato, horumque similes, haud obscure docent. In primis, ex persona Socratis, Plato, pluribus locis, iudices mortuis dari, ostendit, eoque fieri, ut ex rati constitutique iudicii formula, bonis sit melius, malis peius. Idem, eo magis rem seriam agens, quo Dionem fidelius instituere studuit, antiquis, ait, sacrisque sermonibus fidem semper habendam, qui palam faciant, animum nobis esse immortalem, et iudicibus sisti, quorum sententia, pro cuiusque merito, praemia et supplicia maxima decernantur, simul ac quis e corpore excesserit. Quos quidem sermones, non in Graecia natos esse, sed ex Oriente diuinisque monimentis eo perlatos, facile cognoueris, si peregrinationes eruditorum uetustas, et Iudaicae sapientiae famam, latissime fusam, ipsasque notiones, a primis hominibus per successionem transmissas, recorderis. Hoc enim illud est, quo respicit Plato, Aristoteles, Cicero, prouocantes ad antiquitatem priscosque mortales, ultimae rerum origini propiores. Nec uero adeo nugantur Poetae, sapientum genus antiquissimum, ut Minoes, Rhadamanthos, Aeacos, confingendos, duxerint, nisi ad eos, uel peregrinantes, uel multis

Digitized by Google

tis Iudaeorum coloniis finitimos permixtoſue, ſtatus, poſt mortem futuri, fama permanaſſet, in quo ſua cuique merces, pro moribus factiſque ſuis, tribuatur, in utramque partem. Multo quidem ſtudio nititur Epicurus ex animis euellere, quae de inferis, ipſaque animorum immortalitate, in uulgus edita narrentur, multiſque credita. Haec ridet iſte atque explodit, tanquam exoletas imperiti uulgi fabulas, ſed, dum noua, uetuſtis illis contraria, uult apportare, ea profecto re declarat, quae de animorum, interitu corporum non delendorum, ſtatu iudicioque uulgo referantur, haec quidem in maiorum animis inſediſſe adeo atque inueteraſſe, ut, poſteris ab his prodita, ſenſus hominum atque opiniones occuparint. Vetuſtiſſima ſunt igitur illa, quae tamen multis modis ita deprauari potuerunt, ut plures corruptelae adiicerentur antiquo, et ſincero diuinoque, uero. Viderunt autem ſapientes cordatiores, Pherecydes, Thales Mileſius, Pythagoras, Plato, ex Latinis Cicero, Seneca, horumque ſimiles, fictis ex rebus multitudini quid relinquendum eſſet, at, ſimplici meliorique ſententia delecta, immortalitatem animi retinuerunt, et, poſt exceſſum e uita, uel coeleſtia bonis gaudia, uel malis inferorum

Scip. Aquil. de Placit. philoſ. ante Ariſt. p. 80. Io. Cottunius de Statu Animae Diſp. VII. Sect. IV ſeqq.

Steuch. Eugub. de Peren. Phiſoſ. IX. 24

Digitized by Google

Plato Phaed. p. 114. in Phaedro p. 229

Proclus in Plat. Theolog. I. 4

Plat. Axioch. p. 371. 372

ſupplicia, deſtinarunt. Dicat pro multis Plato, ultimae atque doctioris Graeciae placita complexus. Hic Mythicum priſcae ſapientiae integumentum, quod imperita multitudo temere pro ueritate ipſa arripuit, a ſententia, Allegoris inuoluta, ſecernit, ac fabulis ſeponit. Sed ex putamine Mythico, cui ſtudere ſolet in rebus grauiſſimis, hunc excludit nucleum, et uetuſtiſſimam eſſe illam, de praemiis ſuppliciiſque, poſt hanc uitam expectandis, doctrinam, et eam utriuſque rei cogitationem nunquam deponendam, ſed altius in omnium animis memoriaque defigendam. In eandem ſententiam, ſi non ab ipſo Platone, at mente ſaltem Platonica, ex Tabulis Hyperboreis, diſputatur, mortuis iudices Minoem, ac Rhadamanthum, in Campo Veritatis, dari, probiſque beatas piorum ſedes, improbis aerumnoſas impiorum, aſſignari, ac narrationis quidem huius Allegoricae uetuſtiſſimae iudicium prudentiae cuiuſque relinqui, ex ea tamen illud haberi pro certo, et immortales eſſe animos, et his, e corpore egreſſis, pro uitae merito, uel felicem uitam fore, uel infelicem. Hoc autem ſapientibus antiquis adeo perſuaſum eſt, ut horum non nulli teſtes oculatos audeant poſteris adducere, quos narrant ab inferis reuertiſſe.

Digitized by Google

tiſſe. Talem oſtendit Aeneam Maro, ex ipſis etiam philoſophis Plato Erem Armenium, Plutarchus Theſpeſium Solenſem. At uero hi, atque alii, talia referentes, fabulas dant Ethicas, quibus doceant, iudicia mortuis in utramque partem, pro uitae in terris actae meritis, expectanda eſſe, quibus pii recreentur, impii affligantur. Haec ipſo ueterum iudicio qui ponderat, habebit profecto, quod corrigat in Euthanaſia, Auguſto credita, ſi quidem, hunc, meminerit, dolores corporis mortalis ab immortalis animi cura ſeiunxiſſe. Tanto minus probauerit ſummam uitae felicitatem, quam Plinius morti repentinae, pluribus exemplis declaratae, tribuit quidem, ſed eam propterea non intelligit, quod alteri uitae, pro ſuo in Epicurum ſtudio, locum non relinquit. Cum igitur tot uitae huius miſerae uideat incommoda, neque habeat, quod ultra eam ſperet, mortem dicit praecipuum naturae bonum, nullumque naturae munus, uitae breuitate, melius putat

Virgil. Aen. VI. u. 899
Plato lib. X. de Rep. p. 614
Plutarch. pag. 563. de ſero pun.
Plin. VII. 53
Plin. VII. 55 et 50

Haec tamen cuncta nos, luce diuina colluſtrati, et exploratius nouimus, et certius credimus, et conſtantius retinemus. Quo clarius docemur, nullum mortis cuiuſcunque genus fore

Digitized by Google

bonum, niſi pium ſit idem. Fuerit ſubitum, et ſine doloris ſenſu, impiam tamen mortem grauior excipiet dolor, quam uel anteire potuerit mortem iſtam, uel comitari. Ergo Graecorum Euthanaſian, qualis in optatis eſt Auguſto, religio uera, qua nos imbuti ſumus, emendata, non modo repulſa omni dubitatione de immortalitate animi, ſed adiuncta etiam in primis ſanctitate fidei ſalutaris. Hac enim, in hominum Seruatore religioſe defixa, repurgatur animus atque expiatur, ac, redditus coelo, conſociatus cum beatis mentibus, bono uere ſummo perfruitur, in ipſo domicilio felicitatis aeternae. Quo uiam mors pia cum aperuerit, hac quidem morte quid in terris, cedo, uel melius putes, uel optabilius. Habet quidem omnis pia mors in eo, quod illam conſequitur, tantum boni, ut Euthanaſia merito uocetur, etiamſi doloribus, haud leuibus, diſtricta ſit. Sed, quoniam mors commune iſtud acerbiſſimumque malum eſt, quo ſenſus hominum, in Deum perfidorum, punitur, quis gratiam Dei, in mitiganda hac poena ſingularem, non animaduertat, non expetendam ducat, ſi quem mori uideat pie, ea facilitate, doloribus adeo nullis, ut, quaſi de uia feſſus, ſomno ſopiri uideatur. Nobis igitur

Digitized by Google

igitur Christianis si talis uitae exitus, sine morbi tormentis, cruciamentoque mortis, obtigerit, eo certe feliciores iudicandi sumus, quo certiores salutis nostrae, nobis per Christum partae, in omni uita nostra sumus facti

Quod quidem tametsi nihil dubitationis habet, semper tamen fortunatos propterea quoque iudicaui Theologos, quod his potissimum ipsius uitae institutum praebet facultatem, Euthanasiae huius consequendae, si repentinam oppetant mortem. Tota enim studiorum suorum ratione, ipso etiam nomine suo, rerum coelestium intelligentiam atque tractationem profitentur. Sed Theologum desideres in Theologo, qui sancte uiuendo doctrinae suae non respondeat, perinde, ac Iureconsultum in Iureconsulto, qui iustitiae non aeque, ac iuris, sit consultus, Medicum in Medico, qui, consulens aliorum ualetudini, suae sit prodigus, Philosophum in Philosopho, qui philosopha sit sententia, ignaua autem opera. Itaque Theologus, quod alios sancte docet, pari uitae sanctimonia comprobare studet, et siue iuuentutem Academicam instituat, siue concionetur in pio coetu, siue sacra mysteria, ad sacrum fontem, in audienda

enda peccatorum confeſſione, ad menſam ſacroſanctam, procuret, ſiue aegrotis uel morientibus adſit, nullis certe rebus aliis, quam ſacris uacat atque coeleſtibus, ut in his demum uerſetur totus, et habitare quaſi uideatur. Tali modo fieri non poteſt, quin, cum nihilo magis ad fidem uitamque ſanctam, quam ad piam mortem, qua peruenitur ad incolumitatem aeternam, homines informet, in ſanctis cogitationibus tota uerſetur uita, eoque ſemper paratior ſit, ad pie ſancteque, ſine ulla temporis atque caſus exceptione, moriendum. Sancta quidem omnium, qui bene beateque mori uelint, uita eſſe debet. Quis autem non uidet, quis non ſentit in ſe ipſo, quam difficile factu ſit, terreſtribus occupatos rebus, cogitationibus etiam terreſtribus ultra ſaepe, quam uelint, non indulgere. Quoties igitur, quoties ab humanis ad coeleſtia, a caducis ad aeterna, reuocandi ſumus publica Theologorum uoce, quae diuina nobis oracula promulgat. Quoties etiam ad officium reuocandi ſumus priuata commonefactione, quae amicis ſalubribuſque monitis humanam ſecuritatem interpellet. Nec uero hoc auribus do tam intemperanter, ut ſenſu fragilitatis communis Theologos exuam, quaſi cogitatio-

gitationibus eorum ſanctis nihil imbecillitatis humanae poſſit intercedere, cum ipſimet Theologi, ad declarandam indolis humanae corruptelam, et dictis ſacris, et exemplis hominum ſanctiſſimorum, hoc auditoribus ſuis inculcare laborent, nihil ex omni parte ſani purique, in corrupta humani generis natura, ſupereſſe. Sed, omnibus ſtudiorum generibus inter ſe collatis, animaduerto tamen, Theologorum contemplationi perpetuae, et actioni eorum propriae, hoc coeleſtis ſapientiae, ueritatis, ſanctitatis, opus proponi, unde, ſi nomen perſonamque ſuam ſuſtinere uelint, non poſſint non ſanctas cogitationes animis et concipere, et alere, eoque inſtructiores eſſe ſemper ad mortem, pie obeundam. Tantum bene beateque moriendi inſtrumentum, ſemper et ubique paratum, meditationes Theologicae, ex ipſo Theologiae ſtudio, ſine interuentu alterius doctrinae, cum habeant, quid impedit ergo iam, quo minus Theologos hac ipſa re feliciores praedicemus, hancque Theologorum Euthanaſian magni exiſtimemus

Quae quidem res, ſi quod exempli lumen deſideres, in Abichtio certe luculenter apparet, non animis ſolum, ſed ipſis etiam oculis, ſub-

Digitized by Google

iecta. Hic enim prius fere moritur, quam, se mori, sentiat. Moritur autem ea pietate, qua studuit, docuit, uixit. Scribendum est, more institutoque maiorum, Praesidi Ordinis Theologici Meletema Pentecostale. Scribit Abichtius. Quod quidem si legas, sanctae praesertim linguae sciens, ex altissimis diuinae sapientiae fontibus hausturn dicas. Explicat enim recessum nominis, in mysteriis penitus retrusi, Iehouah, quo Deus, a cultu simulacrorum distinguendus, dici, intelligi, coli, uelit. Sed Abichtius, hac ipsa eiusdem nominis sanctissimi explanatione, totum explicat Sacrosanctae Triados mysterium, quo nihil augustius habet omnis Theologia. Eandem autem explanationem suam accommodat ad hominis corrupti emendationem, ad desperati consolationem, ad perditi restitutionem in gratiam Dei coelestemque patriam, ad reducti in coelum sempiternam perfectissimamque salutem. Quod quid negotium, explicandis tot tantarumque [illegible] caussis, ita conficit, ad liquidum ut perducat, quae multos habeant altitudinis suae recessus. Hoc autem perficere non potest, quin, omni cogitatione totaque mente in Veri huius Theologici inuestigationem incumbens, totius

Theo-

Digitized by Google

Theologiae myſteria, horumque uinculum arctiſſimum, mente et cogitatione, non leui certe ac deſultoria, ſed ſeuera admodum atque attenta, complectatur, in componendo hoc limandoque ſcripto. Idem Scriptum, quod prelo mandauerat Abichtius, iam recipit excuſum, legit, relegit, ponderat, expolit, ac, denuo recognitum, operis hora noctis decima reddit. Cogitationibus, quas ex pia contemplatione Spiritus Sancti, totiuſque Sacroſanctae Triados, conceperat, laetus hilariſque, cubitum diſcedit. Quietem capit ſuauiſſimam, ſomnoque, quo totus recreari uidetur, excitatus, multo mane precationibus ſolitis uacat, ac, plenus gaudii, quod capit ex felici reditu Solemnis, anniuerſaria religione faciundi, ad cultum diuinum, publice frequentandum, ſe parat. Sed numen Spiritus Sancti, hoc ipſo die euentis, tam mirabilibus, demonſtratum atque illuſtratum, publice priuatimque coli nunquam pro dignitate ſatis poſſe, et putat, et ſuis praedicat. Statuit ergo, ſacris a meridie factis, in Auditorium Academicum, Orationis cuiuſdam, quae ibi in honorem Spiritus Sancti habenda fuerat, audiendae cauſſa uenire, eoque lectica, quam pridie huic rei mercede conduxerat, uult deferri, ut ſolebat. Sic

pridie religioſis commentationibus, uſque ad ipſum ſomni tempus, totum ſe dedit, et de pia celebratione totius diei poſteri atque ſanctiſſimi cogitat, hocque die ipſo totum ſe componit ad religionem, publice priuatimque, poſthabitis curis aliis, obeundam. Manet in Muſeo, rebus diuinis intentus, in eoque obambulat, ut conſueuerat, cum altiora meditaretur. Cunctis in opinionem uenit, eum pietati ſuae ſolitudinem, ut ſoleat, quaerere, atque, hanc interpellare, audet nemo. Sed, audita a praetereuntibus uoce, Ah Ieſu, intratur Muſeum, properatur ad lectulum, Abichtius in eo reperitur mortuus, cunctis caſu, tam inopinato, ut neceſſe erat, obſtupefactis. Obſtante iam conſiliis humanis fato, nihil amplius ualet medici, qui arceſſitur, ars, quamlibet praeſtans, tantaque paullo ante fide cognita, ut aegrum ſanaſſe uideretur. Sed opem, quam nulla ferre medicina poſſet, Coeleſtis Medicus, ipſe Chriſtus, iam tulerat, qui nullis piorum temporibus deeſſe ſolet. Huius in manus ſpiritum ſuum, ſicut Chriſtus ſuum in manus Patris ſui, Abichtius commendat, exemplo Protomartyris, Baſilii Magni, et optimi cuiuſque. Seruator ergo mitiſſimus, ſuiſque ſemper praeſens, eum, nullis doloribus excruciatum, nullo mor-

Gregor. Nazianz. Or. XX p. 371

Digitized by Google

mortis timore perterritum, ſed in ſalutari fide acquieſcentem, ſinu gremioque ſuo excipit, atque, ex his uitae turbidae aerumnis ereptum, in coelum traducit, ubi laetitia, quam nulla interrumpat aegritudo, in perpetuum compleatur. Fusti refert, emendata ueraque Euthanaſia frui, cuius nullam partem iſta profanarum gentium Euthanaſia aſſequi poſſit.

Merito quidem Auguſti maieſtatem adeo ueneramur, ut, eius magnitudinem ſi ſpectemus, abſurdum putemus, tanto Imperatori uel Abichtium, uel ullum omnino hominem fortunae priuatae, ulla re comparari. Sed is mortis potentatus eſt, ea lex fati, quo urgentur humana, ſplendoris omnis negligens, ut mors, ubi rerum potitur, ſummos aequet imis. Humanae igitur mortalitatis lege res ſi pendatur, fragilitate communis naturae aequalis Auguſto fuerit Abichtius, ſin, excellentia religionis Chriſtianae, tanto etiam fuerit, quam ille, felicior, quanto beatius eſt, Chriſtianum eſſe, quam falſae religioni deditum. Miremur quidem, oportet, id, quod tradit Philo, certos ab Auguſto reditus addictos fuiſſe ſacrificiis, integris ac penitus adolendis, agnorum duum, uniuſque tauri, quibus

Legat. ad Caium pag. 1014 1015 *et* 1036

Digitized by Google

Ara Dei Altissimi Hierosolymitana quotidie honestaretur. Hoc institutum sua adhuc aetate seruari, et monimentum esse uirtutum, uere Imperatoriarum, idem Sapiens Hebraeorum confirmat. Eiusdem Caesaris exemplo, subtexit, ad cultum Dei excitatam fuisse eius familiam, adeo quidem, ut omnium paene illius domesticorum donis templum Hierosolymitanum fuerit ornatum, ipsius etiam Iuliae Augustae, quae phialis aureis et calicibus, aliisque rebus plurimis, ingentisque pretii, eandem donarit aedem. Haec, in Legatione ad Caium Imperatorem, cum scribat Philo, ea certe minus dubia uideri possunt, eoque magis admiranda sunt. Adde Tabulas, ab eodem Augusto pro Iudaeis datas. Adde sedes in Vrbe trans Tiberim Iudaeis, cum sacrorum libertate, primitiarum iure, singulari congiariorum beneficio, et alia complura, ab eodem Caesare Iudaeis, Romae atque in prouinciis prolixe concessa, quae Philo Iosephusque referunt. Ex his, Augustum, intelliges, ab Iudaeorum sacris haud penitus abhorruisse. Quam uellemus ergo, Imperator tam clemens, tam doctus, et ingenia saeculi sui fouere solitus, qui praeterea tam bene de Imperio, ab se firmato, meritus sit, et suopte Augusti nomine

Philo ad Cai. pag. 1014

Philo Leg. ad Cai. 1035. 1036

Ioseph. Archaeolog. XVI 10

Philo Leg. ad Cai. pag. 1014 1015

nobis

nobis Germanis adhuc uenerabilis habeatur, eiusdem felicitatis, qua nos utimur Christiani, particeps fuisset

Sed primum taceo, quod Tranquillus narrat, Caium nepotem ab Augusto collaudatum fuisse, quod, Iudaeam praeteruehens, apud Hierosolymam non supplicarit. Potuit enim hic Princeps ab Agrippa suo, Iudaeis post suum Hierosolymis, ubi hecatomben Deo facit, in Vrbem reditum, fauente, Iudaeisque per Herodem conciliato, in aliam impelli mitioremque mentem. Quaero deinde, si cultus ab Augusto fuerit Deus Altissimus, fueritne ideo cultus conuenienter altitudini suae coelesti, excluso atque abiecto honore Iouis Capitolini, Gradiui Martis, Vestae, aliorumque numinum, quae, prauita et communi superstitione, Romanum Imperium credebantur in fastigium terrarum Orbis extulisse, et communiter, ut uidetur, in Romano praecipue Agrippae Pantheo, culta sunt. Sed, minus illud factum, scimus, fuisse, cum Augustus ueteres praeceptasque religiones, quibus erat innutritus, reuerentissime coluerit, plura diis suis, Marti Vltori, Apollini, Tonanti Ioui, templa statuerit atque ornauerit, ad idemque faciem-

Tranq. A 93

Ioseph. Origin. XVI. 2

Vellei. II. 131
Dio Cass. lib. 53. pag. 515
Lipsi. de Magnitud. Rom. III. 6

Tranq. A 93

Tranq. A 29

Digitized by Google

ciendum uiros principes ſaepe ſit multumque cohortatus. Quis autem neſcit templa, ipſi Auguſto adhuc uiuo, in uariis Imperii Romani partibus, condita, ab ipſomet etiam Herode Magno, qui callide, ſed nefarie, ſtuduit, hoc Auguſtum cultu publico arctius ſibi deuincire. Auguſtum, negat Philo, opinione honoris, ſibi ab aliis feſta caerimonia habiti, inflatum fuiſſe, propterea, quod illum honorem non retulerit ad inſtrumentum ſuperbiae, ſed ad reuerentiam, principatui ſuo, in gentibus longinquis, augendam. Ergo religioni coniunxit dominationis arcanum, eoque ipſam religionem corrupit. Aliter tamen Romae prudentibus iudicatum eſt, Nihil deorum honoribus relictum fuiſſe, cum, ſe templis, et effigie numinum, per flamines et ſacerdotes coli, uoluiſſet. Itaque ſecus profecto fecit Auguſtus, ac Deus ille praeceperat Altiſſimus, unum ſe atque ſolum tota mente colendum eſſe, neque honorem ſuum cum aliis communicandum. Laudetur Auguſti in Iudaeos indulgentia atque munificentia, ſed ea nondum uerus Dei cultus conſtabilitur. Potuerunt Auguſto non nulla Iudaici ritus, tanquam leuitate populari grauiora, probari, hoc maxime, Summum illud et Aeternum, neque mutabile, neque interitu-

Dio L I. pag. 458. *Tranq. A.* 52

Ioſeph. Origin. XV. 13. Αλώσ. c. 16. *Philo ad Cai. p.* 1014

Tac. A I. 11

Digitized by Google

teriturum, non mortalibus materiis, atque in ſpecies hominum effictis, coli, ſed mente ſola. Hoc enim Corn. Tacitus in Iudaeis memoria dignum reperit, ex ſuiſque cauſſis ita deſcribit, ut idem illud, niſi cum ratione inſanire uelit, non probare non poſſit. Hoc alii profanarum gentium ſapientes, ipſique Graeci, Socrates in primis, contra uulgi opinionem, ſentiebant, maxime etiam Stoici, quibus familiariter Auguſtus uti ſolebat. Atque, ipſum quidem Auguſtum ita de Deo ſenſiſſe, Philo tradit, quem, oſtendit, ipſa duce philoſophia, perſpexiſſe neceſſitatem, Numen, quod ſub aſpectum non cadat, ſine effigie rei aſpectabilis uenerandi. itaque Templum, quod Hieroſolymis nulla recipiat ſimulacra, Deo dignum ab illo iudicatum fuiſſe, eoque ſacrificii quotidiani munere, quod diximus, publico auctum. Nec uero minus Auguſtus, ut idem refert alio loco, diligenter habuit cognitum, Iudaeos ab aſſentatione, diuinos honores mortalibus tribuendi, abhorrere, probatoque illorum inſtituto, neque Dominus, neque Deus, dici uoluit, aegreque tulit, ſi quis alterutro ſe nomine appellaret. Domini certe appellationem, ut maledictum et opprobrium, ſemper exhorruit, auctore Tranquillo. His adiice auctoritatem, qua Marcus Agrippa

Tac. H. V. 5 Diod. Sic. XL p. 921. Strab. XVI. 760. Ioſeph. II. in Ap. p. 1073

Auguſt. de C D. VI. 10 Plin. H. N. II 6

Philo Leg. ad Cai. p. 1036

Philo Leg. ad Cai. p. 1014

Tranq. A. 53 Tertull. Apol. p. 31 Ioſeph. Archaeol. XV. 15

Digitized by Google

pa apud Auguſtum plurimum ualebat. Huic enim Agrippae, ut Philo reliquit in ſcriptis, plura omnino perplacuerunt, quae Hieroſolymis coram, et auidiſſime, inſpexit, Templum ſine ullis ſimulacris, decor ſacerdotalis ritus, alia, caſtius atque grauius uſitata. Itaque Templum hoc quotidie adiit, hoc, eiuſque ornatum, familiaribus ſuis aſſidue laudauit, hoc donis etiam decorauit. Quid ergo mirum, ſi eadem, quae uidit Hieroſolymis atque admiratus eſt, Auguſto praedicauit, eaque praedicatione ſua Caeſarem permouit, et quibuſdam Iudaeorum inſtitutis eum conciliauit. Sed ea re nondum perfecit, ut Auguſtus Iudaeorum Deum coleret ſolum, repudiatis aliis numinibus, quae ritus patrius recepiſſet, quippe, cum moris eſſet Romanis, ipſique Auguſto, plures colere Deos, patrios maxime, caerimonia utique diuerſa. At unus eſt Deus, una Religio uera, non, qualem mente tibi fingas probabilem, ſed qualem Deus hic unus inſtituit ipſe, et, ſeuera expreſſam formula deuinctamque, praecepit. Cui quidem ſi libeat tibi adiicere atque intexere noua, ex aliis decerpta placitis, quae proba tibi uideantur, Centonem Religionis confeceris, Deo, ipſiſque mortalibus cordatioribus, inuiſum. Hoc autem facere ſolent, qui, neſcio quam, prudentum Religionem

Philo Leg. ad Cai. 1033

Cic. Verr. IV c. 59

Digitized by Google

ligionem libidinoſe procudunt, hoc priſcae memoriae et philoſophi, et uiri ciuiles, qui ſapere uellent ſupra uulgus, identidem facere conſueruntur. Hoc igitur Auguſtus ipſe ſibi permittere potuit, pro moribus ſaeculi ſui, hac imbutus opinione, a maioribus accepta, reipublicae cauſſa utendum eſſe maiorum inſtitutis, reſeruata ſibi credendi atque ſentiendi libertate. Qua tamen re ipſa conuellitur Religio, quae mente ingenua ac ſimplici cum teneatur, omnes artes ſimulandi diſſimulandique uerſutas repellit. Itaque, ſi cui forte dicatur Auguſtus regnandi cauſſa Religionem diſſimulaſſe, ne proderet animum, Iudaeis, inter Romanos, uerpis infenſos, ullo modo addictum, is uero meminerit, hac ipſa re infelicem, una cum aliis, fuiſſe hunc Caeſarem, qui ueritatis diuinae, aliquantum agnoſci coeptae, ueſtigiis, iam repertis, non inſtiterit, cumque Religionis cardo in timore Dei ſincero uertatur, hunc ipſum timorem poſtulare, uti Deum ſolum magis, quam, quicquid eſt hominum, quicquid in republica motuum atque periculorum, timeamus. Supereſt, ut colligamus, Iudaeorum Deum neque ignotum fuiſſe Auguſto, nec plene perfecteque cognitum, ac probatum quidem ei fuiſſe cultum ſine effigie mortali,

Cic. de Diuin. II. 72. Lact. Diu. Inſt. II. 3

Lactant. Diu. Inſtit. I. 5

tali, ſed haud reiectum ideo patrium morem colendi ſimulacra. Hunc enim a maioribus acceperat, hunc mordicus a ciuibus teneri, uidebat, hunc idcirco regiis dominationis ſuae artibus attemperare nouerat, ab eo diſcedi, inter homines, rebus his ſpecioſis auitiſque captos, periculoſum iudicabat. Ac nomen quidem Chriſti, ſub eius principatu nati, in Tabulis Cenſoris, Romam perlatis, quas laudat Tertullianus, legere potuit, ſed uim huius nominis eo minus intellexit, quod eam, temporibus tam corruptis, ipſorum Iudaeorum, in Iudaea commorantium, pauciſſimi ſunt aſſecuti. Tantum abeſt, ut Auguſtus, Romae, infinitis occupationibus diſtrictus, ob eamque cauſſam in curis longe aliis uerſatus, diſtinctam Chriſti notitiam uel potuerit habere, uel ſtuduerit. Proinde, quanquam rebus affluxit tam ſecundis, ut praecipuae felicitatis ſpecimen exemplumque ſolemnibus acclamantium formulis daret, nullum tamen fructum felicitatis huius, longe praeſtantioris, cepit, quam Euthanaſia, appellationi ſuae par, mortalibus impertiri poſſit. Quid ipſius denique illius habet, quaeſo, felicitatis, quam ſibi, putat, in morte ſubita expetendam. Aggrauata ualetudine, Nolae ſuccumbit in lectulo, cuius taedia,

Tertull. adu. Marcion. IV

Eutrop. VIII 2

Digitized by Google

dia, infirmis inteſtinis, morbo uariante, increſcente denique, quis non uidet. Supremo die, petito ſpeculo, capillo compto, ore compoſito, amicos admiſſos percontatus, Ecquid iis uideretur, mimum uitae commode tranſegiſſe, plaudi, iubet. Satis animoſe, facete etiam, ne quid animi defuiſſe uideatur. Omnibus dimiſſis, aduenientes ab Vrbe de Druſi filia, aegra, interrogat. Amanter certe, multaque cum ſuorum cura. Tum uero repente in oſculis Liuiae deficit, atque in hac extrema uoce, Liuia, noſtri coniugii memor uiue, ac uale. Ob eam cauſſam traditur potitus exitu facili, et qualem ſemper optarit. Sed miſerum Auguſtum, in oſculis huius extinctum feminae, quae maritum optimum, Principem omnis memoriae clariſſimum, Barbaris etiam longinquis atque ultimis eximie cultum, ueneno, ſi prudentioribus credimus, conficit, ut Tiberio, filio ſuo, rerum ſummam, Agrippa reiecto, tradat. Voluit certe haec Liuia ab Iudaeorum ſacris haud aliena uideri, cuius, Auguſtique, dona, Templo Hieroſolymitano miſſa, ita commemorat Ioſephus, ut, eandem, oſtendat, ipſa quoque uaſa ſuppeditaſſe, rei diuinae ſeruientia, quae, una cum Auguſti donariis, aliiſque ſacris, Iudaei deinceps, a Tito

Tranq. A 99

Dio Caſſ. lib. 56. Epitome Vict. 5. Tacit. A I 5

Ioſeph. de Bell. Iud. V I 16

Digitized by Google

obſeſſi, inſigni ſacrilegio diſſiparint. Sed eadem Auguſta, cui fraudis ſtudium Vlyſſis togati nomen dedit, in Auguſti gratiam quid non fingit, aut quid tandem Religionis habere potuit, quae ſoli ſtuduit Tiberii, filii, potentiae, ac per eum ſuae. Huic tamen maritus coniunctiſſimus, ſed perfidae coniugis fraude deceptus, memoriam coniugii ſui commendat. Hanc uiuere, optat, hanc ualere, neſciens omnino, de ſe mortuo quid futurum ſit. Neque enim habet certum illud alterius uitae ſolatium, quo ſe, ceſſurus uita, ſuſtentet. Aliter, opinor, Auguſtus de inferis ſenſit, atque eius, per adoptionem, pater, Iulius Caeſar, cui mors cuncta mortalium mala diſſoluit, ultra neque curae, neque gaudio, locus eſt, ut ipſe diſſerit in Senatu. Notatur hoc nomine a M. Porcio Catone, falſa, arbitratus, ea, quae de inferis memorentur, diuerſo itinere malos a bonis, loca tetra, inculta, foeda, atque formidoloſa, habere. Haec negari, Cato Stoice increpat, et meliora ſine dubio edoctus eſt Auguſtus ab ipſis Stoicis, Athenodoro maxime atque Areo, quorum familiaritate delectatus eſt. Sed ipſa in diſciplina Porticus illius, nullo fultae fundamento ſolido, quid praeſidii potuit habere, quid exploratae ſpei. Nimis

Tranq. Caio 23

Salluſt. Bell. Catil. 51

Sall. B. C. 52

Sall. B. C. 52 *Lactant. de Vita Beat. VII.* 7

Iulian. Caeſ. p. 326

Digitized by Google

mis infirmum rationis adiumentum est, ubi stabilitas quaeritur incolumitatis aeternae. Fertur etiam, ante efflatam animam, hoc signum alienatae mentis ostendisse, ut, subito pauefactus, a quadraginta se iuuenibus abripi, quereretur. Ita uero terroribus etiam angitur Augustus, exanimandusque iam, ignorat, quo trahatur, pessimamque rerum commutationem extimescit *Trang. A. 99*

Sed quid horum omnium timet Abichtius, spem fiduciamque suam in Christo collocans, quem moribundus inuocat, quem, ex promissione diuina, inuocantibus facta, praesentem habet adiutorem, cuius tutelare numen et colere, tiuus consueuit, et auditoribus, pro firmamento salutis aeternae unico, commendare. Huius nomen in Censualibus Commentariis legi potuisse, exhibito Seruatoris promissi expectatissimique aduentu laetus, iucundissimum putat. Sed multo iucundius existimat, diuinum eiusdem Seruatoris natalem ab ipsis Geniis coelestibus nuntiari, ipsum etiam, terras obeuntem, conspici, ipsum, salutaribus doctrinis homines impertientem, audiri, ipsum, arduum salutis instaurandae opus omni ex parte perficientem, cognosci.

gnoſci. Haec noua in ſacris literis, et alia uetera, quae huc reſpiciant, in iiſdem, legens, animoque agitans, omnia, uidet, ueri ſummique Dei plena eſſe, ac ſalutis omnibus numeris abſolutae. Reperit in his ſalutarem Dei notitiam, ſancti caſtique cultus ſcientiam, conſolationes in omni fortuna firmiſſimas, bene beateque uiuendi ac moriendi inſtitutionem perfectiſſimam, ac, quicquid denique ad animi tranquillitatem atque conſtantiam, quicquid ad felicem uitae exceſſum, pertinere uideatur. Haec, et diſcit ex monimentis diuinis, et alios docet, haec ab erroribus impiorum defendit, eoque ponderat acrius, et ponderata in animum demittit, atque adeo in ſuccum quaſi ſanguinemque conuertit. In cogitationibus, tam ſanctis, aſſidue uerſatus, animum pietate implet, in eoque tale Religionis perpetuae domicilium conſtituit, ut uiuum ſpiranſque Dei templum ſecum circumferre uideatur. Ergo uera gaudet animi tranquillitate, Deique praeſidio fretus atque munitus, dubiis in rebus praeſentiſſimum habet, et conſilii, et auxilii, lumen. Ingraueſcente quidem aetate, ſenectutis, quae, ſi credimus Comico, ipſa morbus eſt, incommoda ſentit, ſed nullam uim eius morbi, quo tenetur Auguſtus, lectulo affixus, cum ipſe

tantis

Digitized by Google

tantis adhuc praeditus ſit uiribus, ut et domi res ſuas adminiſtrare poſſit, et in concionem prodire

Quanto felicius igitur, in ueneratione Chriſti Seruatoris, hic, quam in oſculis fideque ſuſpecta Liuiae Auguſtus, deficit, longe caſtioribus, uereque ſalubribus, refectus oſculis, quae piis omnibus, una cum praemio ſalutis aeternae certiſſimo, ipſa Religio proponit. Hoc enim ſit ex ſacroſancto foedere, quod ſacra Sponſa cum diuino Sponſo, Eccleſia cum Chriſto, iungit, piis certe omnibus tam ſalutare, ut liceat his ad amplexum et oſculum Chriſti religioſum currere, liceat in oſculis Sponſi coeleſtis haerere, eiuſque Spiritu et recreari, et conſecrari. Eodem iure, Chriſtianis quaeſito, Abichtius oſculari Filium Dei, quod iubet Pſaltes Regius, eo tutius poterat, quo grauius execrari pro concione ſolebat oſculum Iudae perfidum, quo benignius etiam Chriſtus, ipſos infantes oſculatus, ſuum in homines amorem declarauit, quo maiore ipſius mortis ſuae pignore eandem mortalibus caritatem ſpopondit, Corona uitae iis quoque promiſſa, qui fidem ſibi praeſtent uſque ad mortem. Qua quidem palma tametſi plerique non

Digitized by Google

potiuntur ante, quam, tolerantia multorum grauiumque dolorum, ipso denique ultimo atque acerrimo certamine, constantiam fidei probauerint, eandem tamen palmam, diuinitus offerri solitam certantibus, diuino singularique beneficio, prius, supremo uitae die, accipit Abichtius, quam sibi tum, pro ea obtinenda, certamen mortis, fatalemque laborem, suscipiendum, uidet. Hunc enim fert pietatis suae fructum, ut, nullo ualetudinis afflictae tormento debilitatus, uitam cum morte, ac mortem potius uitae huius miserae cum uera beatissimaque uita, commutet

Hanc autem rem si quis forte, animi leuitate ductus, parui facere possit, huic ego nunc ante oculos statuerim lectum, in quo decumbat aliquis, grauiter aegrotans. Aspiciat mihi *quis* Domitium Tullum, diuitem illum senem quidem, sed ita morbo perditum, ut, omnibus membris extortus et fractus, opes solis oculis obeat, ac ne in lectulo quidem, nisi ab aliis, moueatur. Itaque dentes lauandos fricandosque praebet aliis, et, questus de contumeliis debilitatis suae, se, ostendit, digitos seruorum suorum quotidie lingere. Hoc foedum, miseran-

Plin. lib. VIII Ep. 18

dum-

Digitized by Google

dumque dictu, uocat Plinius, cumque, Tullum, oſtendit, crebro de calamitate ignominiaque ſua conqueſtum fuiſſe, nulla re, declarat, fortunatiſſimum quemque fieri miſeriorem poſſe, quam morbi grauitate. Hoc me reputantem mecum terret imago carnificinae, quam ſubire uidetur aliquis, ui tanta morbi abiectus, ut tormentis ſubiectus uideatur. Videas eum toto corpore languentem, ſaepius atque aegre in utramque partem ſe uerſantem, aut ne dimotum quidem loco, niſi ab aliis, faſtidientem omne ciborum genus, uultu oculiſque demiſſis, ſpiritu laborante, anhelantem, ſub pluma, quamlibet molli, ſuſpirantem, tantis denique repletum taediis, ut, morte finiri cruciamenta, malit, quam morbum remediis moleſtiſſimis ali. Audias querentem de ſenſu dolorum, horumque incrementis, de ſuis inſomniis, cum noctu ſopita ſint omnia, de corporis ſui iactatione, diurna nocturnaque, cum alii quiete ſuauiſſima reficiantur. Quid multa. Plus aeger malorum ſentit, quam uel ipſe, languore confectus, uiribus exhauſtus, pronuntiet, uel, qui adſint, cogitando aſſequi poſſint. Iam conſidera mecum, ut mecum horreas, longum morientium dolorem, ac difficiles obitus, quales Maro tribuit Eliſae ſuae. His, *Virgil. Aen. IV.* 693

Digitized by Google

ostendit, ad misericordiam adduci ipsam Iunonem, antehac implacabilem, ut, imagine mortis difficilis expressa, doceat, tam miserum esse hunc efflandae animae laborem, tam tristem eius aspectum, ut immanis sit ac ferreus, qui eo commoueri non possit. Ipse quidem Augustinus confitetur, se, Virgiliana haec legentem, morti Didus quondam illacrymari. Quam diuinum denique putaueris illum, qui, ubi moriendum fuerit, nullo commoueatur mortis horrore, et, quamuis hunc timorem diuinarum promissionum recordatione uique discusserit, per infirmitatem tamen humanam cogitationibus nouis non solicitetur, atque adeo nouae consolationis non indigeat subinde. Hoc enim illud tempus est, quo, desperatis hominum auxiliis, de profectione in alteram uitam cogitatur, quo demigratur ad iudicem, qui sermone uultuque ficto decipi non potest, quo, in tribunali altissimo, ratio omnis negotii otiique redditur, quo nouus, nec mutabilis unquam, status sortis, in perpetuum dandae, definitur. Tum demum nemo tam obliuiosus est, quin uitae, inde usque a puero actae, meminerit, nemo, sana quidem mente praeditus, tam praefidentis animi, quin plus culpae suae, quam uirtutis, reperiat, nemo tantae constantiae, quin,

Augustin. I Confession. 13

sui

ſui conſcius meriti, trepidet, neque colligat ſe prius atque requieſcat, quam, cogitatione in Aſſertorem ſuum conuerſa, illius expiatione formidinem ſuam, anxiamque ſolicitudinem, ſedet. O quantum iam eſt, integris ſenſibus, ore uultuque compoſito, placide mori, ut ex domo in domum migrare uidearis. Hac mori felicitate uiſus eſt Cyrus ille maior, qui, oratione ad filios habita, his amiciſque ualere iuſſis, dextra denique cunctis porrecta, obnubit ſeſe, ut, uelut ad ſomnum, quem paullo ante morti ſimillimum profeſſus erat, compoſitus, obdormiſcat. Ea uero re, quae ſanitatem mentis ſenſuumque omnium conſeruatam oſtendat, hominem uſque ad obitum felicem poſteris narrare ſtatuit Xenophon, qui Cyrum magis ad exemplar boni Principis, quam ad fidem hiſtoriae, ſcribit. Nec uero dubitari poteſt, quin ratio, ſenſuum integritate praedita, ut omnem uitam recte decoreque uiuendi iudicio ornet, ſic ipſam uitae clauſulam reddat feliciorem, quod ſuam homini dignitatem, quae ſita eſt in ratione decoroque huic coniuncto, uſque ad finem uitae integram praeſtet. Tanto felicior praedicandus eſt, qui rationem habet, diuinitus illuminatam, ſi quidem huius uſu potiatur, uſque ad mortem in-

Xenoph. de Inſtit. Cyri VIII. p. 238

Digitized by Google

uiolato. Sic enim, et mortem oppetit, uitae prudentiae consentaneam, et, qua uixit sanctitate, eadem Deo se transdit moriens, et, qua Seruatori copulatur fide, eadem non interrupta ad Deum, corporis laxatus uinculis, accedit, nulla sui mutatione, nisi in melius, percepta. At quoties uiris, uel sanctissimis, ante, quam mortem obeant, alia eueniunt omnia, quorum sensus morbi grauitas perturbat, quorum ora distorta, membra concussa, uarieque iactata, tam miserum sui praebent spectaculum, ut, haec qui uiderit, non possit misericordia non moueri, lacrymis etiam saepenumero expressis. Hoc autem saepe magna sanctitate uiris usu uenire, ostendit Athanasius, aut sub eius nomine quicunque fertur, ut ii, extremum spiritum trahentes, animam grauiter agant, et cum difficultate moriendi luctentur. Qua quidem in re abditos Dei sensus exquirere quanquam non audet scriptor ille, spectaculi tamen, tam miseri, hanc quoque reperit caussam, ut in eo, qui adsunt atque inspectant, oculos defigant, suaeque memores culpae, sibi multo magis timeant, et uitam moresque emendent

Athanas. Quaestion. ad Antioch. p. 372

Sed nihil huius calamitatis, quacum aegrotantes

Digitized by Google

tantes morienteſque conflictantur, perpetitur Abichtius, cunctis his malis, quae ſenſus, paullo humanior, non poteſt non miſerari, liber ac ſolutus. Non aeſtuat, in lecto collocatus, morbo cruciatus, ſine ſpe iacens, deputans in lucro, ſi tandem mori poſſit. Sed properat ad ſacra, ornat ſe ad reuerentiam feſti diei, in Templum domo uult exire. Non ſuſpirat, inter mortiferas malorum terrorumque imagines, recordatione praeteriti temporis anxius, ſed, cogitans de anniuerſario optatiſſimoque cultu Paracleti Coeleſtis, non minore laetitia afficitur, quam religione. Morte inter dolores cunctante, non uidetur toties mori, quoties animo linquitur, ſed, fato occupatus, eadem mentis, ſenſuum, uultuſque, conſtantia, decedit, qua mortem, multo ante prouiſam, ſuiſque ponderibus examinatam, armis autem Chriſtianis infractam, expectat. Huius in obitum quis oculos coniicere nolit, qui quidem meminerit, hoc diuinitus praecipi, ut doctorum noſtrorum exceſſum etiam atque etiam conſideremus, ex eoque fidei ac pietatis documentum capiamus. Ecquis autem Abichtii, ſine doloribus longae ac laborioſae mortis extincti, finem placidiſſimum animo contemplatur, quin agnoſcat in eo ſanctitatis, uita probatae,

Digitized by Google

tae, praemium, gratiae diuinae pleniſſimum, eoque ad imitationem uirtutis conſimilis excitatus, erigatur ad ſpem, nouam iucundiſſimamque, ſimiliter omnem mortis, aliquando oppetendae, metum coeleſti auxilio ſuperandi

Quo minus habemus iam, quod Abichtii cauſſa moereamus, ſed tanto plus, quod ei gratulemur, ſingulari quadam felicitate, in praecipuo temporis articulo, id adepto, quod ſani ualenteſque exoptant omnes, conſequi morientium pauciſſimi poſſunt. Vtinam nos omnes, quibus pio placidoque e uita diſceſſu nihil optatius eſſe poteſt, ad exitum, et pietate et facilitate ſimilem, perueniamus

Atque hoc quidem illud eſt fomentum, quo omnium, qui ſincere amarunt Abichtium, moeror, ex eius deceſſu perceptus, merito ſapienterque lenitur. Hoc demum illud ſolatium, pietati domeſticae conuenientiſſimum, quo familiae, maritum coniunctiſſimum, patremque amantiſſimum, lugentis, dolor, quamlibet acerbus, rectiſſime et amantiſſime mitigatur. Familia tamen haec nobiliſſima, quam caſus, tam funeſtus improuiſuſque, oppreſſit, tantum roboris habere non poteſt, uti, ſuis nixa uiribus, colligat

Digitized by Google

ligat seſe atque confirmet, et deſiderium, quo languet, praeſidii decoriſque, ſibi proxime intercepti, reſtinguat. Deus igitur comprecandus eſt, ut eam perculſam erigat, erectam fulciat, fultam in tuto ſic collocet, ut, rebus aduerſis leuata, ſecundioribus recreata atque ornata, inter ancipites temporum uiciſſitudines, in ſede quadam ſtabili ac tranquilliſſima ſiſtatur

Haec, Auditores, habui, de Euthanaſia Emendata quae dicerem, permotus, et obſeruantia, quam multis praeſtantibuſque meritis Abichtii debemus, et uera incorruptaque illius Euthanaſia, quae me rapuit ad ſe, attentius ac religioſius explorandam

Supereſt, ut uiduae moeſtiſſimae, ac totius familiae Abichtianae, nomine, uobis, Auditores, gratias agam ampliſſimas, qui dedignati non ſitis, hanc funeris celebritatem praeſentia ueſtra, dignitatis plena, exornare, eaque uoluntatis egregiae ſignificatione, memoriam uiri, coelo nunc recepti, cohoneſtare. Eodem uobis nomine grata atque pia beneficii inſignis, quod a uobis hodierno die acceptum eſt, praedicatio ſpondenda eſt. Ex animo denique optandum, ut Deus immortalis a uobis, uniuer-

Digitized by Google

fis atque ſingulis, acerbos lugubreſque caſus omnium generum prohibeat, ut, ornamentis familiarum ueſtrarum florentibus, nullum praeterea rerum laetiſſimarum proſperrimarumque munus uobis non impertiat, ut, conſeruata hac amplificataque fortuna ueſtra, uberrimam uobis det facultatem, mutuis inter uos gratulationibus perpetuiſque

Digitized by Google

X

DE VERA RECTORIS ACADEMICI PRVDENTIA

HONORI SVPREMO

IO. GODOFREDI KRAVSI

IVRECONSVLTI

RECTORIS ACADEMIAE

A. CIↃ IↃ CC XXXIX

VIII IDVS SEPTEMBRES

Quonam fato noſtro fieri dicam, Auditores, ut, cum, abhinc annos quatuor, uiri, iuris diſciplina florentiſſimi, Ioannis Friderici Vuernheri, qui clauum Reipublicae noſtrae multa cum laude tenuerat, funus peracerbum luxerimus, noua iam, ac repetita, clade, in hoc ipſo ſemeſtri nondum tranſacto, duos noſtratis Academiae Rectores Magnificos amittamus, quorum alter, Theologus, nemini ſecundus, Georgius Fridericus Schroeerus, nuper hic ſepul-

Digitized by Google

tus est, alter Iurisconsultus praestanti scientia, Ioannes Godofredus Krausius, in hoc eodem templo nunc humandus. Quo clariora sunt utriusque decora, hoc acerbior est moeror, quem capimus nos ex utriusque decessu, duplici plaga, quae Reipublicae nostrati Literatae infligitur, eo grauius perculsi, quod, superiore uulnere uix sanato, nouum iam nobis imponitur, eoque et prioris memoria refricatur, et doloris, ex utroque percepti, uis magnitudoque ingraueſcit. Vt triste enim, ut funestum, est spectaculum, quod oculis nostris exhibet funeris praesentis, luctuosique, conspectus. Veste mutata, adsunt Patres, adsunt Ciues, adsunt denique, quotquot societatem nostri doloris ineunt, eoque funebri corporis habitu, quid desiderent, quid lugeant, moestissimi declarant. Sanctus hic augustusque locus, in quo omnis moestitiae sensus a miseris calamitosisque deponi solet, quot pullati funestatique cultus uelis omni ex parte infuscatur, tot notis tristitiae squalet. Haec rostra, in quibus uestigium facio, quae purpura Rectoris nitebant nuper, lugubria nunc induerunt. Purpura, qua Rector, publica salutatione nuper appellatus, fulgebat, quam nunc, humeris exutam, atque in hac repositam tabula, conspici-

mus,

Digitized by Google

mus, quid retinet priſtini ſplendoris. Faſces hi, qui, nuper Rectori purpurato ſummiſſi, ſplendebant, atro nunc infelicique integumento obuoluti, ſordent. Omnis audientium corona, qua circumfundor, triſte ſilentium obtinet, et Academiae iacturam haud aliter deplorat, ac ſuam. Vbique ſilentium, ubique luctus, propterea, quod imago mortis praeſens, ac feralis, omnium oculis inhaeret

Quae quidem res etſi me, communi malo fractum, non mediocriter conturbat, uideo tamen, me in conuentu hominum ſapientiſſimorum uerſari, quorum uel ipſo commonefiam aſpectu, nos de meritis Krauſii pro dignitate haud exiſtimare, ſi tantummodo id, quod eius obitu perdiderimus, contemplari uelimus, nec ſimul illud, quod nobis ab eo poſteriſque ſit relictum. Auerto igitur me a conſpectu morientis Krauſii, ab oculis eius clauſis, ore pallido, uultu exangui, aliis, quae frigent rigentque, et, animo ad immortalitatis contemplationem excitato, aciem mentis defigo in eius decoribus, quorum nihil intermori poteſt. Haec etſi late patent, nec minora in oculis ciuium, quam domi intuſque, fuerunt, ex his tamen illa potiſſimum decer-

Digitized by Google

pam, quae ſupremo ſplendidiſſimoque muneri, in quo deceſſit Krauſius, maxime conuenire uideantur

Dicam enim, Auditores, de Vera Rectoris Academici Prudentia, quam ſinceram incorruptamque in Krauſio reperire mihi cum uidear, eam quidem, ſub exemplo Krauſii, in promptu ponam. Sed, quoniam has dicendi partes auctoritate publica, iuſſuque Academico, ſumpſi, mihi, uideo, orationis ornatum, in hoc praeſertim communi luctu, minus eſſe quaerendum, quod Patres Conſcripti, me pium potius gratumque, quam diſertum, mentis ſuae interpretem eſſe, uoluerunt

Ac mihi quidem, animo informanti illum, qui, Academiae gubernacula tractans, prudentia ſua in commune conſulere debeat, haec quaeſitae uirtutis imago ad animum occurrit, ut uera Rectoris talis Academici Prudentia quatuor his in rebus eluceat, in exemplo uitae, in conſiliis, in iudiciis, in diſciplina. Habet enim Academia ſtatum literatae cuiuſdam ciuitatis, quae, ſub auſpiciis ſummi Principis, magiſtratu, legibus, iudiciiſque ſuis, recta, imperandi parendique ordinem ita conſeruet, ut communi ſenatus conſilio

Digitized by Google

filio res geratur, huic tamen Patrum conſeſſui unus praeſit eorum, qui et referat ad ſenatores de republica, et ſententias roget eos, et ſenatuſconſulta ex iis faciat, et, quae communiter decreta ſunt, effecta det. Cum igitur huic adminiſtratio reipublicae potiſſimum committatur, idemque perſonam reipublicae gerat, in gradu ampliſſimo locatus, omnes in illum, uel Patrum, uel Ciuium, oculi merito coniiciuntur, qui cunctis, et dignitate, et auctoritate, praeſit. Sed, quo acrius in eo omnium defiguntur oculi, hoc plus eiuſdem exemplum ualet in utramque partem, quo ciues dirigi, more gregis, more militis, qui ducem ſequitur, quis ignorat. Hoc igitur agendi uiuendique exemplum cum omni reipublicae procurationi neceſſarium eſt, tum illi praecipue ciuitati, quae, literis moribuſque cenſeri cum uelit, nullum immodeſtiae, intemperantiae, temeritati, indignitati, relinquit locum. Sed recte facta conſiliis conſtant, et conſilia probe conſultando conualeſcunt, cum deliberandum ſit diu, quod ſtatuendum eſt ſemel. At, ubi conſulueris, mature facto opus eſt, ne, tempore rei gerendae dilapſo, conſilium poſt res afferatur. Iam nemo dubitat, quin publicus, et frequens, ciuitatis, diuina humanaque ſapientia erudi-

Digitized by Google

eruditae, ſenatus uiros habeat ſapientiſſimos, conſiliique plenos. Quorum quidem tametſi nemo egregii publici adeo eſt negligens, ut, ab utilitate communi ſuam, uelit, ſeiunctam, ad eum tamen rerum ſumma redit, qui, uelut in ſpecula ciuitatis poſitus, mente proſpiciat, quid imminere periculi poſſit. Huic uni omnium maxime prouidendum eſt, ne quid detrimenti reſpublica capiat, huic enitendum, ut et ſua, et aliorum, quos uocat in partem curarum, conſilia rebus dubiis obiiciat, ac perficiat id, quod publice uideatur expedire. Qui quidem cum perinde iudiciis, ut conſiliis, ciuitatis ſuae praeſideat, huic demum non minus danda eſt opera, ut ſuum cuique ius ſancte integreque reddatur, et cauſſis controuerſiiſque nauiter cognitis, et ſententiis religioſe dictis, et ſublata iuris calumnia, quae iuris aequique fructum, uel mora differat, uel ſumptu premat. Ecquam mihi iam ciuitatem, bene moratam, laudaueris ſine diſciplina, ciuibus culta, cuius quidem, uel in praemiis uirtutum, uel in poenis uitiorum, tanta uis ſemper animaduerſa eſt, ut ipſae reſpublicae florentiſſimae, uel cuſtodia diſciplinae ſteterint, uel, huius negligentia, ceciderint. Quid autem diſciplinae non expectes ab eius ciuitatis moribus, quae in-

genii

Digitized by Google

genii literarumque cultu floreat, et nulla re magis ornetur, quam doctrinae, humanitatis, modeſtiae, grauitatis, laude. Atque hoc quidem decus quanto plus dignitatis habet, quantoque minus a liberali eruditorum coetu ſine ſummo dedecore ſecludi poteſt, tanto minus committendum eſt, ut, in eius decoris conſeruandi officio quicquam, uideatur, neglectum. Has quatuor igitur muneris ſui partes, in coetu literatorum ciuium regundo, quiſquis expleuerit, is ipſius, opinor, prudentiae, qua hic opus ſit, officio functus haud abſurde uideatur

Quis igitur, Krauſio, praeclarius uitae lumen aliis praeferre potuit, qui publici priuatique auſpicii fundamentum omne in pietate ac religione animi, iecit. Hanc enim uirtutem, in ſinu gremioque parentum optimorum, Georgii Gregorii Krauſii, et Lucretiae, ſtirpe Hofmanna nobilis, combibit, hanc magiſtrorum integerrimorum, quorum fidei mature concreditus eſt; inſtitutione accuratius didicit, hanc, maiorum recordatione, ſibi maxime commendari, intellexit. Ex paterna enim maternaque ſtirpe habuit, quorum uirtutes cum alias, tum uero mentis religioſae ſtudium, contemplaretur, multa

Digitized by Google

cum fruge. Ac patriae quidem laudis hereditas, posteris tradita, originem, longe honestissimam, ab Andrea Krausio trahit. Hic, Staffelstenii, opido ditionis Papebergensis, Anno CIↃ IↃXXXIII natus, ibidemque praetura duodecim annos integerrime functus, anno CIↃIↃXCVIII patria domoque pelli, maluit, quam animi leuitate, quaestum aucupante, fidem soluere, sacris emendatis deuinctam. Mutato igitur domicilio, cum uxore liberisque, Koenigsbergam Franciae, qua spectat in Orientem, profugus, nouam familiae suae deligit sedem. Ibi gentis suae opes casto constantique Dei cultu fundat, tam feliciter quidem, ut illa, per centum fere ac quinquaginta annos, in eodem opido tractuque Koenigsbergensi, multis crescat, secundissimisque, rebus. Andreae, anno CIↃ IↃ CV mortui, nepos, Ottonis filius, Ioannes VVernerus, aui pietatem constantiamque aemulatus, primum in sacerdotio Lisbergensi, tum Holtzhusano, VVesthemensi denique, doctrinam coelestem, quam Lipsiae ab Hoepfneris, Langiis, aliisque uiris doctissimis, acceperat, et tradit fideliter, et pie recteque factis confirmat. Tres habet filios, Ioannem VVernerum, Georgium Gregorium, et Ioannem Georgium, quorum, fratrum Germa-

norum,

Digitized by Google

norum, ſanguine duae gentis Krauſiae propagines ſeruntur, unius quidem Francica, quae domi ſe tenet, alterius ac tertii Saxonica, quae apud Saxonas effloreſcit. Ex tribus his fratribus quanto ſtirpi ſuae ornamento eſt natu maximus, Ioannes VVernerus, non ſolum rerum diuinarum peritiſſimus, ſed ipſius etiam Iuriſprudentiae, ipſius Medicinae, haud expers, antiquitatis praeterea, maxime patriae, multo ſtudio exercitatus. Cuius quidem Annales Koenigſbergenſes, opus annorum quadraginta, grande, deſideratum, cum penes heredes ſint, cum tamdiu a multis expetantur, iidem, quid tandem cauſſae eſt, qua re ſcriniis adhuc abdantur. Hunc autem uirum ipſum, tam praeſtantem, caritas patriae retinuit, ſtudium diuini cultus ſacerdotio Koenigſbergenſi affixit, in quo diutiſſime quidem uixit ille, ſed eis minus diu, quibus nihil antiquius erat, eius integritate, uel doctrinae, uel uitae. Deſiderium eius ſolus lenit maior eius filius, Ioannes VVernerus Krauſius, Antiſtes ſacrorum, in finibus Saxohilperſhuſiis, Eiſfeldenſium, qui nouum clarumque decus patriis atque auitis laudibus adiicit, tantum certe, ut nihilo minus ſanctioris, aliuſque exquiſitioris, ſcientiae, quam multorum in coetum ſacrum meritorum,

Digitized by Google

rum, fama celebretur. Trium pater filiorum, adhuc ſuperſtitum, procreatione felix, Georgii Michaelis, Georgii Samuelis, Georgii Immanuelis, quibus, paternas uirtutes colere atque imitari, dulce eſt, ac ualde decorum. At Georgius Gregorius, et Ioannes Georgius, Krauſii, ex Francia in Saxoniam ut ueniunt, Lipſiae eruditi, ſpei ſuae fructum capiunt, quorum alter Fribergae in Hermunduris, cauſſis in foro defenſitandis, nomen fortunaſque amplificat, alter, Iuris utriuſque doctor, primum Dreſenae multo rei forenſis uſu eminet, poſtea Vitembergae, Syndicatum conſecutus, de Senatu opidano, eiuſque ciuibus, bene meretur. Vtrique dant operam, ut nihilo magis iuris, quam iuſtitiae, ſint conſulti, cumque uident, in Saxonia alteram ſibi patriam dari, laetantur fructu pietatis, more maiorum cultae, in eiuſque ſtudio nunquam ſe remittunt. Ita uero Krauſius noſter in conuictu contubernioque patris, Georgii Gregorii, ut omnis prudentiae, ſic ſanctimoniae, uiuum reperit ſpiranſque documentum, neque alia pietatis gentilitiae exempla in ſtirpe paterna deſiderauit. Hanc enim, ſacrorum cauſſa, Koenigſbergam Staffelſtenio tranſlatam, hanc in peregrino iam ſolo depactam, atque floreſcentem, ipſa religio-

Digitized by Google

ligionis integrae propugnatio tum extuliſſe uidebatur, tum propagaſſe. Sed quantas illi religionis faces, ex materno genere, admouit recordatio abaui, Abrahami Langii, doctoris Theologi, et antiſtitis Vinarienſis. Hic ingenio ſcientiaque clarus fuit, ſed incorrupta pietate clarior, qua et concionem, Deo aduocatam deditamque, imbuit, et Ioannis, Ducis Saxouinarienſis, aulam familiamque impleuit. Idem fratres decem germanos, Ioannis eiuſdem filios, non interrupta uirilis ſtirpis atque ubertatis progenie natos, cuius fecunditatis exemplum mirere, ſacro fonte abluit, idem ſingularem ex ea re honorem ſuſcepit. Quibus quidem e fratribus cum eniteat Erneſtus ille Pius, quantum hic uel ſolus Langium, Fratres tot Principales ſacris initiantem, illuſtrat

Haec Langii, haec maiorum, ex utroque ſexu, decora contemplanda ſibi atque imitanda proponit Krauſius, ex his igniculos concipit, quibus deinde incenſus, nihil probat, niſi religioſe actum, ſic demum, arbitratus, fieri, ut nunquam ab auita paternaque uirtute deſciſcat. Nobiliorem igitur flammam, egregio in pectore creſcentem, alit, quam Fabii quondam, Sci-

Digitized by Google

piones, aliique Romanorum proceres, maiorum imaginibus accenſi ad ciuilem quandam uirtutem, ſed uerae religionis expertem. Eum uero animum, ſincero Dei metu imbutum, cum, per omnes aetatis ſuae gradus, uſque ad ſupremum ſpiritum retineret, nihil prudenter fieri putabat, quod a pietate ſeiunctum foret. Sic recte, utriuſque uirtutis coniunctione ueram demum germanamque prudentiam exiſtere, iudicabat. Nam prudentia ſine pietate calliditas eſt, fraus, malitia, quae bonitatis tegitur inuolucro, ut ſpecie probitatis fallat, ſed tanto capitalior eſt reipublicae, atque omnis uitae humanae, peſtis. Quo ſanctior eſt prudentia, hoc ope diuina munitior, hoc felicior rebus gerendis, et omni reipublicae ſalubrior. Quod quidem tametſi, pro ſuperſtitione Romana, ſine religionis errore non perſpexit uir ille, ſaeculi ſui unicus, Camillus, experientiae tamen euentorum conuenienter pronuntiauit, Omnia proſpera ſequentibus Deos, aduerſa ſpernentibus, euenire. Itaque Krauſius magiſtram uitae, ducem conſiliorum, delegit pietatem, eiuſdemque ſtudium publice priuatimque comprobauit. Quid multa. Adeſtis, Antiſtites Sacrorum uenerabiles, adeſtis, Sacerdotes ſanctiſſimi, praecones diuinae

Digitized by Google

mentis integerrimi, adminiſtri ſacri cultus uigilantiſſimi. Vos ego, uos appello, ut, pro religione ueſtra, qua nihil ſincerius, nihil conſtantius, eſt, teſtemini, uerum ne ſit illud, quod uulgo fertur, horum, qui uobis, per preces concioneſue, ſacra facientibus, omnium maxime uacare conſueuerint, nemini unquam Krauſium ceſſiſſe. Quantum igitur, quamque praeclarum, religionis ſpecimen eſt, quod Krauſius dedit. Sed pietas, et princeps uirtutum eſt, et genitrix tam fecunda, ut honeſti, cuius amore quodam mirabili Plato ac Tullius ardent, fontes ultimos ac puriſſimos neſciant hi, uirtutis officiorumque magiſtri, propterea, quod diſputationes ſuas ab hoc pietatis capite non ducunt. Qualis ergo quantuſque uirtutum chorus eſt, qui pietatem, uelut unicam parentem, comitatur. Ecce tibi iuſtitia, quae ſuum cuique reddit. Ecce fortitudo, quae, rerum externarum deſpicientia nobilis, pari faſtigio ſtat in utraque fortuna. Ecce temperantia, qua continentia moderatioque rerum omnium, modeſtia, uerecundia, omniſque ſedatio perturbationum, tenetur. Hinc omnes illae uirtutes, quae cernuntur in communitate et ſocietate generis humani, bonitas, liberalitas, comitas, et quicquid acrem reddit hominem,

Digitized by Google

minem, ſed mitem ſimul, manſuetum, et hominum uitae amicum. Et, quanquam omne uirtutum genus colendum ſibi, duxit, Krauſius, iuſtitiam tamen ipſorum ſtudiorum ducem ſumpſit. Hanc enim indoli ſuae conuenientem putauit, quae conſtans eſſet et perpetua uoluntas, ius ſuum cuique tribuendi. Hoc iuſtitiae ſtudium excitauit ei amorem ipſius iuris, cuius praecepta eſſe cognoſceret, honeſte uiuere, alterum non laedere, ſuum cuique tribuere. Ipſum etiam ius artem boni et aequi eſſe, uidit. Ergo, quam religioſum, tam ſuaue, illi uiſum eſt, ſacerdotem iuris fieri pium. Tantum iuſtitiae dedit amori, in ipſo uitae ac ſtudiorum genere deligendo

Sed, uirtutes omnes, animaduertit, inter ſe tam aptas eſſe atque nexas, ut ne ipſum quidem iuſtitiae officium, quod in hominum ſocietate late pateat, ſine aliarum cultu uirtutum tueri ſe poſſit. Nullam igitur bono uiro omittendam, duxit, illis tamen eminuit praecipue, quae cum modeſtia, manſuetudine animi, uerecundia, beneficentia, coniunctiores eſſent. Iuſtus ſine acerbitate, grauis ſine aſperitate, comis ſine fallacia, modeſtus ſine humilitate, uerecun-

Digitized by Google

recundus ſine timore, eoque praeditus animi habitu, qui ſapientem deceat, quantum a ſimulatione, tantum a ferocia ſuperbiaque, alienum

Egregium uero multiplicis ac probatiſſimae uirtutis documentum, dignum certe, quod oculis omnium animiſque ſubiiciatur. Et quiſquam dubitat, quin alii, uirtutes, tam pulchras, tam eximias, duxerint, imitandas, quas Krauſio, perſpexerint, tantum amoris, tantum dignitatis, apud omnes conciliare. Sic uera Rectoris Academici Prudentia factis probatur, faciendo docens optime, quod ab aliis rectiſſime fieri uelit

Sed eadem, tractandae in Academia reipublicae, Prudentia Conſiliis exercetur. Occupat enim ſtationem, unde, pro ſalute communi excubans, omnes reipublicae Academicae partes circumſpiciat, nec proquinqua ſolum contueatur, ſed longius etiam proſpiciat in futurum. Neque enim ſuae modo ſeruit aetati, uerum poſteris etiam, quorum cogitationem abiicere, turpis negligentiae crimen putat. Sed, conſideratis rebus omnibus, meminit, nihil eſſe tam quietum, quin aliquo motu ſubito ſolicitari poſſit,

Digitized by Google

nihil tam bene conſtitutum, quin aliquo libidinis efferueſcentis aeſtu laceſſi, nihil uideri tam felix, quin corrumpi poſſit ſecuritate, unde plurimae capiant initium maximaeque calamitates. Itaque conſilio, tanquam clypeo, munita, ad ſpem erecta, in omnes ſe uerſat partes, quid rebus ſecundis metuendum ſit, cogitat, quid aduerſis remedii parandum, conſultat, qua ratione ſtabilienda ſit tranquillitas, corrigenda deprauatio, metu peiorum melioribus inuigilandum, meditatur. Haec, aliaque, conſilians, uim cogitandi deliberandique omnem intendit, ut nihil reliqui fiat, quod pertinere uideatur ad optimum ſtatum, uel conſeruandum, uel recuperandum, uel omni ratione obtinendum. Sibi tamen haud ita praefidens, ut omnia in ſe ponat, auxilii nihil ab aliis expectet. Percontatur alios, audit, ſi quid ponderis habent, ſequitur, complures, exiſtimans, oculos plus uidere, quam duos. Vt foedum putat, labi, errare, decipi, ſua praeſertim opinione, ita ducit honeſtum, melioribus cedere monitis, ac uerum inuenire, et rectum tenere. Haud peruicax moroſitate, haud altercans, haud nauſeans, haud indulgens ſibi, obtrectans aliis, ſed ipſa ſui gaudens emendatione, neque ſuam ceteris inuidens, ulla in re, laudem

Hoc

Digitized by Google

Hoc animo, tam liberali, tam ſapienti, affectus erat Krauſius, ſiue ad Senatum Academicum de republica referendum eſſet, ut de conſilii ſententia pronuntiari poſſet, ſiue cum quatuor Ordinum, uel Senioribus, uel Praeſidibus, ſeparatim, de rebus, ad utrumque Conuentum pertinentibus, deliberandum eſſet atque decernendum. Quid rei eſſet, perſpicue docebat, quid ſui eſſet iudicii, neruoſe, adiectis rationum momentis, explicabat. Nec uero cadebat animo, cum res in diſcrimen ueniret, ſed acrius eius expediendae ſtudium adhibebat. Si quid maioris difficultatis obiiceretur, cunctatus, ſapientum more, aliquantum, dum res explorari poſſet, reperiebat tandem, quid opus eſſet. Nullam, in curis Academicis, praetermittebat partem, ſiue iura Academiae uindicanda eſſent, ſiue reditus eius ac poſſeſſiones curandae, ſiue ulla eius, uel commoda retinenda augendaque, uel incommoda mature propulſanda. Remotum a fide, quae data ſit Academiae, ponebat, rempublicam peiorem, quam accepta ſit, poſteris tradi, ſed, arbores, ueteri dicto, ſerendas, putabat, alteri ſaeculo quae prodeſſent. Ad uoluntatem, tam bonam, non parum facultatis afferebat. Inueſtigando ſolers, perſpiciendo acutus,

Digitized by Google

eutus, ſentiendo cautus, iudicando conſideratus, agendo promptus, laborioſuſque ac prorſus exſomnis. Patiens aliorum, qui diſſentirent de republica, cupidus audiendi, quid rectius ſuaderent, laudans, qui meliora impertirentur, eaque ſuis anteferens, nihil arrogans ſibi, nulli inſeruiens utilitati, niſi publicae. Haec illius erat in conſiliis capiundis prudentia, Rectore praeſtanti ſane quam digna. Sed eam hoc breuius attigi, quo mihi facilius omnes ſine uarietate aſſentiuntur, qui deliberationibus eius publicis, et complurium generum conſultationibus, affuerunt

Tertium Prudentiae Academicae, quae quidem Rectorem ornauerit, munus ſuſtinent iudicia, quae poſita ſunt in actu rerum, litibus diſtringuntur, forenſi ſtrepitu feruent. Haec iudicem poſtulant, qui litigantes audiat, de cauſſis cognoſcat, ius dicat, puniat ſontes, protegat inſontes. O quantum hic moleſtiarum undique exhibetur, quantum faſtidiorum naſcitur, ex libellis ineptis illiteratiſque literis, ex calumnia iuris, ex grandi, et puluerulenta ſaepe, actorum forenſium mole, ex longa litium ſerie, ex impudentia aeſtuue rixantium, aliiſque malis, quibuſ-

Digitized by Google

quibuſcum labores iudicum ac miſeriae conflictantur. Hic ergo locus expectat Iuriſconſultum, ſed eum praecipue, qui nihilo minus patientiae ad iudicandum afferat, quam doctrinae, nec minus conſtantiae, quam forenſis uſus. Quo quidem Krauſius in genere uerſatus, ſi quiſquam, erat. Habent, quo differant, iura, Romanum atque Saxonicum, nec aliud Romanum Saxonico, niſi ſubſidium, praeſtat. Saxonico igitur iure potiſſimum hic iudicandum eſt. Atqui Krauſius in primis rerum, in foro Saxonico iudicialium, ordinem actumque omnem tam concinne docet adhuc, ut eius commentario, in uulgus edito, neque iudices, neque cauſſarum patroni, carere poſſint. Sed idem nihilo minore Romani, omniſque iuris, praeſertim Germanici, quam Saxonici, ſcientia ualebat. Nunquis dubitabit ergo, quin ab hac ſingulari atque exercitatiſſima illius ſcientia ſit expectandum, quicquid ad facultatem diſceptandi cauſſas, ſummamque rei iudiciariae laudem, requiratur. Longum eſt, Auditores, huius ſcientiae originem atque incrementa repetere, quam Krauſius quondam, multorum annorum ſtudio, Vitembergae, in excellentium Iureconſultorum ſcholis, ſibi peperit, quam diſputationibus publicis priuatiſque,

Digitized by Google

tum docendus, tum docens poſtea, confirmauit, quam primum cauſſis orandis, tum diiudicandis, in pluribus ampliſque collegiis, auxit, quam pluribus aliis literis, maxime adiumentis Philoſophiae, inſtruxit. Faceſſant ambages, in re nemini dubia, ſub oculis praeſertim eorum, quibus, ſi plura dicam, loquax uideri poſſim. Vos enim, uos, Iuriſconſulti ampliſſimi, teſtor, qui Krauſio, uel iudicanti in tribunali aſſediſtis, uel ius reſpondenti affuiſtis, uos, inquam, teſtor, quanta ſit ille facultate iudicii, quanta ſcientia, hic uſus. Sed quanto pluris facienda uidebitur haec Prudentia, ſi quidem, iis, quae de pietate Krauſii diximus, commoniti, cogitemus iam, ipſis in his iudiciis eum illud Vlpiani, Quantum religio ſuggerit, ſumma cura, et ſine ulla uerae religionis labe, ſemper tenuiſſe. Adeo uera Rectoris Academici Prudentia, in ipſis quoque iudiciis, ingenio prudentiaque Krauſii, illuſtratur

Extremus eſt locus de Diſciplina, Auditores, ſed tantae grauitatis, atque dignitatis, ut ſine diſciplina ne ipſi quidem ciuitati ſit locus. Nam, labante diſciplina, deſidunt mores. Moribus lapſis, iacet uirtus. Virtute obtrita, domina-

Digitized by Google

minatur licentia, cum eaque omnes Reipublicae peſtes. Sed licentiam frenat diſciplina, et, ſeruatis commendatiſque uirtutibus, ipſam ciuitatem et tutam efficit, et florentem. Qua quidem in re totam mentem figere cum debeat, qui gubernaculis Academiae admotus eſt, reliquae certe laudes eius tantum obſoleſcent, quantum eius prudentia in diſciplina recta deficere uideatur. Haec enim Ciuium Academicorum mores in officio continet, haec publicum priuatumque decus legum cuſtodia tuetur, haec ſeueritate iuſtitiam defendit, ſecuritatem publicam munit, rerum tranquillitatem ubique firmat. Diſciplina tamen haec Academica nemini bono infeſta eſt, optimo cuique fauet. Si quid acerbitatis habet, quo utatur in proteruiam, id quidem libertatem ingenuam beneque moratam non deterit, non abolet, ſed eo ſpectat tantummodo, ut tutior ſit haec ornatiorque libertas. A probis enim omnibus omnes prohibet iniurias, eoſque omnes Rectori nihilo ſecius commendat, quam patri filios, longe cariſſimos. Enimuero Ciues Academiae, frugi, docti, elegantes, non diligi ualde non poſſunt. Sunt enim flos iuuentutis, ex humaniſſimis populis politiſſimiſque delibatus. Sunt liberalibus ingeniis

Digitized by Google

niis praediti, ſunt liberali doctrina imbuti, ſunt in omnis diuinae humanaeque ſapientiae ſtudio defixi. Vigent in aetatis robore, ſpemque poſteritatis alunt. Haec quiſquis conſideraverit Academiae Rector, hic nimirum non poſſit ciuibus ſuis, ut pater filiis, non gaudere. Gauiſus ſimiliter eſt Krauſius, nec minus, quam amauit, amatus uiciſſim, uidit certe, haud deeſſe, nec defore, qui ueram, multoque ſuauiſſimam, filiorum pietatem uelint praebere magiſtratui ſuo, ſibi paterne conſulenti. Seueritatem tamen diſciplinae, quam res interdum exigeret, haud abiecit illam quidem, ſed eam iudicio quodam circumſpecto temperauit. Hoc temperamentum Iulii Agricolae, uiri prudentiſſimi, in regundis Britannis, fuit, paruis peccatis ueniam, magnis ſeueritatem, commodare, tantumque animo moderari, ut poenitentia ſaepius contenti ſimus, quam poena. Idem mos Krauſii, eadem cura. Omnia, quae agerentur, ſciri, eius, rebatur, eſſe, qui publicus, neque dormitans, morum cuſtos eſſe deberet. Sed, omnia peccata aequali libra ponderare, hoc Stoici potius ſapientis, cui ſuperbia perfectum fingeret officium, eſſe, cenſebat, quam iudicis, humanitatis ſenſum retinentis. Eorum igitur, in quibus offende-

Digitized by Google

fenderetur, discrimen tolli, nolebat. Alia, uidebat, grauius, alia leuius, delinqui. haec infirmitatis esse, maxime iuuenilis, illa libidinis, in nefas effusae. illa quadam affectari malitia, haec errore humano committi. illa poenis coercenda esse, ne, latius euagata, exemplo nocerent, haec monitis corrigenda, ut uitia uirtutibus emendentur. esse ueniae locum, ubi bonitas indolis, studium uirtutis, emendationem promittant. in liberalibus etiam ingeniis, erectioribusque animis, tantam inesse uim pudoris, ut acerbior sit poenitentiae causa, quam sensus poenae, mitioris praesertim. illam enim causam culpa teneri, hunc sensum, leuitate animi, facile contemni. cum poenis Academicis hoc maxime sit propositum, ut probiores correctione fiant, satis interdum punitos uideri, quos ita facti poeniteat, ut eius foeditatem magis, quam poenam, horreant. Idcirco seueritatem, ratione bene subducta adhibitam, molliter illi tulerunt omnes, qui, salubrem animi aequitatem, ubi offensas rigoremque metuere possent, experti, cognorunt, ab eo se non aliter admoneri, ac filios a parente. Tantum Krausius comitate sua, tantum animi continentia, in ipsis malorum remediis, aliquando necessariis, profecit. Sic euenit, ut

Digitized by Google

plures reuerentia uiri, ſui tam amantis, quam metu poenae, in officii fide manerent, nec minus abſentis memoria, quam praeſentis auctoritate, mouerentur, illam ſibi uirtutis imaginem repraeſentantes, quam in exemplo Krauſii, publice priuatimque cognito, reperirent

Sic ſe gerendo, dignam perſona ſua, dignam expectatione aliorum, dignam imitatione, prudentiam praeſtitit, ac multis Academiam meritis affecit. Huius enim gubernacula quater tractauit, tanta deditus ei fide, ut, publicis curis ſpiritum, mallet, conſumere, quam priuatis paſci deliciis, neſcio quibus. Quis igitur Krauſium nolit adhuc intueri praeſentem, amplecti, colere, qui meminerit, quam luculentis ille documentis uirtutis, uita, conſiliis, iudiciis, diſciplina, optimo cuique probatae, ciuitatem noſtram ornauerit, omni hoc officio ceteris ſatisfaciens omnibus, nunquam ſibi

Sed ubinam eſt Krauſius, cuius meritis, tam claris, ita deuinciebamur omnes, ut, eius uirtute frui quam diutiſſime, uellemus. Nonne quaerendus hic uidetur eo loci, quem praecipuus dignitatis gradus ei dedit. Hunc ego locum uideo, ſed Krauſium deſidero. O nos miſeros, quos communis naturae fragilitas reddit tam infirmos,

Digitized by Google

firmos, ut nullo in loco, quem ceperimus, ſtabilem gradum facere poſſimus. Mortuus iacet Krauſius, quem proximis his diebus uidebamus ualentem, curata ualetudine, refectis uiribus, uegetiorem, ut opinabamur, ac robuſtiorem. Iacet nihilo ſecius, ad tumulum depoſitus, iam iamque infodiendus, nec ulli noſtrum dein unquam uidendus

Sed ita uiſum eſt Deo immortali, cuius nutu res noſtrae geruntur, noſtrumque eſt, in uoluntate Numinis ſapientiſſimi ſanctiſſima acquieſcere, nec dubitare, quin Deo, precibus noſtris placato, curae deinceps ſimus futuri, cuius conſilio prouidentiſſimo, mitiſſimoque, ſic uices humanae temperantur fortunae, ut ſecunda naſcantur ex aduerſis

Interea Krauſius, quantum ſui deſiderium, tantam multae, ac ſpectatae, uirtutis ſuae gloriam, relinquit. Vigebit in mentibus noſtris illius laus, atque floreſcet. Tradentur poſteris, illius uirtus, illius ſcientia, illius merita, quae contulit in Academiam, in ordinem ſuum, in plura huius urbis collegia, in ipſam denique iuriſprudentiam, multis laboribus exornatam

Deus ſubſidio ueniat afflictis rebus Familiae ampliſſimae, quae maritum fideliſſimum,

Digitized by Google

quae patrem amantiſſimum, quae ſocerum cariſſimum, quae affinem coniunctiſſimum, deſiderat, quae funere elatum lacrymis proſequitur, ereptum luget, nunquam rediturum complorat. Hanc, moerore perculſam, diuinae uoluntatis reuerentia erigat, diuinae opis ſpes recreet, diuinae gratiae, multis copiis effuſae, praeſidium ſuſtentet

Deus Academiae, plagis duabus grauiſſimis, hoc ipſo anno, breui paucorum menſium interuallo, percuſſae, adſit. Vulnera, duorum Rectorum, optime meritorum, exceſſu accepta, ſanet, ut, ſicut Theologi praeſtantiſſimi detrimentum, ſucceſſione digniſſimi, iam reconcinnauit, ſic, in locum Iuriſconſulti egregii uirum, huic amplitudini parem, ſuccedere, ſinat. Reddat Iuriſconſultis Collegam, qualem deſiderant nunc amiſſum, eorumque decus, nulla fatorum acerbitate imminutum, conſeruet. Ceteris Ordinibus ampliſſimis ſua ſtabiliat ornamenta. Hanc denique diuinae humanaeque ſapientiae ſedem, antiqua nominis fama inclytam, SALVO REGE, SALVA GENTE REGIA, ſaluis Saxoniae rebus, ab omnibus temporum, caſuum, hominumque, iniuriis, praepotenti Numine ſuo, defendat

XI

XI

DE MERITIS AVGVSTANAE CONFESSIONIS IN REMP. TOTVMQVE IMPERIVM

IN ALTERO EIVSD. CONFESSIONIS SACRO SAECVLARI A. CIↃIↃCCXXX VII KAL. QVINTILES IN TEMPLO ARCIS

Si quod unquam fuit opus, in quo, cum Dei cura, res piorum labentes, et prope cadentes, ui sola Verbi Coelestis, fulciendi, comparuit, tum religio maiorum nostrorum, nuper in pristinum restituta, fulsit, tum eorum constantia, in suscepta Veritate stabilis, eluxit, nae hoc illud est opus, quod, abhinc annos ducen-

Digitized by Google

tos, Auguſtae Vindelicum, hodierno die, editur, quod mirifico optimi cuiuſque ſtudio excipitur, quod a poſteris in oculis fertur, omniumque ſaeculorum, quae quidem ſanctitatis aliquid habeant, admiratione, fama, literiſque, celebratur

Namque, anno ſaeculi ſexti decimi triceſimo, VII Calendas Quintiles, Proceres Germaniae, qui ſacris emendatis ſtudebant, in conuentu gentis celeberrimo, Auguſtae in Vindelicis, Caeſari Auguſto, Carolo quinto, ſummam Religionis ſuae offerebant, quam Confeſſionem Fidei inſcripſerant. Horum dux fuit Saxo Septemuir, Ioannes, eiuſque comites, Georgius, Marchio Brandeburgicus, Erneſtus, Dux Luneburgicus, Philippus, Landgrauius Heſſorum, Ioannes Fridericus, Dux Saxoniae, Franciſcus, Dux Luneburgenſis, VVolfgangus, Princeps Anhaltinus, Senatus Magiſtratuſque Nurnbergenſis, Senatus Reutlingenſis. Hos Deus ſolatui Coeleſtis Verbi, quo confidunt, ſuſtentat, cum Germaniae hi Piae, ac religionem ſuam profeſſae, perſonam gerunt, atque inermes penitus ad Comitia ueniunt, neque ante id tempus ullas opes ſuas perpetuis aduerſariorum minis ac terrori-

Digitized by Google

roribus opponunt, quibus undique premuntur. Neque enim ſolus Martinus Lutherus, cum, A CIↃ IↃ XXI, Vormatiae in publico Imperii Germanici conuentu, doctrinam ſuam praeclare defendiſſet, a Caeſare proſcriptus eſt, ſed commune periculum omnes eius ſectatores adiutoreſque ſubierunt, eodem Vormatienſi Edicto condemnati. Non minus odii in Lutheranam doctrinam apud Anglos Galloſque exarſit. Henricus enim Octauus cum Aloiſia, Franciſci primi matre, quae pro filio, apud Hiſpanos captiuo, regnum procurat, foedus icit, ad opprimendam hanc ſectam, quam nominat tam peſtiferam, ut, ab ea perinde metuendum, cenſeat, atque a Turcis ipſis. Sed Carolus in primis Caeſar, eiuſque frater, Ferdinandus primus, conſociatis cum Franciſco Franco, et Pontifice, conſiliis, enituntur atque contendunt, uti funditus deleant, quicquid Lutheranum ſit. In ipſa etiam pactione pacis, A. CIↃ IↃ XXVI inter Carolum atque Franciſcum, conciliatae, hoc conuenerat, ut, coniuncto utriuſque ſtudio, Lutherani mali ſtirps ac nomen tolleretur. Quam ob rem Ferdinandus, in comitiis, hoc anno Spirae Nemetum habitis, cum Antiſtitibus deliberat praecipue de noua religione, quam dicit, obterenda.

Qan-

Digitized by Google

Quanquam inter Clementem ſeptimum, Carolum atque Franciſcum, diſſenſio extiterat, et Saxo Heſſuſque eos protegebant, qui ſacris emendatis ſe dederant, illud tamen in comitiis iiſdem conſtitutum fuit, perinde ſe tractarent omnes, uti rationem facti ſui reddere Deo Caeſarique poſſent. Sed, in magno Procerum conuentu, quem Ferdinandus, a Caeſare imperatum, Spirae Nemetum A· CIↃ IↃ XXIX agit, hoc ſancitur, ne cui omnino a ueteri religione, ſic Pontificia dicitur, diſcedere, fas ſit, ullam in partem. Tum uero re, quae lenioribus conſiliis occultata fuerat, palam facta, decreto, tam aſpero, intercedere coguntur Saxo, eiuſque ſocii, ab ea deinde obnuntiandi neceſſitate, quam eis religio impoſuit, Proteſtantes appellati. Horum, Caeſar, Principum libertate factoque offenſus, legationi, ab eis in Italiam miſſae, dat in mandatis, ut, quod Spirae, quod Vormatiae, decretum fuerit, hoc obſeruetur. ſecus ſi fiat, paratam fore ſeueritatem, qua exemplum auctoritatis in contumaces edatur. Sic enim Clemens ſeptimus, cum Carolo Imperatore, quicum in gratiam redierat, Bononiae egerat, ſic Carolus huic Pontifici conſenſerat, ut controuerſiae, quas in Germania ſacrorum mutatio intuliſſet, ferro potius

Digitized by Google

potius diſceptarentur, quam iure. Itaque cauſſa religionis emendatae extrema ſpe pendebat, ac potius omni ſpe lapſa uidebatur, propterea, quod Caeſar, Reges, Pontifex maxime, doctrinae, ſibi inuiſae, omni ratione reſiſtendum, eamque extinguendam, putabant. Acceſſerat, ut fit, obtrectatorum maledicentia, eaque tantis odiis incitata, ut, quicquid inſanorum ſomnia, agreſtis ſeditio, ambitioſae doctiorum quorundam contentiones, peccauerant, crimini daretur religioni redintegratae. Accuſabatur eadem grauiſſimorum ex omni genere errorum, quos uetus Manichaeorum, Arianorum, aliorumque hominum perditiſſimorum, furor peperiſſet, nemoque bonus odiſſe non poſſet. Vocibus autem, criminoſe iactatis, aures eo magis patefiebant, quod pleriſque facultas deerat, a falſis uera diſcernendi

At uero haec cuncta fuerunt humana, quibus, ut diris ac terribilibus, commoueri poterant aſſertores diuinae ueritatis, neutiquam frangi. In cauſſae enim, quae Dei erat, bonitate innixi, opem coeleſtem ſperant, ubi nihil praeſidii ſit in humana. Proinde ſolo robore Coeleſtis aeternique Verbi, quod ab iniuri-

Digitized by Google

is hominum uindicant, se ubique sepiunt, eiusque clypeo tecti, nullos aduersariorum impetus extimescunt. Hoc Verbum diuinum ad comitia Augustana secum afferunt, hoc Caesari in magna Principum corona tradunt, hoc, prius palamque recitato, se corroborant, aliosque audientium emendant, hoc denique muniti, sine noxa domum se recipiunt

Sed, dum adsunt, tuenda religione uera, religionem summam ostendunt, eamque fidei suae confessione, quam Caesari offerunt, luculente declarant. Quid enim est haec Confessio, nisi summa neruusque pietatis eius, quae sacris literis praecipitur, ad fidei uitaeque munus, ex Dei praescripto, exequendum. Hanc illi religionem tenent, eamque ut seruent inuiolate, repudiant, quicquid ei repugnat. Id scripto, et uoce, profitentur, ne quid fictum simulatumque appareat, neue quis ulli dubitationi locus detur

Sanctitati magnitudinem animi, atque constantiam, iungunt, Saxo maxime, qui, et fidei Formulam, communi sociorum nomine per suos conficiendam, curat, et confectam, secum in scriniis habet, et, tempore suspicioſissimo, primus

Digitized by Google

mus omnium Auguſtanum conuentum adit, quod fieri poſſe, in opinionem nemini uenerat, et primus, Auguſtano in Templo, publice Theologos ſuos docere, iubet, idemque poſtea Philippus Heſſus facit. Quo Caeſar cum aduenisſet, hunc Saxo, et Principes, ei coniuncti, rogant, ut fidei ſuae confeſſionem in publico audire uelit, ac, ſaepius flagitando, tandem impetrant, ut ea, in palatio Caeſaris, ipſo coram, frequenti Procerum omniumque Ordinum ſenatu, de ſcripto recitetur. Scriptum, recitatione finita, animoſe exhibent, ab aduerſariis frigide confutatum, cum eius confutationis copia non fieret, protinus, ex memoria rerum, audiendo perceptarum, defendunt inſigni Apologia, quae deinceps, ſed auctior, libris Symbolicis acceſſit. Hac igitur animi firmitate, quae nullo metu debilitari poteſt, efficiunt, ut ueritatis diuinae lumen eo clarius exſplendeſcat, quo facilius huius fulgore omnes calumniatorum turbines, uelut fumus ac nebula, fugantur, idemque, longe lateque diffuſum, ſuperſtitionis auitae tenebras in multis diſpellat, quibus mentes adhuc opplentur

Tantam hominum ſingularium atque diuinorum uirtutem quis recordari poſſit, eam quin

Digitized by Google

admiretur, quis eam admirari, eandem quin omnis posteritatis memoriae tradendam, omnium studio complectendam, omnium imitatione exprimendam, ducat. Quis autem tam inuictam animi excelsitatem in temporibus, discriminis formidinisque plenis, inueniret, nisi ea instinctu coelesti extitisset, conualuisset, roborata fuisset, mirandum in modum. Nimirum misericorde consilio Dei praepotentis, qui humanae saluti consulebat, sic erat prouisum, ut Veritas diuina, quae, densa tot saeculorum caligine demersa, oblituerat, nuperque rursus emerserat, heroica iam asseueratione testium sanctissimorum, et stabiliretur, et illustraretur. Accessit hoc nouum prouidentiae diuinae signum, ut Augustanae Confessionis formula, quam Caesar Latine ac Germanice conscribi iusserat, publice iam praelecta, eiusdem mandato in Hispanicam, Italicam, aliasque, linguas conuerteretur, atque ad externarum gentium Reges Principesque mitteretur. Ea re, quae uera diuinaque apportat, pluribus in regnis, ingentes animorum motus fiunt, ac multis aperiuntur oculi, ut meliora uideant atque probent, noui pietatis stimuli multis admouentur, ut, reiectis erroribus pristini temporis, integrioris sanctimo-

niae

Digitized by Google

niae ſtudio animum, mores, uitamque, componant. Haec Auguſtanae Confeſſionis occaſione, doctrina, beneficioque, fiunt

Quo ſanctior nobis ac ſolemnior hic dies eſſe debet, cum tanta res eo geſta ſit, quantam ſperari, per temporum difficultatem, aliiſque de cauſſis, prudentiae potiſſimum humanae, non licebat. Merito immortali Deo, ea de re, gratiae, in templis precationibuſque domeſticis, aguntur atque habentur. Merito glorioſa ſanctae Fidei profeſſio, quam Auguſta Vindelicum audiit, Vitembergenſes, Principe iubente, ſcripſerunt, Vitembergae in primis, pro roſtris ſacris proponitur, in exemplum integritatis religioſae, et conſtantiae, religioni praeſtandae. Merito haec Formula caſtiſſimi ac ſaluberrimi cultus, quem Deus ipſe praecepit, ſtudioſe legitur, attente conſideratur, memoriae mandatur, denique, pro theſauro quodam diuinae ſapientiae, cuſtoditur

His iuſtiſſimis Auguſtanae Confeſſionis laudibus, apud nos, publica nunc priuataque circumſonant, his egomet ipſe ſum excitatus, uti, lectulo, cui morbus me ſatis grauis diutinuſque affixerat, relicto, nunc primum in concionem prodirem, dicendique prouinciam ca-

Digitized by Google

pesserem, publice mihi demandatam. Quanquam enim haec linguae uocisque debilitas, hae genae, hi oculi, hic oris uultusque habitus, quem ualetudo afflixit, nihil oratoriae commendationis habent, nullum robur ingenii, nullam eloquentiae facultatem, promittunt, pietatis tamen officium, quod suscipio, audaciam facile meam uidetur excusare

Est autem Confessionis Augustanae libellus paruus ille quidem, sed, quoniam in mentibus, ad normam diuinorum praeceptorum ex sacro Codice redigendis conformandisque, uersatur, idem libellus magna utique est sapientia, nec minore utilitatis ubertate, qua diuina humanaque plurimum iuuentur. Itaque ea, ad sacra quae pertinent, Theologis relinquam, a quibus uel explanata iam sunt, uel exponentur. Ex illis autem, quae rationes ciuiles magis attingunt, non nulla, eaque potiora, decerpam. Dicam enim de Meritis Augustanae Confessionis in Rempublicam, totumque Imperium, sed, uestra, Auditores, aequitate beneuolentiaque fretus, dicam, si minus ornate et exquisite, uere tamen ac pie. Verum enim sequar, quod horum temporum historia, ipsaque Confessio Augustana,

Digitized by Google

na, praebet. Pium autem arbitrabor, in commemoratione rerum, tam mirabilium, ſingularem Diuini Numinis bonitatem uenerari. Pium quoque iudicabo, interdum cum religione maiorum noſtrorum loqui potius, quam elegantia Ciceronis. Si quando cum Tullio ſplendide non loquuntur maiores noſtri, at diuine loquuntur certe cum diuinis Oraculis, ſacriſque Chriſtianis, quae Tullius cuncta penitus ignorauit. Perſpicuitas denique poſtulabit, ut res, moribus noſtris inſtitutae, recentia nomina retineant, quae recentior eis aetas dedit

Quid igitur quantumque meritorum ex formula Confeſſionis Auguſtanae in Rempublicam, uniuerſumque Imperium, ſit profectum, explicandum uidetur, Auditores. Sed Rempublicam hoc loco preſſius dico, ut ciuilem eius ſtatum deſignem. Hac enim mente M. Cicero, cum pro Domo ſua dicit, Religionem ad Deum, corrigatur hominis ſuperſtitio, Rempublicam ad ciues, refert. Ioannes autem Sleidanus diſtincte de Statu Religionis, et Reipublicae, ſuos inſcribit commentarios, eo certe maioris habendos, quod Iulia quadam elegantia, niſi ſi quando publicus loquendi uſus uoces quaſdam rece-

Digitized by Google

receptas poſtulauerit, compoſiti ſunt, atque ex tabulariis actiſque publicis hauſti. De Religione tamen ſi quid a me commemoretur, id rerum, inter ſe implicitarum, affinitate potius fiet, quam ſtudio meo, quod rationibus duntaxat ciuilibus adhibetur. Imperium intelligo illud, quod penes Germanos quidem eſt, ſed latius, quam Germania, patet. Eſt enim hoc Imperium Romanogermanicum Teutonicae nationis, ut in Tabulis pragmaticis dicitur, quod duplex habet Territorium, principale, et acceſſorium, ubi iura Imperii Germanici exercentur, non ſolum in Germaniam, ſed etiam in Italiam, ipſamque Romam. Imperator enim Romanorum a Germanis eligitur, et, ab Ottonis primi temporibus, ille, qui Rex Germaniae fuit, idem etiam Regnum Italiae, et Occidentale, tenuit, ut ipſe Carolus Sigonius ait. Nihil ergo aduerſus Imperatoris ius ulla ualet uſurpatio, ſed directi ſummique dominii auctoritas atque maieſtas, antiquo iure ſuo fundata, ubique ſibi conſtat. At temporum hominumque iniquitas, in omne nefas profuſa, Poteſtatem Eccleſiaſticam cum Adminiſtratione Politica ita confuderat, huius ut ius ui illius obrueretur. Politiam etiam, ipſamque Oeconomiam, ſic euerte-

Digitized by Google

uertere ſtuduerat, ut nihil fere rectum atque ſanctum, in ciuilibus domeſticiſque rebus, relinqueretur. Has autem corruptelas, tam foedas ac pernicioſas, oſtendit caſtigatque Auguſtana Confeſſio, atque ea re, quae malum, non modo naſcens, ſed inueteratum etiam lateque fuſum, opprimit, aeque aliorum fere regnorum, ac Germaniae, commodis inſeruit. His, ne quid dubitationis ſuperſit, cognitis, ita partiar orationem meam, ut primum doceam uniuerſe, quid Auguſtana Confeſſio cunctae Reipublicae, ad emendanda eius uitia, profuerit, ut deinde ſigillatim demonſtrem, quid eadem Confeſſio attulerit ad communes utilitates, cum totius Imperii noſtri, tum horum, qui, in eo, Confeſſionis Auguſtanae formulam ſequuntur

Atque, ut hinc exordiar, omnis ciuilis felicitas non alia re magis, uel conſtitui, uidetur, uel contineri, quam ordine parendi atque imperandi, ita quidem inſtructo, et huc ſpectante, ut, et, qui praeſunt reipublicae, et, qui obtemperant, ſuis utrique functi partibus, ad communem omnium ſalutem, omni cura ſtudioque incumbant. At, diſſociatis utrorumque animis, ſi moderatores reipublicae, abiecta huius cura, ſuae tantum libidini uelint obſequi, et ciues,

Digitized by Google

res nouas moliti, obedire nolint, tum uero rumpitur amoris uinculum, quo imperantium parentiumque animi colligantur, adeo quidem, ut ipſa ciuitatis fundamenta non conuelli non poſſint. Euenit enim id, quod hominum Seruator, ipſa Veritas Aeterna, dicit, Omne regnum, ab ſeſe diſſidens, deuaſtari, nec ciuitatem familiamue, ſecum ipſa quae diſſideat, ſtare uſquam poſſe. At bonus Princeps eſt Paſtor bonus, ut heroicorum temporum Reges dicuntur. Nec uero Paſtores modo populorum Reges uocantur ab Homero, ſed iidem etiam Boni, ut, hac bonitatis appellatione, commoneantur, ab eis maxime ciues quid expectent. Ego ſum Paſtor Bonus, ait Chriſtus. Quid autem Regis ſapientia dignius, quam Chriſti bonitatem ubique, in ciuili quoque cura, imitari, ut illa diuinitatis imagine dignum ſe praeſtet, quam gerit in terris. Ab huiuſmodi Paſtore bono grex ciuium nullam ſibi timet ſaeuitiam talium luporum, quales, de bonis paſtoribus factos, Cambyſen atque Xerxen Maximus Tyrius nominat. Haec mali ſuſpicio non cadit in Principem bonum, qui potius Pater eſt, et eſſe Pater, dicique, geſtit. Magnos, Felices, alios, praedicauerit adulatio uana, at Patrem

Digitized by Google

Patrem patriae ſimpliciter uereque dicit filiorum pietas, reuerentiae atque obſequio dedita. Seneca, Patrem patriae, inquit, appellauimus, ut ſciret, datam ſibi poteſtatem patriam, quae eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens. Haec ille. Huic tali Principi ſumma lex eſt ſalus publica, et quietae, ac florentes, ciuium res, uerus ei ſunt, atque ſolidus, honos. Itaque ei, in tuenda ſocietate ciuili, duo, ad quae reſpectet, propoſita ſunt, et ſalus publica, et honeſtas. Hae uero duae res illae ſunt, in quibus felicitas ciuilis uertitur. Quibus ergo ciuibus talis Paſtor, taliſque Pater, obtigerit, qualem deſcripſimus, hi uero quam praeclare uiuunt, quantum boni ſunt aſſecuti, ut illud bonum uenerari debent. Huius in fidem ſeſe Principis merito permittunt, huius in fide manent, huic morem gerunt, huius in tutela res opeſque ſuas eſſe ſitas, arbitrantur, huius ſecuritati laterum corporumque ſuorum oppoſitus pollicentur, huius pro uita ſeſe acriter ultroque ipſi morti offerre non dubitant. Quae quidem legitima plenaque imperii atque obſequii conſenſione ſi fiant, beatam et honeſtam ciuitatem dicere quis nolit. Sic enim beata fit ciuium uita, ut ea ſit opibus firma, copiis locuples,

Digitized by Google

cuples, gloria ampla, uirtute honeſta, qualem Attico, ex Republica ſua, Cicero exponit

Sed, quoniam ciuitatis uelut anima eſt ſumma imperandi poteſtas, eam, plurimum refert, pie inuiolateque ſeruari. Haec enim illa maieſtas eſt, cuius acta nullius uoluntatis humanae arbitrio reſcindi poſſunt, quae, a Deo ipſomet inſtituta, Deique uicaria, eſt, quae ne inter ipſas quidem gentes profanas ſancta eſſe deſinit, cui nihil in ciuitate uel par poni, uel opponi, poteſt. Quapropter ſuapte [illegible] munitur, adeoque inuiolata eſſe debet, ut non modo ei reſiſtere non liceat, ſed eiuſdem etiam aſperitas aequo animo ferenda ſit

Cuius quidem maieſtatis quanta ſit praeſtantia, ex ipſis rebus, ab ea curandis regundiſque, iudicari poteſt. Harum rerum aliae ſacrae ſunt, aliae profanae, profanae rurſus in ciuiles ac bellicas diſtribuuntur, utrumque uero genus late patet. Res ergo neque paucae poſſunt eſſe, neque exiles, in quibus tractandis maieſtas uerſetur. His ex rebus exiſtunt iura, quorum potiora ſunt, ius ſacrorum, ius magiſtratuum creandorum, ius legum ferendarum atque abrogandarum, ius iudiciorum, ius ſtatuendi de bello

Digitized by Google

bello ac pace. Atque in ſacris quidem poteſtas interior ab externa differt, illa, ſacris rite procurandis, rem diuinam facit, haec, reipublicae praeſidendo, ſtatum religionis externum gubernat, alteram ſacerdotii officiis nemo bonus eripit, alteram Principatus iuri nemo ſanae mentis interuertit. Sanctioribus autem in rebus cenſentur literae atque artes bonae, quibus ingenium, animus, uita, emendatur, et ciues ad cuncta reipublicae munera utiles redduntur. Quos quidem multos fieri, cum Principes uelint, propterea ſingularem diſciplinae honeſtae curam gerunt, coetus diſcentium iuſſu ſuo inſtituunt, et inſtruunt magiſtris, his leges et ſtipendia conſtituunt, rem ſcholaſticam inſpiciunt, cuſtodibus diligenter appoſitis. Norunt enim id, quod, in Politicis, a magno doctore traditur, leges, uel utiliſſimas, nihil prodeſſe, niſi ciues bona educatione, ad iis parendum, uelut praeculti ſint. Idemque planius ab Iſocrate, priſcorum Athenienſium iudicio, explicatur, Qui male ſint educati, ab his leges, quamlibet exquiſite ſcriptas, negligi. qui uero recta ſtabilique diſciplina ſint inſtituti, eos demum uelle bonis legibus parere. Quin etiam ipſimet Imperato-

Digitized by Google

res, ne quid doctrinarum altiorum ullo ex genere deſit, auctoritate ſua prouident, et omnis praeclarae ſcientiae domicilia publicis Diplomatum ſuorum beneficiis afficiunt, eademque inſignium, immunitatum, dignitatum, muneribus ornant. Hoc ſibi ius Academias condendi ſeruant. Et, quoniam is, qui reipublicae clauum tenet, unus haud ſufficit multitudini negotiorum, quae in ciuitate gerenda ſunt, ſed aliis curarum ſuarum adiutoribus eget, quos mandatis ſuis muniat, idcirco, utatur, oportet, iure magiſtratuum conſtituendorum. Praeſcripto quoque cum opus ſit, ex quo publice uiuatur, et ſuum cuique ius conſeruetur, facultas publica requiritur, ex uſu reipublicae, uel ſanciendi leges, uel antiquandi. Cumque ſine iuſtitia nulla, neque ſit reſpublica, neque tueri ſe poſſit, iuſtitiae autem uis in iudiciis potiſſimum expromatur, recte magiſtratibus adduntur iudicia, quibus ciuium lites dirimantur, ius reddatur, maleficia puniantur. At, quo maior in iudiciis adhibeatur cautio, quo tutius perfugium periclitantibus praebeatur, his datur ad Principem prouocatio, apud quem de iudice inferiore cognoſcatur, quoties res popoſcerit. Vt uirtutes praemiis excitandae ſunt, ſic delicta poenis,

Digitized by Google

nis, et eis saepe grauioribus, ipsisque suppliciis, coercenda, quales tamen rei capitalis poenas non irrogat potestas, qua sacerdotium fungitur, sed ius gladii, quo diuinitus accincti sunt Principes, atque omnes, qui horum sunt loco. Pax bello paritur. Sed bellum stat imperio, quod armis iniurias persequitur, uimque illatam defendit. Pacis autem tuendae, aut redintegrandae, negotium ab eo administrandum est, qui tributis ac uectigalibus reipublicae neruos confirmare, mittendisque legatis, ac foederibus percutiendis, tum pericula depellere, tum firmioribus securitatem praesidiis sepire, potest. Quicquid ergo pacis bellique iure tenetur, quicquid iudiciis, legibus, magistratibus, peragitur, quicquid externa sacrorum disciplina regitur, id quidem, tantum abest, ut ab imperio seiungi possit, ut cum hoc ipso, tanquam ab ipsis imperii iuribus profectum, arctissime copuletur

Sed, ut Principum est, iubere, sic ciuium, iubentibus iis obtemperare, ac fidem obsequentiae, semel datam, sic colere, ut ii summo reipublicae tempori ne ipsas quidem fortunas suas subtrahant, nedum, peregrinorum, turbas dantium, factione corrupti, ab officio discedant.

Digitized by Google

dant. Hi uero, meliore consilio, procreandis educandisque liberis, bene de gloria Dei merentur, bene de patria, quam ciuibus bene moratis augent. Hi, amplificanda re familiari, non tam suas, quam reipublicae, fortunas amplificant, quantumque opibus, labore partis, crescunt, tantum facultatibus, ad subleuandos inopes, aliamque operam reipublicae nauandam, instruuntur. Sic se gerendo, faciunt officium, optimo cuique probatissimum, et, persona, quam Deus eis imposuit, contenti, recte placideque uiuunt, ac bonae mentis conscientia se consolantur

Qua re, cum Augustanae Confessionis formula utriusque ordinis, quo imperantes atque parentes tenentur, statum, iura, officium, non modo doceat luculenter, uerum uindicet etiam ab erroribus hominum, diuinisque praesidiis communiat, ea quidem certe formula tanto melius de republica mereri uidetur, quanto cum nouis ueteribusque Politici Regiminis hostibus acrius confligit. Erat enim quoddam genus hominum, quod Anabaptistae uocabatur, quorum magna multitudo plurima in ciuitate miscere cupiebat, ac nefarias appetere res. Namque haec turba diuinitus sibi uidebatur excitari. Proinde

Digitized by Google

inde uisa, ac, nescio quae, delirantium somnia, iactabat. Tam pia, scilicet, sanctaque erat haec natio, ut quidam eius Sangalli, in Heluetiis, fratri suo germano caput a ceruicibus recideret, idque, et inspectante patre ac matre, et uero etiam iubente Deo, ut aiebat nequam. Quae quidem reipublicae pestis, non in Heluetia, ut placet aliquibus, primum emersit, sed orta uidetur, in extremis Misniae finibus, Cygneae, siue Cygnauiae, ut ea ciuitas, in antiquis Saliquorum monimentis, appellatur. Ioannes enim Sleidanus, quo prouocatur, A· CIↃ IↃ XXVII hanc familiam, Cynica solutiorem ac turpiorem, commemorans, tempus notat, quo ea iam uiguit, non, quo primum sata est. Contra ea, A· eiusdem saeculi primo et uicesimo Cygnauiae Nicolaus Storchius, spiritu fanatico actus, turbat cum suis insaniae sociis, de quibus etiam non nulli in custodiam dantur. Ex eis, qui errores, recens susceptos, latius in uulgus efferunt, Thomas Muncerus fuit, qui prius, quam multitudini, in agris concitatae, praeesset, in Heluetiam uenit, nactusque discipulos, Balthasarem Hubmeierum, Valdshutensium concionatorem, et alios, amplam sementem fecit opinionum suarum. His imbuti corruptique,

Digitized by Google

communionem bonorum, et fortunarum aequationem, in primis docent, fidem iurisiurandi nefarie frangunt, ac, periuri turbulentique, morte multantur. Sed aliis in locis huius generis lymphatici multa indigne scelerateque faciunt, et, quoniam somniis opinionumque suarum ludibriis indulgent, fecundi sunt multiplicis culpae, nouorumque monstrorum. Per uarias autem Germaniae partes discurrunt, sed, Munceri potissimum, compluriumque sodalium, grauibus suppliciis territati, cum alias ad gentes, tum ad Batauos, ipsosque Sueones, profugiunt, et, quo accedunt, multum sceleris ac furoris secum afferunt. Haec factio somnians purae Religioni, quam Lutherus solo Dei uerbo diuine fundat, adeo infensa est, ut et Muncerus ipse aduersus eum scribat, et eius assectae postremo, Lutherum Pontifice Romano esse deteriorem, dictitent. Sed ipse Lutherus, aliique boni uiri, ista malitiosi soporis portenta ferre non possunt, eorumque ferocitatem, quae arcanorum motuum, diuinorumque colloquiorum, uenditatione tegitur, comprimendam mature, censent. Impuri enim nebulones sanctimoniam ore uultuque praeferunt, sed ingenio superbo, pertinaci, seditiosoque, multa in rep. pluribus in locis, pessi-

Digitized by Google

peſſime moliuntur. Cum alia nefarie ſtatuunt, tum, fas non eſſe Chriſtianis, in ius ire, lege in foro agere, in magiſtratu uerſari, iuſiurandum dare, ſuum quemque, priuatis in patrimoniis, tenere, ſed omnium fortunas, oportere, in communionem bonorum conferri. Nullis, decernunt, legibus parere, nulli magiſtratui, hunc etiam, ut impium, tollere. nouum Sionis regnum, noua Hieroſolyma, condere, nouos Iſraeli iudices dare. Si quas perpeti leges poſſunt, has eſſe Moyſis iudiciales, uolunt. Bellum bonis artibus, harumque magiſtris, et monimentis ipſis, indicunt. Reuerentiores ſacrorum librorum uideri uolunt, ſed eos tum maxime deprauant, cum diuine dicta aſſumunt, quibus placita ſua colorent, et roborent, quantum poſſint. At uero, bonarum literarum odio, hanc, in Heluetiis, quaeſtionem attulerunt, Sitne ex uſu Chriſtianae rei, Sacro Codice excepto, cuncta Philoſophorum, atque Philologorum, uolumina aboleri. Quid ipſi ſentirent, poſtea aperuerunt, cum Monaſterii, in Veſtphalia, aedibus ciuium boniſque direptis, libros omnes igni cremarunt, praeter ſacros. Nimirum hoc genus hominum eſt inconditum uereque barbarum, quod omnem ſapientiam ab inflammatione animi af-

Digitized by Google

flatuque coeleſti cum expectet, dum ſani nihil in ſe reperit, cum ratione ſomniculoſa ac peruerſa inſanit. Opinione ſanctitatis ſuae inflatum, quicquid priſcis, uel prudentiorum gentium legibus, uel ſapientum doctrinis, in republica bene inſtitutum eſt, profanum cenſet. A Muſis auerſum, diuino Paullo ſe iudicat ſapientius, qui poetarum uerſus, ad gentes domeſticis teſtimoniis conuincendas atque corrigendas, interdum proferre non dubitat, eaque re, quanto ſcriptores antiquos ſtudio triuerit, euidenter oſtendit. Illiberali ſordidoque ingenio praeditum, ingenii ac doctrinae cultum faſtidit atque deſpicit, qui tamen, ab aliis traditus, ſi bonae frugis fuerit, non hominum conditione pendendus eſt, ſed uirtute ſua. Viderat ſimiles ueteris eruditionis atque elegantiae uituperatores Gregorius Nazianzenus, eoſque Baſilii M. exemplo, cui ſuum praecipuo quodam iure poterat adiicere, refutat, docens egregie, quid Chriſtiano, profanis in libris, haud contemnendum reiiciendumue ſit, ſed ex eis depromendum, ac ſtudioſe retinendum. Inter omnes, ut arbitretur ipſe, ſana mente praeditos, conſtare, in bonis cunctis, quae mortalibus obueniant, primas tenere eruditionem, non illam modo nobiliorem, atque Chriſti-

Digitized by Google

Christianam, quae, neglecto omni orationis ambitiosae ornatu, teneatur una salute ac pulchritudine rerum, mente intelligendarum, sed externam etiam, quam multi Christianorum, uelut insidiosam, ac periculosam, a Deoque procul auertentem, respuant, male iudicantes. Coelum, et terram, et aerem, et, quicquid his contineatur, non ideo contemni oportere, quod ea non nulli, superstitione sua, male acceperint, opera Dei colentes pro Deo, sed, quod his in operibus ad uitam, atque oblectationem animi, sit usui, inde decerpendum esse, uitandumque, quod periculosum. neque enim res conditas in Conditorem, ut amentes faciant, concitandas esse, sed ex opificiis ita agnoscendum opificem, ut omnem mentem ad obediendum Christo cogamus. nihil, neque ignis, neque cibi, neque ferri, neque rei ullius, suapte natura, uel maxime utile esse, uel maxime noxium, sed, prout his placeat, eis rebus qui utantur, quippe cum ex serpentibus bestiis interdum non nullae salubribus remediis admisceantur. pari modo, profanis in literis, quod in natura rerum inuestiganda et contemplatione uersetur, amplectendum, quicquid, contra, ad daemones, et errorem, et exitii uoraginem, ducat, repudiandum. immo ue-

Digitized by Google

ro Christianos, disciplinis externis, ad Dei cultum, sic adiuuari, ut ex deteriori id, quod praestantius est, discant, illarumque doctrinarum imbecillitatem ad cognitionem roboris Christiani conuertant. Qua re non eo, inquit, eruditio aspernanda est, quod aliquibus ita uidetur, sed stolidorum atque imperitorum numero sunt habendi, qui hoc existimant. Atque hi quidem uelint, omnes sui similes esse, ut priuata eorum inscitia sub communi delitescat, ipsique imperitiae reprehensiones effugiant. Haec Gregorius, cui recta doctrina nomen eius Theologi dedit, a quo dissentire ne dissidentes quidem partes auderent. Grauiter hic obtrectatores liberalis doctrinae refellit, eosque mentis non sanae dicit. Aliam autem mentem a furore Anabaptistarum quis expectet. Quis ergo miretur odium, in literas isti quo ferantur. Haec, de insania eorum quae diximus, etsi pessima sunt, plura tamen, nihilo meliora, restant, quae tacemus. Ab Anabaptistis enim furores Carpocratis, Marcionis, Pepusianorum, Manichaeorum, totque aliorum hominum teterrimorum, instaurati sunt, atque eorum haeresis multiplex est monstrosaque Chimaera, quae multis ex haeresibus conflatur. Spargitur autem in sectas complures, earumque prose-

minat

minat errores, erroribus cumulatos. Itaque fit bellua quaedam multorum capitum, quae comminui, multo laborioſius ſit, quam Hydrae Lernaeae ſeptem capita ab Hercule contundi. Talium hominum opiniones peſtiferae Germaniam peruagabantur, et ſeditiones, ab eis excitatae, audiebantur, atque hae res inimicis occaſionem dabant, multa, quae ferebantur, crimina in ſacra, recens purgata, iniquiſſime conferendi. Sed hi tamen mores erant Anabaptiſtarum, qui, nihil ſibi cum non permitterent, facile in hominum, paullo honeſtiorum, offenſionem incurrerent, odioque quamplurimis eſſent

At periculi plus ab iis erat, qui, a turba ſemoti, cum Deo familiariter uerſari uidebantur, ex eaque re multum, uel gratia, poterant, uel auctoritate, non apud uulgus tantum, ſed apud magnos etiam potenteſque uiros. Hi, ſanctitatis ſuae, qua coelum mereri uidebantur, uanitate decepti, compreſſis in ſinu manibus, ſedere, quam laborare, malebant, et eis in locis otiari, quos priſca religio ſacrae, aliuſque liberalis diſciplinae, exercitationibus dicauerat, ut inde paſtores ſancti gregis, et antiſtites, ſumerentur. At iſti, male feriati, non ſolum ipſi a republica refugie-

fugiebant, sed ab ea etiam gerenda, tanquam a re profana, et salutis experte, alios, quos poterant, uoce scriptisque dehortari solebant. Deserto saepe coniugio; dimissa reipublicae administratione, abdebant sese in claustra, idque dicebant, fugere ex mundo, et quaerere uitae genus, quod Deo magis placeat. Sed in solitudine illa longe aliter, uel agebant, uel sentiebant, ac Basilius olim, Gregorius Nazianzenus, horumque similes. Quorum quidem uirtutem, scimus, in solitudinis otio non cessasse, sed hoc diligentius meditationibus sacris exercitam fuisse, quo minus ea fuerit aliis negotiis interpellata. Isti, e contrario, luxu corrupti, desidiae sese dedebant, despectisque literarum studiis, nihil retinebant antiqui moris. Persuadebant autem credulis, eisque multis, Monasticam professionem longe meliorem esse, Baptismo, uitam Monasticam plus mereri, quam uitam magistratuum, uitam pastorum, et similium, ut eorum libri testantur. Feriarum, rituum, ieiuniorumque, celebrationes, uestitus obseruationem, uota in primis monastica, pro uitae perfectae operibus uenditabant. Solas has caerimonias suas Deo acceptas, solos denique se perfectos, cetera uero profana, caduca, manca atque mutila, dictitabant. His

ergo

Digitized by Google

ergo magiſtratuum, legum ciuilium, literarum artiumque bonarum, contemptoribus adeo conueniebat cum iis, quos oſtendi, fanaticis, ut, in diſpari uitae inſtituto, parem alere culpam uiderentur, plurium tamen opibus ac beneuolentia defenſi, quos ingentium uirtutum ſimulatione fallerent, deuinctoſque ſibi tenerent

Sed hi, recti perfectique officii, quod Stoici quondam ſoli dabant ſapienti ſuo, ſimulatores, quantum praeſidii, tantum exempli, in horum, ſuperiorumque, temporum Pontificibus habebant. Namque hi, cum, nullis uinciri legibus, ipſis autem Imperatoribus praeponi, uellent, id intuebantur, ut, ciuilis poteſtatis honore proiecto, uim atque auctoritatem, de imperio direptam, ſacerdotio adiicerent, quod ſua iam dominatione tenerent. Proinde ſibi tantam ſumpſerant arrogantiam, ut, leges de regnis ipſis condere, de Regum Principumque controuerſiis arbitratu ſuo conſtituere, uellent, diem Regibus dicere, hos in crimen uocare, hos uel abſoluere, uel condemnare, auderent, ciues religione obſequii ſoluere, eoſque ipſos in Reges concitare. Cunctis autem prouocationis aſylum perinde, quaſi ſummi terrarum iudices eſſent, aperiebant, eaque re

Digitized by Google

re Principes interdum in Principes inſtigabant. Hanc dominandi libidinem aſſentatione ſua fouebant ignaui clauſtrorum greges, ſed ad fraudem acuti, qui Pontifices uocitabant Orbis terrarum dominos, quibus, dare regna et adimere, liceret, cum liberet. Itaque, dominatu Pontificio in immenſum aucto, non Imperatoribus, nedum Principibus aliis, ſed Pontificibus ſolis, morem gerere uolebant perfecti ſtatus oſtentatores iſti. Ciuiles autem magiſtratus, ueluti ſe inferiores, aſpernati, pro dignitate ordinis ſui, in tantum faſtigium euecti, ſe facere, putabant, id, quod contra Imperatores *fieri, Pontifices* iuberent, id etiam probabant unice, quod Pontificibus placeret. Itaque fiebat, ut, obtrita legum dignitate, reuocata etiam in dubium uitae ciuilis ſalute, magiſtratus nihil ſancti habere crederetur, idque non modo a uulgo, ſed a doctis etiam pluribus. Eo quoque res erat deducta, ut, quanquam omnino ſancta erat Principum perſona, hi tamen, quod extra ſacerdotium uiuerent, non minus profani, quam ceteri, haberentur a ſacrificulis, eaque de cauſſa minoris ducerentur. Nihil eximiae laudis capiebat paterfamilias, ſobolem educans, nihil mater pariens, nihil princeps, rempublicam

Digitized by Google

blicam regens, ſed imperfectum uitae genus dicebatur, quod in coniugio, in magiſtratibus, aliiſque munerum ciuilium procurationibus, degeretur. Hinc angores mentium fluctuantium, hinc contemptio rerum ciuilium, ac matrimonii deſpicientia, hinc multa denique in rempublicam, grauiſſimaque, mala

Fuerunt ſane uiri boni atque prudentes, qui tam proiectam infatuati ſaeculi licentiam aequo animo ferre non poſſent, ſed, ad eam, hi, reprimendam, neque facultatis, neque animi, ſatis habuerunt. Nec uero defuerunt ex ipſo ſacro Antiſtitum praecipuorum atque meliorum ordine, qui Pontificiam, in opinionibus hominum moribuſque corrigendis, leuitatem ac negligentiam incuſarent. Sed ne hi quidem, uel conſilio, uel auctoritate, uel precibus, quicquam proficere potuerunt. Denique Regum, Caeſarumque, ipſorum res agi uidebatur, quorum maieſtati eo licentius inſultabat libido Pontificia, quo minus ipſi Deo parcebat. Itaque, poſt alios, qui, multa conati, nihil exequi potuerant, Maximilianus primus, ac Ludouicus duodecimus, Franciae rex, communi ſtudio deuincti, mederi tantis malis ſtatuunt, concilio Piſas conuo-

Digitized by Google

cato, cum, nihil eius, intelligerent, expectandum, quod Iulius ſecundus pollicitus eſſet. Hic enim prius, quam Pontificatum caperet, iuſiurandum dederat concilii, intra biennium cogendi. Sed idem, Pontifex creatus, nihil meminerat eius, quod iuraſſet. At Iulius concilii Piſani, cui Lateranenſe opponit, coniunctionem aſtu dirimit, poſt eiuſque mortem Leo decimus, in ſenatu Lateranenſi, eo rem perducit, ut Pontificia poteſtas denuo in altiſſimo terrarum faſtigio collocetur, emendationis ceterae cura penitus abiecta. Proinde, cum ipſi Deo nihil honoris ab his Pontificibus relinquatur, quid eius tandem Principibus ullis expectandum, putes. Sic mala, quibus nulla ſit medicina, malis grauioribus exaggerantur, et, iacente iam religione, ipſaque diſciplina, cuilibet licet, quod peſſimo cuique collibitum eſt. Ea enim re, quae metum Dei mentibus eximit, diuina humanaque iura permiſcentur, et tanta perturbatio infertur ipſi reipublicae, ut pariter, imperio uis, obſequioque pietas, detrahatur. Talibus affectos animis, ciues ſi uideas, quid tandem bonae ſpei in eis reperire ulla ratione poſſis. Adeo acerbiſſimorum, infinitorumque, malorum, quorum mole reſpublica

ca laborabat, auctores nocentiſſimi atque effrenati, multis ſe partibus efferebant

Hos aduerſus, quem ad modum ergo ſe gerunt noſtri, quid docent, quid contendunt. Iſtis quidem cunctis, horumque ſimilibus, acriter reſiſtunt Auguſtanae formulae conditores, hos auctoritate diuina reprimunt, hos aperte damnant. Contra ea teſtantur, quanta ſit Maieſtatis ſanctitas, quanta magiſtratuum dignitas, quanta obſequii ciuilis neceſſitas, quam recta ſint omnia, quae, ſecundum Dei praecepta, uel publicis, uel priuatis, uel forenſibus, uel domeſticis, in rebus, uel in aliis uitae commerciis, ſuſcipiantur, nauiterque peragantur. Docent enim, legitimas ordinationes ciuiles eſſe bona opera Dei, licere Chriſtianis, gerere magiſtratus, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatoriis, et aliis praeſentibus, legibus, eiſdemque obtemperare, iure ſupplicia conſtituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, iuſiurandum poſtulantibus magiſtratibus dare, eoſque reprehendunt, qui Chriſtianis interdicant ciuilibus his officiis. Non modo ſacris literis honorem ſtudiorum tribuunt ſummum, ſed utiles etiam Eccleſiae dicunt alias diſcipli-

ſciplinas, harumque ſcholas, ubi ad diſcendum conueniatur, ueterum more diſciplinaque, non fiducia promerendi gratiam et iuſtitiam, ut Monachi loquantur, eaſque, iudicant, et inſtituendas eſſe, et retinendas. Contra ea, coarguunt iſtos, qui his contraria praecipiant, ut Politian Euangelicam, rerumque communionem, quas periculoſas rebuſpublicis dicunt. Politiae uerae, iubent, itemque Oeconomiae, non ſolum propter poenam, ſed etiam propter conſcientiam, ex praeſcripto Euangelii, parere, tanquam diuinae ordinationi. Reiiciunt ſimul Iulianum Apoſtatam, et Celſum, et pleroſque alios, *quibus* uiſum eſt, Euangelio diſturbari reſpublicas, quod prohibeat ultionem, et alia quaedam, ciuili ſocietati parum apta, tradat

Docent porro, illos nulla ratione audiendos eſſe, qui Euangelicam perfectionem in timore Dei et fide non collocent, ſed in deſerendis ciuilibus muneribus, eorumque fuga. ab Euangelio tradi quidem iuſtitiam mentis interiorem, ſed neque Politian, neque Oeconomian, ab eo diſſipari, cum potius Euangelium, utramque, tanquam ordinationem Dei, conſeruatam, maxime uelit, atque in talibus ordinationibus caritatem exer-

Digitized by Google

exerceri. itaque neceſſario, oportere Chriſtianos, obſequi magiſtratibus ſuis et legibus, niſi iubeant peccare, ſic, ut magis Deo ſit, quam hominibus, obediendum. haudquaquam uero magiſtratus, et ciuilia munia, Chriſtianos dedecere. ex praecepto etiam Dei coniugium honore afficiendum, non deſerendum, nec ſacerdotibus prohibendum, nec praeferendum ei impurum caelibatum. bonum et perfectum uitae genus eſſe, quod habeat mandatum Dei

Docent denique, regundos eſſe ſacerdotii atque imperii fines, hiſque temere confuſis, maxima bella, maximos motus, extitiſſe, cum Pontifices, freti poteſtate clauium, non ſolum nouos cultus inſtituerint, reſeruatione caſuum, uiolentis imprecationibus, mentes hominum onerarint, ſed etiam regna mundi tranſferre, et Imperatoribus adimere Imperium, conati ſint. utramque poteſtatem, tam Sacerdotii, quam Imperii, propter mandatum Dei religioſe uenerandam, et honore afficiendam, eſſe, tanquam ſumma Dei beneficia, hominibus in terris conceſſa. Sacerdotio propoſitas eſſe res aeternas, datumque negotium interpretandae ſalutaris doctrinae, remittendi et retinendi peccata, myſteria diuina pro-

Digitized by Google

procurandi. sed Imperio committi Politicam administrationem, quae res longe alias curet, neque mentes, sed corpora et res corporeas, a manifestis iniuriis, defendat, atque homines gladio, et poenis corporum, coerceat, ut iustitia ciuilis et pax retineatur. Dispunctis igitur interuallis utriusque potestatis, sacerdotio, demonstrant, non esse irrumpendum in alienum officium, non regna alio transferenda, non delendas leges magistratuum, non tollendam de medio legitimam obedientiam, non impedienda iudicia de ullis ciuilibus ordinationibus, aut contractibus, non praescribendas leges magistratibus de forma reipublicae, siquidem regnum Christi non sit huius mundi. si quam habeant Antistites potestatem gladii, hanc illos, ostendunt, habere, non diuino iure, sed humano, donatam ab Regibus et Imperatoribus, ad administrationem ciuilem suorum bonorum. iure uero diuino iis tribui partes ueniae, noxis humanis dandae, explorandae doctrinae, eius autem doctrinae, quae uitium faciat, expellendae, insignite improbos sacris arcendi, non adhibita ui, sed uerbo. non igitur ad Pontificem, ut summum iudicem, sed ad Imperatorem, aut ad generale, liberum, Christianumque, Concilium prouocandum. Postremo, ut

Digitized by Google

ut paci ſeruiatur, non petunt, ut dominatio eripiatur Epiſcopis, ſed hoc unum, ut patiantur, Euangelium pure doceri, et relaxent paucas quaſdam obſeruationes, quae ſine peccato ſeruari non poſſint

Haec, et his conſimilia, docentur a noſtris, quae cum aliorum placitis ſi conferantur, nulla certe reperietur ullius gentis religio, quae melius ſanctiuſque, cum de omni republica, tum maxime de Magiſtratu, praecipiat. Itaque nullam, nullam, inquam, religionem terrarum Orbis uel tum coluit, uel colit adhuc, quae aeque, ac noſtra, auctoritatem Principum caritate, fide, obſequio, ciuium, ipſamque Principum incolumitatem ſecuritate, munire uideatur

Quibus generatim de republica expoſitis, quot praeterea quantaque commoda, ex Auguſtana Formula, dimanent, cum in omne Imperium Romanogermanicum, tum ſpeciatim in Proceres, illi Formulae addictos, iam conſideremus. Ac primum quidem, quid tandem maius in Imperio, quid praeſtabilius in Orbe Chriſtiano, quid diuinius inter homines, commemorari poteſt, Maieſtate Caeſaris. Ipſe Seruator generis humani, quanquam Caeſaris imaginem,

Digitized by Google

in Numiſmate Imperatoris profani, ſibi oblato, conſpicit, honorem tamen Caeſari, iubet, haberi. Hoc Iudaeis, ac ſeueriſſimis horum doctoribus, imperat. Date, inquit, Caeſari, quae ſunt Caeſaris, et Deo, quae ſunt Dei. Maieſtatis igitur Caeſareae, uel colendae, uel aſſerendae, exemplum tam commemorabile praebent noſtri, ut habeat poſteritas, quod, uel factis expreſſum uel dictis, intueatur. Nam Caeſaris maieſtatem in Carolo V, ut inuictiſſimo Imperatore ſuo, ut Caeſare Auguſto, ut Domino Clementiſſimo, uenerantur. Hac maieſtate permoti, nulla temporis formidoloſi ſuſpicione retardantur, quo minus Caeſareo mandato obedienter, ut aiunt, obſequantur, mature ueniant Auguſtam, et inter primos adſint. Huius maieſtatis reuerentia, ſuam de religione opinionem et ſententiam, in Germanica Latinaque lingua, ſicut iuſſi ſunt, proponunt, atque offerunt, ut, in hac religionis cauſſa, confeſſionis ſuae, literis mandatae, rationem reddant. Eadem maieſtate adducti, non ſolum ad generalis Concilii, in Comitiis Imperialibus iam ante decreti, congregationem, ſed ad ipſam ſimul Caeſaream Maieſtatem, in hac longe maxima et grauiſſima cauſſa, debito, ut loquuntur, modo

et

Digitized by Google

et in forma iuris, prouocant, eidemque prouocationi conſtanter adhaerent. Hanc denique maieſtatem, artibus Curiae Romanae, et conſiliis factiſque nefariis grauiter laeſam, tantumque non obrutam, ab exemplis peſſimorum temporum, ab uſurpatione inſolenti atque iniquiſſima, a turbulenta periculoſaque hominum perſuaſione, quae religionis opinione fidem omnem ſoluit, quae nihil imperantibus tutum relinquit, uindicant auctoritate diuina, et ſancte fortiterque tuentur.

Quid enim mente finxeris, quod grauius in Reges omnes, quod licentius in Caeſares, ſtatui dicique poſſit; quam, Pontifices, ut aiunt noſtri, fretos poteſtate clauium, non ſolum uiolentis excommunicationibus conſcientias onerare, ſed etiam Regna mundi tranſferre, et Imperatoribus, immane dictu, adimere Imperium, adimere, inquam, Imperium, conari. Haec etſi iam diximus, eadem tamen, planius ut intelligantur, repetimus, praeſertim, cum, ob indignitatem rei, ſatis dici non poſſint. Atque haec quidem facta fuiſſe cuncta, teſtantur noſtri, haec uitia, tam capitalia, multo ante reprehenſa fuiſſe ab hominibus piis atque eruditis, adiiciunt,

Digitized by Google

haec ferri diutius a bonis cum haud potuerint, ſeſe, pronuntiant, cogi, ad conſolandas conſcientias, oſtendere, Eccleſiaſtica poteſtas, et poteſtas gladii, quid differant. Vtramque, docent, hanc poteſtatem propter mandatum Dei religioſe habendam eſſe, tanquam ſumma Dei beneficia in terris, neutiquam uero alteram cum altera confundendam, nedum Eccleſiaſticae permittendum, ut, impetu in aliena longeque diuerſa iura facto, tranſferat Regna mundi, abroget leges magiſtratuum, uetet legitimam obedientiam, det leges Magiſtratibus de forma reipublicae, et diuina adeo humanaque omnia perturbet. Hi uero ſunt illi ueritatis diuinae, omniſque maieſtatis, uindices, ſancti illuſtreſque praecones doctrinae, diuinitus reſtitutae. Vt animoſe, ut praeclare, praeſentibus Antiſtitibus multis atque audientibus, in ampliſſimo Imperii conſeſſu, in ipſo Imperatoris ſacello, clara uoce, quae breui in omnes terrarum oras penetrauit, praedicant, Si quam habeant Epiſcopi poteſtatem gladii, hanc eos non habere ex mandato Euangelii, ſed iure humano, donatam ab Regibus et Imperatoribus, ad adminiſtrationem ciuilem ſuorum bonorum. hanc tamen aliam functionem eſſe, ac Miniſterium Euangelii. Sic noſtri.

Haec,

Digitized by Google

Haec, et alia, quae ſupra retulimus, tam ſancte integreque expoſita, quanta ſint, is demum intelliget uniuerſe, qui facta Pontificum cum noſtrorum dictis comparauerit. Imperatores enim, Vaticano fulmine percuſſi, non modo ſacris arcebantur, ſed regno etiam, ac fide parentium, ſpoliabantur. Itaque a credulis impiorum numero duci ſolebant, et priuati uidebantur ex publicis fieri, ac potius infra priuatos poni, quod eos, ut diris Pontificiis deuotos, imperita multitudo defugiebat. Sic, diſſoluto omnis humanae ciuiliſque ſocietatis uinculo, Caeſarum dignitas, uita, omniſque fortuna, in multa magnaque pericula, ac plurimas grauiſſimaſque difficultates, incurrebat. Tantum poterat ſuperſtitio, quae altas in animis radices egerat, tantum Pontificiae indignationis ac deuotionis terror, qui ſummos fere atque infimos inuaſerat. Supererat, ut, exauguratis Imperatoribus, adempta Imperii ſumma, ſimul auferri putaretur, quicquid iurium eſſet Imperatoriorum, quicquid dignationis priſtinae fuiſſet, ipſiuſque iuris priuati. Notum enim eſt illud Gregorii ſeptimi, Quod non debeamus manere in domibus excommunicatorum a Papa, ut ipſe pronuntiat

Digitized by Google

Contra ea, noſtri, non ſolum Imperatoribus reſtitutum, uolunt, quicquid his eripuerant Pontifices, ſed omnia etiam tam ſalua, iis uti poſtero tempore nihil interuerti poſſit. Nefas enim arbitrantur, Imperatoribus adimi Imperium a Pontificibus, in quos antiquitus Imperatorum ſemper fuerit imperium, et eſſe debeat, qui nihil etiam ciuilis poteſtatis obtineant, quod, *iure* poſſeſſum, ab Regibus atque Imperatoribus non impetrarint. Sancta, uti ſunt, iudicant Imperatorum iura, ſanctum munus, ſanctam perſonam, ac nemini, niſi Deo ſoli, ſubiectam, ſanctum quoque obſequium, quod tantae Maieſtati *debeatur*. Sed iſtos tanto exiſtimant peiores, qui hanc ipſam obedientiam, inique abiectam, ad ſuam potentiam dominatumque conuertant. Haec enim dominatio nihil habebat ſancti, nihil exempli in antiquitate Chriſtiana, nedum praecepti quicquam ſacris in literis, ſed contraria utique omnia, uti docent noſtri. Olim Pontifices parebant Imperatoribus, et obſequentiae ſuae iuſiurandum dabant. Olim, cum lecti eſſent, a Caeſaribus confirmabantur, ab iiſdem Imperatoribus ſedes Romana gubernabatur, exercitoque Antiſtitum iure, leges ſacrae ferebantur, Concilia indicebantur, ipſi etiam Pontifices, minus probati, loco graduque mouebantur

Ac

Digitized by Google

Ac fuerunt quidem ex Pontificibus, qui, uel arrogantia ſua, uel lenitate Principum, inuitati, plus indulgerent ſibi, quam diſcipulis erat a Chriſto praeceptum. Fuerunt, qui tam effrenata ferrentur libidine, ut, de iis grauiter quod conquererentur, tum alii, tum ipſi Principes, haberent. Sed primus Gregorius VII conſilia cepit, inimica maieſtati, tum Regiae omni, tum Imperatoriae potiſſimum, primus Imperatorem, omni impetu oppugnatum, de faſtigio deturbare auſus eſt, primus exemplo, tam nouo, tam peſtifero, ſacram quandam tyrannidem occupauit. Hic enim, pro ambitione ſua profunda immenſaque, potentatum, quo cuncta Europae, et Orbis ipſius, regna in patrimonium Sedis Romanae redigerentur, ad ſuum arbitrium mente fabricans atque architectans, nouae rei nouas artes adhibuit, Regiamque auctoritatem, quoad potuit, labefactare inſolenter parauit. Hac mente, quis ſine horrore meminerit, initia Regiae poteſtatis ſuperbiae ac Malo Genio tribuit, hac docuit, cadere Reges dignitate, ſimul ac uel unius Xenodochii priuilegium uiolauerint, hac contendit, quamuis nihil cenſura Pontificia dignum Reges admittant, hos tamen regno pelli a Pontifice poſſe, ſi quando ſaluti animarum,

ut

Digitized by Google

ut loquitur ipſe, et Eccleſiae utilitati, conducere uideatur. O praeclarum cuſtodem ouium, ut aiunt, lupum. Atque haec quidem, non ab aliis forte relata, legimus, ſed, ne quid dubitemus, ſcripta, in ipſis huius eiuſdem Gregorii epiſtolis, quae in magnis Conciliorum uoluminibus extant, a Gallis etiam nuper recuſae ſunt. Dictis facta coniunxit Gregorius, et nihil uſquam maieſtati tutum reliquit. Nam, noui iuris nouos commentus titulos, non ſacram quandam, ſed plus quam Regiam, ſingularemque, poteſtatem in Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Sardiniam, Pannonias, Daniam, aliaque ſibi regna, ſumpſit, teſtibus ipſius literis. In quibus Regna, oblata Beato Petro, cum nominat, haec ſedis Romanae propria eſſe, oſtendit, cum ueram obedientiam poſtulat, non Patris animum declarat, ſed Heri, qui uaſtum quoddam totius Orbis imperium affectet, hoc eſt, Herile, quod recuſari non poſſit. Rem nouae libidinis nouae barbariae uocabulo Totatum uocat, ut Monarchiam quandam Generalem demonſtret. Hinc iſta eius uox dictatoria, Quod Papae unicum ſit nomen in mundo

At exorti ſunt ex altera parte, qui ſpiritus animi tam impotentis ferre nollent, in primis Galli,

Digitized by Google

li, quibus Beati Petri denarius fruſtra imperatur, tum Britanni, quorum rex Guilielmus, pro magnitudine animi ſui, Fidelitatem, inquit, facere nolui, nec uolo. At cum Germanis tanto iniquius actum eſt, quanto grauioribus hi diſſidiis inter ſe contenderunt, aliis ab Henrico quarto, Imperatore, aliis, longeque pluribus, a Gregorio VII, ſtantibus. Hic ergo, nactus rei gerendae tempus, nullo iure, iis de cauſſis, quarum ipſos patres purpuratos, ipſos, pudet, ſcriptores, Caeſarem, plaga Vaticana perculſum, regno, ciuium fidelitate, omni denique horum officio, priuat. Ego, inquit, Regnum contradico, abſoluo ſubditos, ne, ut Regi ſeruiant, interdico. Praeclara uero uox, quae miram iuſtitiam, paremque elegantiam, declaret. Hoc Imperator, uidelicet, expectare poterat a Seruo Seruorum, ut Pontifices ſe dicunt ipſi. Tam nefandi facinoris ſtupore defixos fuiſſe bonos, etiam eos, qui maxime ſedi Romanae ſtudere uiderentur, confirmat Otho Friſingenſis, Imperium, teſtatus, indignitate rei commotum fuiſſe, ſe ipſum obſtupefactum, qui, legens res Romanorum Regum Imperatorumque ac relegens, nuſquam ſimile quid inueniat, nuſquam, ante hunc Henricum, quenquam a Romano Pontifi-

Digitized by Google

ce execrationibus oppreſſum, imperioque exutum. Herimannus autem, antiſtes Metenſis, etſi Gregorio ſe totum dederat, hominum tamen, quibus factum Pontificis diſpliceret, ſermone perturbatus, ut Gregorium tueatur, exemplum rei geſtae ab hoc ipſomet ſemel atque iterum petit, ſed nullum, quod idoneum ſit, impetrare poteſt. Nam, quantumcunque in Theodoſium, indulſerit ſibi, Ambroſius, quicquid in Arcadium Innocentius Pontifex, tamen, neutrum, ſcimus, ad uim, regno inferendam, deſcendiſſe. Gregorii uero M. epiſtola, quae Reges, ſaſcerdotes, iudices, priuilegium Xenodochii Auguſtodunenſis uiolantes, poteſtatis honoriſque ſui iactura multat, iam pridem doctis ſuſpicionem praebuit, ac nihil continet, praeter minas inanes, ac potius imprecationes, Diplomatis, Teſtamentis, aliiſque inſtrumentis, tenuiorum etiam hominum, inſeri ſolitas, ut aliquod terroris momentum haberent. Childericum denique, Francorum regem, a Zacharia Pontifice, regno expulſum fuiſſe, ipſa etiam Gloſſa negat, qua teſte, depoſuiſſe dicitur, qui deponentibus conſenſerit. Itaque nihil Gregorio VII praeſidii eſt in exemplis, quae profert alieniſſima, nihil in diuinis humaniſque teſtimoniis, quae peruer-

ſa

Digitized by Google

ſa interpretatione deprauat, nihil in ulio canone, aut ullius Eccleſiae profeſſione, nihil in ullo Pontificum ſuperiorum decreto, nihil denique in ullo Concilio ueteri, ac ne in illo quidem, in quo cauſſa Henrici acta eſt. Nihil enim hic, ut moris erat, de Sacro approbante Concilio dicitur, ſed tantùm de Gregorii facto. Nam, cum uideret Gregorius, uiderent etiam huius ſucceſſores, nihilo melius animati, in re tam iniqua, diuinum ſibi humanumque ius obſiſtere, noluerunt Conciliorum approbationem expectare, ſed ius in Reges priuatim repertum, priuatim ſibi reſeruarunt. Sic, iſtis temporibus turbulentiſſimis, Germania Italiaque ciuili bello diſtracta, cum omne imperium Romanogermanicum grauiter, annos fere triginta, laborauit propeque conflagrauit, tum Regia in primis dignitas in diſcrimen adducta eſt, quando id, quod exemplo, inſigni praeſertim, fieret, iure fieri, ab hominibus, uana Pontificii nominis religione obſtrictis, putabatur. Falſa enim opinio inueterauerat, Imperium eſſe beneficium, clientelari iure a Pontificibus acceptum, falſa, huius Imperii rempublicam, in ſacris profaniſque rebus, penes Pontifices eſſe, falſa, Imperatorum fidem, ſacramento obligatam, ad omnia Pontificum imperata teneri, adeo quidem,

dem, ut pari iure Pontificibus liceret, Caeſaribus imperium, et deferre, et abrogare. Ipſi etiam Principes interdum apud Pontificem, quaſi iudicem ſuperiorem, Imperatores audebant accuſare, ſicut in cauſſa Henrici quarti a Saxonibus, Langobardis, Francis, Boiis, ac Sueuis, factum fuiſſe, memoriae proditum eſt. Haec, et alia, quae praetereo, quanto fuerint Imperatoribus malo, quanto maieſtati Regiae dedecori, neminem fugit. Longum eſt, enarrare, quot poſterorum Pontifices temporum, Gregorii VII ueſtigiis inſiſtendum, putarint. Huius enim Gregorii Dictatus, qui dicuntur, eam deinceps auctoritatem obtinuerunt, ut Curiae Romanae perpetuam legem, agendique regulam, darent, docente eam rem grauiter Edmundo Richerio. Nihil ergo mirandum eſt, ſi Pontifices, his praeceptis inſtituti, Regibus Imperatoribuſque manus iniecerunt, ſi eis regna extorquere, eos de fortunis omnibus deturbare, ſtuduerunt, ut ipſi rerum, per alios, aſtu uique ſua ſuffectos, potirentur. Traiecto mari, perfractiſque omnibus repagulis, in ipſa Barbarorum regna, quae Infidelium dicuntur, in ipſas noui Orbis opes, imperium affectarunt, partiti terras, fando uix auditas, ut de Alexandro VI, aliiſque, conſtat. Tantum abeſt, ut Imperatoribus parcerent,

cerent, quos praesentes, et compluribus de caussis iniuriae suae obnoxios, uiderent. Henricus enim sextus quanto, ut Houedenus scribit, ludibrio est Coelestino, Pontifici. Hic illum Romae, in Aede Petrina, inaugurat Imperatorem, diademate ornat. Sed coronam, eius capiti uix impositam, pede repellit, ut suam in Caesarem potestatem, dandi demendique fastigii, declaret. A Pontificibus quam inique cum Caesaribus actum sit, quis exponat. Sed ex eis Calixtus II Henricum V a gradu suo depellere adortus est, inde Alexander III Fridericum I, Innocentius III Ottonem IIII, Gregorius IX, et Innocentius IIII, Fridericum II, Ioannes XXII Ludouicum Boium, eaque res ui summa, magnis odiis, multa acerbitate, gesta est. Quantis ideo contentionibus atque motibus, quantis bellis ac proeliis, agitata sit respublica atque concussa, et annales loquuntur, neque uos ignoratis, Auditores

Similis in Reges tempestas est coorta, neque prius detonuit, quam Reges ipsi fulmina, toties ac tanto cum fragore excussa, magnis animis despicerent, Francorum maxime, quorum singularis hoc in genere prudentia fuit. Philippus Augustus Clementi III, nisi Rex Franciae, et Comes

Digitized by Google

Richardus, pacem cum Henrico II, Rege Anglorum, facerent, atrociter minitanti, Eius se, respondit, sententiam nullo modo reformidare, cum nulla aequitate fulciatur. ad Episcopum Romanum minime pertinere, in Regem aliquem, maxime Francorum, per sententiam animaduertere. Haec ille. At primus, quod norim, Ioannes, Rex Britannorum, ab Innocentio III de possessione regni deiicitur, atque hoc Philippo, Francorum Regi, eiusque successoribus in perpetuum, datur. Itaque plura, eodem tempore, Pontifex audet, propterea, quod Regem detrudit ex regno, eius stirpem successione excludit, Regnum ipsum Principes domesticos habendi iure multat, idemque exteris, perpetuo iure possidendum, transdit. At Ioannes, in Pontificis Romani fidem se permittens, regnum ea re mox recuperat, Pontifex, rebus Francicis abalienatus, in Philippum, eiusque filium, Ludouicum, odium conuertit, ac nouos in Anglia motus facit. Quod est signum, Pontifices, in transferendis regnis, nulli iuri, nedum religioni, sed suae tantum ambitioni, ac dominationi, seruiisse, sique regna dare non potuerint, ea certe decretis suis perturbasse. De Pontificibus autem, cum a Gregorio septimo discesseris, nemo

regna

Digitized by Google

regna ſuperbius ac grauius protriuit et conculcauit, quam Bonifacius octauus, ut ipſe Platina teſtatur. Moritur, inquit, Bonifacius, qui ſemper Regibus, Principibus, nationibus, populis, terrorem potius, quam religionem, iniicere conabatur, quique, dare regna et auferre, pellere homines et reducere, pro animi arbitrio, conabatur. Diſcant, ait, huius exemplo, Principes omnes, tam religioſi, quam ſaeculares, praeeſſe Clero et populis, non ſuperbe et contumelioſe, ut hic, de quo loquimur, ſed ſancte et modeſte, ut Chriſtus, Rex noſter, eiuſque Diſcipuli. Haec ille. Multum Pontifices in Reges ſibi permiſerunt, ſed multo plus in Imperatores. Eorum enim licentiam aluit auxitque diſcordia Germanorum, priſcum patriae malum, Romanis olim tam optatum, ſuperſtitio plebis Procerumque, numine Pontificio capta, iſta denique opinio, de Imperio Germanico Pontifici obnoxio, ficta illa quidem, ſed uetus tamen, et ficti prauique admodum tenax. Haec certe imperitam multorum credulitatem decepit, forte etiam, ipſorum interdum Pontificum, quibus, ut oblectamentum atque incitamentum ambitionis, ab aſſentatoribus inſereretur

Tot malorum, tamque ingentium, quibus Impe-

Digitized by Google

Imperatores, remque publicam, Pontificum licentia cooperuiſſet, cum non ignari eſſent maiores noſtri, neque iſtis, neque ulli mortalium, quicquam in Regiam Maieſtatem licere, uolunt, ſed hanc proximam a Deo, Deoque uni ſubiectam, ponunt. Ab Epiſcopis autem obedientiam, quae praeſtetur Caeſari, gratique animi officium, poſtulant, quod illi, ſi quam habeant poteſtatem gladii, eam habeant, ſicut oſtendimus, iure humano, ab Regibus atque Imperatoribus conceſſam, non, ut arma capiant in Reges, ſed, ut bona Eccleſiae ſuae melius adminiſtrare poſſint. Dicunt praeterea noſtri pro Maieſtate Caeſaris, atque Imperii, ubi, ſicut ſupra ſignificauimus, iudicare res Imperatoriis legibus, fas eſſe, ea mente praedicant, ut furorem repellant hominum ſeditioſorum, ab eiſque ſe quam longiſſime diſiungant. Leges autem, quae in Imperio ualeant, publico Imperatoris atque Imperii conſilio conſenſuque ſanciuntur, ut ſtatus reipublicae noſtrae, ex regno et optimatium forma mixtus, declarat. Itaque, in hoc regno legitimo, in quo, ex mutuo conſenſu pactoque ius regendi inter Imperatorem, et Imperii Ordines, conſtitutum eſt, una eſt communiſque Maieſtas in Imperatore, et Ordinibus Imperii uniuerſis, commu-

Digitized by Google

communis de republica ſtatuendi facultas, commune pacis bellique ius, tot legibus ac ſanctionibus imperii, pactiſque conuentis, ſaepe repetitis, munitum, communiſque poteſtas leges ferendi. Vt autem legiſlatio ad Imperatorem, et Imperii Proceres, uniuerſe ſumptos, communiter atque coniunctim pertinet, ſic Imperatoris eſt, de legibus ferendis ad Imperii ſenatum referre, eas publicis deliberationibus proponere, eas, de conſilii ſententia decretas, ſenatuſque conſulto ſcriptas, promulgare, et promulgatas, ad effectum adducere. Has igitur leges haud incommode, ab origine ſua duplici, Imperatorias dixeris, quas uſus loquendi frequentior Imperiales appellat. Quas quidem leges, tanta munitas auctoritate atque armatas, quis accipere, quis obſeruantia ſumma colere, nollet. Sed eo magis miranda erat iſtorum, hominum praefractorum ueſanorumque, contumacia, qui, ſua libidine, quam legibus Imperatoriis, regi, maluerunt, ea de re, in religioſa maiorum noſtrorum Formula, reprehenſi

His tamen in legibus Imperatoriis germanae, oportet, a commentitiis internoſcantur, ne quod tale nefas in mentem cuiquam uenire,

Digitized by Google

aut ulla cuiuſquam cogitatione informari, poſſit, quale in putidis nugis Vichbildi Magdeburgici memoratur. Quam enim fatale monſtrum portentumque noſcas, ſi legas hoc in centone, Caeſarem aurea ſecuri percutiendum eſſe, ſi, uel ſedem Romanam, uelit, euertere, uel haereticos fouere, uel uxorem repudiare. Horrendum dixeris hoc carmen, quo nihil iniurioſius, atque atrocius, in ſacram Imperatoris Maieſtatem dici poſſit. Eo uehementius mireris utique, uoces, tam capitales, aut mente concipi, aut in uulgus iaci, aut in ipſum denique iuris codicem referri, potuiſſe. Hae tamen uoces cum, antiquioribus iam literis mandatae, legantur, eas, iudicari poteſt, non tum natas primum fuiſſe, cum ſcriptae fuerint. Quis autem de priuatis, quis ipſis de Principibus, auſit, de Maieſtate Caeſaris tam abiecte, non dicam ſcribere, ſed ſentire, niſi huius opinionis fama iam pridem exiſſet in turbam, atque hanc, in errorem, per manus traditum, implicitam, tenuiſſet. Vndenam uero uideatur iſta fama manaſſe. Fluxiſſe nimirum uidetur ex iſto fonte, qui, ueteris, ac ſingularis, in Caeſares odii, plenus, plurima, et grauiſſima, in eos mala, deuotionibus ſacerrimis, profudit. Horum caput malorum fuit iſta Henrici

Digitized by Google

rici deuotio, a Gregorio facta, cuius ea uis erat, ut Principes, ac milites, ab Imperatoris sui consortione atque obsequio separarentur, sublato penitus omni uinculo societatis, non modo ciuilis, sed etiam humanae, sicut ipsa Henrici Apologia docet. Quid ergo Imperatori, infra priuati conditionem abiecto, tutum esse poterat, uel in honore suo, uel ipsa in uita. Itaque his, qui Sedi Romanae assentarentur, libuit, nihil in eam sententiam non comminisci, ut Pontificiam auctoritatem, Caesarea, superiorem ac sanctiorem facerent, atque hoc, ipso cruento Caesaris iudicio supplicioque, declararent. Sed merito omnes sanae mentis insulsam explodunt fabulam, quae uetus iniquitatis Pontificiae mysterium prodit, et nihil rationis habet, plurimum autem impudentiae atque impietatis

Vt pii, contra, maxima in Caesarem reuerentia, sunt maiores nostri, ut acres etiam asserendo Caesaris honore, qui ueras leges Imperatorias ab iniuriis hominum facinorosorum tueantur, qui Caesaris solium diuini roboris praesidio, aduersus iniquorum temporum exempla conatusque, firment, qui, in controuersa Religionis caussa, non solum ad generale Concili-

Digitized by Google

um, ſed ad ipſam ſimul Maieſtatem Caeſaream, prouocent, qui, ad Auguſtana Comitia uocati, inter primos adſint, qui Fidei ſuae Formulam, iuſſu Caeſareo ſcriptam, Imperatori ſubiectiſſime offerant, eaque obſequentiam ſuam Caeſari pie praeſtent, et ſancte confirment. Nec uero aliter, de maieſtate Caeſaris, ſentire poſſunt, quos aliud non docuerint, neque Leges aliae, neque illa Karolina, quae Imperatorem dicit Temporale caput, mundo, ſeu populo Chriſtiano, electum. Ex eadem lege meminerunt, in ea poſtulari, uti Rex Romanorum, publice lectus, uniuerſis et ſingulis Principibus Electoribus *omnia* ipſorum priuilegia, literas, iura, libertates, conceſſiones, antiquas conſuetudines, et dignitates, et, quicquid ipſi ab Imperio, uſque in diem electionis, obtinuerunt et poſſederunt, ſine mora confirmet. In quo Caeſareae confirmationis munere non poſſunt Imperatoris faſtigium non uenerari, propterea, quod Imperium nihil illuſtrius habet, Collegio Principum Electorum, neque eo ſecius hoc ita conſultum rebus ſuis cupit, ut, quae numeret in bonis praecipuis, Caeſarea manu confirmari, uelit. Vt alias leges Imperatorias omittam, habent quoque in memoria, atque in oculis, illam pactionem Imperatoriam, quae Caeſa-

Digitized by Google

Caesaris ipsius personam propius attingit. Haec illa est conuentio pragmatica, quae celebri atque solemni nomine Capitulatio dicitur, et libertati Germaniae, multis rebus eximiis praeditae, praesidio est. Haec Libertas, quae antiquum, et singulare, bonum Germaniae est, mouet Imperatores, rite electos, ut, in regno legitimo, in quo, ex pacto conuentuque solemni, ius regendi inter Imperatores et Imperii Ordines coaluit, potestatem, non infinitam ac liberam, sed legibus, quibus fundatur respublica, deuinctam, et pactionibus pragmaticis definitam, suscipiant, et, iurata promissione, cuncta Ordinum, ac patriae uniuersae, iura communiant. Ea igitur Capitulatio non est ista Lex Regia, qua, de imperio Principis lata, populus Romanus ei omnem potestatem suam quondam contulit, cuiusmodi lex, quae merum unius imperium solutissimumque dominatum fulciat atque firmet, Germanis ignota est, neque unquam in Germania, ac ne in Francia quidem ueteri, promulgata, recepta, atque approbata. Nec uero haec pragmatica conuentio, quae potestatem Imperatoris pacto astringit, imperandique facultatem finibus suis circumscribit, originem suam, uel a Conrado, ut placet aliquibus, uel a Rudolpho Sueuo, ut aliis,

Digitized by Google

uel a Carolo quinto, ut pleriſque, trahit, ſed altius repetenda omnino uidetur. Ab ipſo uidelicet filio Ludouici primi, Ludouico Germanico, manat, qui, facta Imperii Francici diuiſione, Germaniam accepit, et eam quidem obtinendam iure quodam, neque Galliae, neque cuiquam, obnoxio, ab eoque demum tempore uerum Reipublicae noſtrae primordium fuit. Sub idem enim tempus Capitulationum uetus eſt memoria, quibus Orientalis Regni Proceres, tum ſuccedendi modum ſtatuebant, tum regendi ius temperabant, idemque poſtea perpetuo, ac ſeparatim, fuit penes Germanos. At hae Capitulationes, quae, ſiue capita illarum conſideres, pleniores, ſiue earum uim obligandique rigorem, ſtrictiores, ſunt, recentiorem utique ſui aetatem oſtendunt, cumque Caroli quinti temporibus, quae maiorem Procerum cautionem deſiderare uidebantur, primum extitiſſent, inſequentibus temporibus, ut res popoſcerat, magis ac magis auctae ſunt, et longius productae. Atque illius quidem Carolinae, ex qua Carolus quintus, annitente potiſſimum Friderico Saxone, imperium accepit, formula nouam quandam formam induit, ſed, eadem illa, quantum Germaniae libertati, dignitati, ceteroque iuri, cauetur. Haec enim,

Digitized by Google

enim, in aliis, conſtituit, ut Caeſar ius aequabiliter adminiſtret, et paci conſulat, leges omnes Imperii, non modo confirmet, ſed, de ipſorum Principum Electorum conſilio, cum res ita feret, amplificet etiam, iura, priuilegia, dignitatem, Principum, et Ordinum, Imperii minime conuellat, aut imminuat. de rebus Imperii nullum foedus, aut pactum, faciat cum externis, niſi de Septemuirum aſſenſu. facultates Imperii neque diſtrahat, neque oppignoret, nec alio quouis modo deteriores faciat, et, quae ſint ab aliis nationibus occupata, uel ab imperio diuulſa, bona primo quoque tempore recuperet. cum uicinis, aliiſque, Regibus pacem et amicitiam colat, negotiis publicis praeficiat, non exteros, uerum Germanos, ex nobilitate delectos. quia Romae multa fiant aduerſus pacta, quondam cum Pontificibus inita, det operam apud Pontificem, ne qua fraus priuilegiis fiat et Imperii libertati. ſi quam habeat actionem in aliquem Ordinem, legibus experiatur, uim autem nullam adhibeat iis, qui ſe cognitioni legitimae ſiſtant. conſilium nullum ineat, quod dignitatem Imperii ſuae familiae peculiarem, et hereditariam, faciat, ſed liberam, et integram, permittat Septemuiris eligendi poteſtatem, ſecundum Karoli

quarti

Digitized by Google

quarti legem. quod ſecus factum fuerit, irritum habeatur. Hanc conuentionem, ceteraſque leges Imperatorias, quas illa nouit aetas, Auguſtanae Confeſſionis ſocii reſpiciunt, has Germaniae ſalutares ducunt, has coli, uolunt, ac diiudicandis Germaniae rebus, pro regula normaque, adhiberi. Sic Germanis ius, ex iure eorum publico, reddunt, Maieſtatem Caeſaris ſanctam inuiolatamque conſeruant, nationis Germanicae iura, priuilegia, dignitates, tutantur, quibus Principes atque Ordines Imperii gaudent, nec minus dignitati patriae, quam eius ſecuritati, proſpiciunt, quantum poſſunt. Sed iidem maiores noſtri dicunt ſimul pro Imperii Ordinibus, horumque iuribus domeſticis, cum, recte iudicari, aiunt, non modo ex Imperatoriis legibus, ſed ex aliis etiam praeſentibus, quae, in ſingulis Germaniae terris, praeſenti rerum ſtatui, publico priuatoque, uſui eſſe poſſint. Hae uero leges quoniam ab iis demum ferri poſſunt, qui, in ſuis quiſque regionibus, reipublicae praeſunt, hoc quidem loco, Procerum ſummorumque magiſtratuum ius, intelligi poteſt, non ſolum in promulgandis legibus, ſed exequendis etiam, uindicari. Ipſi quidem Pontifices quondam Principum leges, atque iuriſdictionem, opprimere ſtudebant. Cum

enim

Digitized by Google

enim tantam ſibi licentiam ipſos in Caeſares aſſumerent, quanam re uidebantur impediri, ne multo effrenatius in Principes, qui forent ſub imperio Caeſaris, ferrentur. Ergo ius, neſcio quod, in bona Procerum poſſeſſioneſque ſibi arrogabant, ac tribunalia, in eorum finibus, ſtatuebant, quo deferrentur ciuium, in Germania, cauſſae. Hoc plura rerum Germanicarum Diplomata docent, quae non modo cuſtodiuntur Tabulariis, ſed, in uulgus, etiam, edita, leguntur. At huius generis impreſſionem, in aliena iura factam, iniuſtitiae toties accuſant maiores noſtri, religioſae fidei teſtes, quoties ſacrae ciuiliſque poteſtatis diſcrimen tradunt, idemque diligenter obſeruari, uolunt. Cunctas igitur, et Imperii, et prouinciales municipaleſque, leges cum ſaluas, ſuoque ornatas honore, uolunt ſanctiſſimi maiores noſtri, cum, ex his iudicia de rebus, quae inter Germanos intercedant, recte fieri, teſtificentur, quid aliud tum contendunt, quid aliud optant, niſi ut ſuum Imperatori, ſuum Proceribus, ſuum cuique, in Imperio uiuenti, pro eo, ac par eſt, tribuatur. Hactenus de doctrina Confeſſionis Auguſtanae

Doctrinae praeſtantiam uis, tot animorum

Digitized by Google

motibus cognita, tot rerum effectarum mirabili euentu perſpecta, comprobauit. Audiatur Confeſſionis Apologia. Hic totus, inquit, locus rerum Politicarum a noſtris ita patefactus eſt, ut plurimi boni uiri, qui uerſantur in rep. et in negotiis, praedicauerint, ſe magnopere adiutos eſſe, qui antea, Monachorum opinionibus uexati, dubitabant, utrum illa ciuilia officia et negotia Euangelium permitteret. Hactenus Apologia. Quae quidem Confeſſionem Auguſtanam ut plenius defendat, eius mentem ſententiamque, breuiter ante traditam, iam luculentius explanat. Commemorat autem bonos uiros, eoſque plurimos, qui, Auguſtanae Formulae doctrina inſtituti, de rerum ciuilium procuratione rectius iam ſentiant. Hos de plebe infima non fuiſſe, oſtendit, ſed magiſtratibus imperiiſque perfunctos. Quorum in numero multos fuiſſe Principes, iudicari poteſt, multos etiam, qui doctrinae, tam luculentae, ac reipublicae tam ſalutari, aſſentirentur, quamuis aliis de rebus adhuc diſſentirent. Nam dicuntur aduerſarii caput hoc decimum, ubi de Rebus Ciuilibus ex inſtituto diſputetur, recepiſſe ſine ulla exceptione. Atqui hoc erat illud doctrinae caput, refutans iſtos reipublicae hoſtes, qui, collabefacta magi-

Digitized by Google

magiſtratus, iudiciorum, Imperatoriarum aliarumque legum, auctoritate, ſublatis tot rebus aliis, ſine quibus ciuilis conſociatio ſtare non poteſt, diſſoluebant Politiam, diſturbabant Oeconomiam, ut ſupra dictum eſt. Ipſe quidem Imperator, Carolus V, Auguſtanae Confeſſionis Formulam, cuius recitationem duabus fere horis aequiſſimo animo audiuerat, non, ut in rebus exilibus atque inuiſis fieri ſolet, reiecit, ſed de ea, tanti res momenti complexa, ſe deliberaturum, per Fridericum Palatinum, in ipſo adhuc Procerum ſenatu, maioribus noſtris denuntiauit. Qui enim potuit Caeſar, tam iuſtus tamque prudens, ea improbare, quae prudentiae ciuili, maxime Regum maieſtati, quae Imperio, huiuſque, ac Principum, omnium denique magiſtratuum, iuribus, tam conuenienter, tam iuſte, exponerentur, ut nihil poſſit ſupra. Hic certe idem Caeſar poſtea longe aliter, atque antea, de noſtrorum ſententiis exiſtimauit. Namque, et ipſe profeſſus eſt, Formulam noſtrorum ab ſe accurate lectam eſſe, et, Refutationem eius, ab aduerſariis Theologis acerbius conſcriptam, mitigari, uoluit. Libertatem quoque Religionis, A CIↃIↃXXXII, promulgauit, anno deinde conſequenti, miſſa ad Saxonem legatione, huic, eiuſ-

que ſociis, longe clementiorem ſe praebuit, quam ante id tempus. Mira etiam comitas Ferdinandi, fratris, eſſe coepit. Huius Ferdinandi epiſtola, A· CIↃIↃXXXVII Oeniponte ad Lutherum exarata, legitur, in qua gratiae Deo aguntur de beneficio repurgatae doctrinae. Eius tamen epiſtolae fides ſi quam in dubitationem adducatur, illud certe conſtat, Ferdinandum, rerum potitum, nihilo ſecius, ac fratrem eius Carolum V poſtea, quam ex Italia Auguſtam uenerit, dignitatis potius ſuae, quam Pontificiae ſuaſionis, rationem habuiſſe, ſerioque iam, de uindicandis Imperii iuribus, cogitaſſe. *In* ipſo enim Concilio Tridentino teſtatum fecit, nulla ab ſe ratione committi poſſe, ut, in hoc Antiſtitum conuentu, de Poteſtate Ciuili deliberetur. Enitebatur enim Pontifex atque elaborabat, ut iura Principum, ab his ipſis nuper aſſerta, ad ſacerdotium reuocaret. Sed huic rei Ferdinandus obſiſtebat, ſpretiſque iam fortius Pontificiis minis, acrem melioris cauſſae defenſorem ſe oſtendebat, quanquam nuper, Iuliano fulmine ictus, in eas incidiſſe difficultates uidebatur, e quibus ſe aegrius expediſſet. Adeo docuerant Ferdinandum, et firmauerant aduerſus omnem periculi metum, ea, quae maiores noſtri, de

Digitized by Google

de Imperii ac Sacerdotii discrimine, differuerant proxime, tam exquisite

Emendatis igitur superiorum temporum opinionibus, quas superstitio inuexerat, multo iam aliter de Imperatoribus atque Regibus, multo etiam aliter ab utrisque his ipsis de persona, quam sustineant, iudicari coeptum est. Namque antea Carolus V, cum Bononiae inaugurandus esset, modo Pontificem Clementem VII, sede augustiore in publico gestatum, pedes anteit, modo eius manibus, inter sacra abluendis, aquam suffundit, modo eidem, equum ascendenti, sub oculis totius ciuitatis, uile stratoris officium facit. Patitur hoc, pro singulari aequitate sua, Pontifex, qui quidem hoc idem, nisi fiat ultro, pro seueritate sua mirabili, postulare etiam sibi audeat, praesertim, cum, istud fieri, annuente suo caerimoniarum magistro, uelit. Quanquam enim publica huiusmodi seruitia a persona Caesaris tanti absunt, ac penitus abhorrent, haec tamen, aetate illa, quae superstitione tenebatur, sanctitati Pontificum posci, et, praestita, pro cultu quodam religioso uenditari, solebant. Hanc enim legem Friderico I Imp. quamlibet repugnanti, imposuisse quon-

Digitized by Google

dam narratur Adrianus IV, cumque ille, tempori cedens, feciſſet tandem, quod poſtea factum noluiſſet, Pontifex, expleta deſiderii ſui expectatione, laetus, hoc ipſum, pro pie facto, ſuis, quas legimus, literis, collaudauit. Scimus etiam, quid ſimilem in ſententiam in Caerimoniis Romanis praecipiatur, idemque iam nemo bonus expunctum non uelit, ut turpem iniquiſſimorum conſiliorum temporumque notam. At uero nihil huius, quod de Caroli V famulatu Bononienſi diximus, de Ferdinando I comperiamus, nihil de poſteris huius, ut profecto iam nihil earum rerum, quae ſuperiore aetate euenerunt, crederemus, niſi res iſtae literis eſſent mandatae. Etſi nemo Regum eſt, qui ſalutem non appetat, ad incolumitatem ſempiternam peruenire qui nolit, ecquis tamen, noſtrae memoriae, Rex, ita, ſanctitate religioſarum ſodalitatum in ſe tranſlata, ſanctus beatuſque fieri uelit, ut, Henricum II, Britannum, imitatus, nudum corpus ſacerdotibus, neque his paucis, exponat, uirgiſque caedendum praebeat, quod Vualterus Hermingfordius, et alii, tradunt. Nemo, paullo grauior, haec cum faſtidio, ut coniuncta cum ridicula ſuperſtitione, ut Regibus indigna, non legit. Sed olim haec eadem Regibus, ut ſalu-

Digitized by Google

taria, perſuadebantur, quae quidem a noſtris iam, longe aliam ſalutis uiam aperientibus, ut erubeſcenda, repudiantur. Nullae iam ex uenali iſta uenia quaeſturae ſacrae, quibus exhauriebantur olim Germaniae, atque Europae, facultates. Plus ſpei ponitur in orandi laborandique ſtudio, quam in ſanctitate ſimulata atque ignaua. Et bene pari opes poſſe, et poſſideri, creditur, habetur ſuus ſacerdotio honos, ſed reip. munera nemini bonae mentis ſordent, togae bellique artes aeque honorantur. Denique, in ſuo quiſque uitae inſtituto optimus putatur, qui partibus, honeſte ſuſceptis, optime fungi poſſit. Nihil iam, Pontificiis diris miniſque, ciuium, qui Pontificium numen horreant, fides ſolicitatur, ſed ea, officii ſanctiſſimi memor, in obſequio ſibi conſtat, et, pro ſalute, pro dignitate etiam, Principum, ipſum ſpiritum profundere, pium ducit perinde, ac pulchrum. Itaque nullae iam, ex deſpicatu poteſtatis ciuilis, diſcordiae ciuium, nullae ſeditiones, nullae rapinae, nullae caedes, quibus olim ſuperſtitio, mobilis rudiſque uulgi domina, ſumma miſcebat imis

Tanta rerum animorumque commutatione facta, quae Pontifices ingenti plaga perculit, animad-

Digitized by Google

maduertebant aduerſarii, ſuſpenſo iam gradu incedendum eſſe, mollique brachio utendum. Nec uero res aliter ſinebat, aculeo ſuperſtitionis magnam partem conuulſo, qui multos pupugerat, falſis opinionibus imbutos. Quanquam igitur Paullus V in Venetos grauius concitabatur, his tamen brutum iſtius fulmen irridentibus, nec reſecrari uolentibus, eo res deducebatur, ut, tam in ſcholis, quam in ſcriptis, de quibus multa comparent adhuc, execrationes Pontificiae, quae in Reges ac Principes iacerentur, ut impiae ac laeſae maieſtatis reae, et irritae ſimul ac nauci, explo-derentur. Curia Romana ueterem indignationis ſuae ſtimulum acuit quidem, cum alias, tum nuper in controuerſia Comachienſi, ſed eum, ut obtuſum, mucrone praefracto, telum, excelſiſſimi Principes animi contempſerunt. Nam, cauſſae ſubnixi bonitate, quid ſe ſuaque maieſtate, quid amplitudine Imperii, dignum eſſet, cogitarunt potius, quam alienae libidini probari quod poſſet. Poſtremo uertit in ludibrium, quicquid Romae in maieſtatem Regum, aut ciuilia Principum iura, tentari potuit, adeo quidem, ut nullae iam Curiae Romanae de his rebus ſententiae, nedum abrogationes imperii, a quoquam timeantur

Dignum,

Digitized by Google

Dignum, ſi quod ullum, ſpectatu eſt Francogalliae regnum, ab ipſis etiam Pontificibus antiquo Chriſtianiſſimi Regis elogio ornatum. Numquis autem Regum horum, quos ſibi Pontifices ſingulari nominis honore deuincire uoluerunt, ullo iam Romano fulmine mouetur. Exiit hoc ipſo anno triceſimo Luxemburgi liber, his uerbis inſcriptus, Defenſio Declarationis celeberrimae, quam de Poteſtate Eccleſiaſtica ſanxit Clerus Gallicanus A. CIↃIↃCLXXXII. Liber hic, tanto ſtudio compoſitus, ut duas conficiat partes, in Gallia, non patriis literis, ſicut fere mos gentis Gallicae, in rebus praeſertim domeſticis, ferre ſolet, ſed Latinis, mandatur, ut ab omnibus eruditis legi poſſit. Eum autem ſingulari, ut praefert titulus, iuſſu Ludouici quarti decimi ſcripſit uir Gallici nominis clariſſimus, Iacobus Benignus Boſſuetus, Meldenſis antiſtes. Quo quidem in libro cum alia plura doctius, quam fit uulgo, exponuntur, tum de Regum atque Imperatorum maieſtate, de Principum iuribus, de Romanae denique Sedis in hos licentia, liberrime diſputatur. Paucis multa complexus, Boſſuetus, Quis, inquit, inter Sedis Apoſtolicae priuilegia reputet, quod poſſint de Regibus amouendis uana et irrita, et omnibus iam populis

Digitized by Google

contemnenda, Decreta conſcribere. Aut, quis non uideat, apud cordatiores hanc totam de Temporali Pontificum poteſtate fere obſoleuiſſe ſententiam, ut, qui eam tuentur adhuc, ultimorum ſaeculorum exemplis abrepti potius, quam certa ratione ducti, eſſe uideantur. Quid Pontificibus profuerunt, quae ad Reges, in Temporalibus ſubiugandos, tantis molitionibus ſuſcepere. Nempe haec omnia conciderunt, caſſaque et irrita, nihil Sedi Romanae, praeter inuidiam atque odia, nihil toti Eccleſiae, praeter bella, caedes, ſchiſmata, pepererunt. Tanti refert, quid, Deo auctore, quid, humanis conſiliis, moliare. Hactenus Boſſuetus, Gallus. Poſteriorum autem temporum iudiciis exempliſque declarat hoc ipſum atque comprobat, quod tanta de re multo ante a noſtris, in Auguſtano conuentu, pronuntiatum fuerat, quod ipſe Boſſuetus, in libello noſtrorum, ab ipſomet alibi ſaepe commemorato, legerat, ueriſſimumque compererat, unde tantam, in tot gentium animis iudiciiſque, mutationem, uiderat, extitiſſe. Alius Louanii liber, qui uerbis ſuis, de Recurſu ad Principem, inſignitur, anno huius ſaeculi quinto et uiceſimo, a doctore Louanienſi, Zegero Bernardo Eſpenio, cum approbatione Caeſarea, editus eſt.

Hic

Digitized by Google

Hic grauiter libereque docet, ipsa Principes auctoritate sua, ipsoque bonae mentis officio, obligari, ne perferant iniustas censuras, sed, ut harum, aliorumque iudicum ecclesiasticorum, uim ui ab se, ciuibusque suis, repellant. Ergo iuris Romani uis, quae ciuili reipublicae statui infertur, infringitur florentissimis in regnis, ac labefacta concidit, postquam a nostris edocentur homines, Potestatem Ecclesiasticam cum Ciuili praue confundi. Peruulgata iam sunt, quae deinceps, eandem in sententiam, a M. Antonio de Dominis, M. Antonio Marcello, Francisco Paullo Sarpio, Stephano Pasquierio, tot aliis, nuper etiam ab Edmundo Richerio, aliisque doctoribus Sorbonicis, disseruntur. Atque haec quidem cum superiorum temporum opinionibus si componas, ut nihil in eis simile reperias, ut cuncta plane diuersa. Quis citeriorum autem saeculorum haec talia tam clare, tam libere, tradidit ante Confessionis Augustanae socios, et quis inde non perspicit, quanti ex fontibus huius Formulae riuuli sapientiae in omnes Europae partes dimanauerint. Adeo uerum est, inde a Constantini M. temporibus, usque ad nostram aetatem, nullum cuiuscunque generis librum extitisse, qui Imperatoribus Romanis, ac Principibus Christia-

Digitized by Google

nis, tantum profuerit, quantum Confeſſio Auguſtana

Sed ipſis potiſſimum ſociis Auguſtanae Confeſſionis plurimum ſalutis ex huius Confeſſionis Formula acceſſit. Huius enim fundamento continetur Pax Religioſa, ipſaque Veſtphalica, uindex Pacis Religioſae ualentiſſimumque munimentum. Cum uero utraque Pax illa fontes eorum, quibus fruimur, bonorum nobis aperiat, quid Auguſtanae Confeſſioni referendum ſit gratiae, facile iudicamus. Quod quidem lucidius apparebit, ſi, re altius repetita, ex iis, quae retulimus, iam meminerimus, olim erroribus hominum, a ſuperſtitione ductis, ita confuſos fuiſſe Poteſtatis Eccleſiaſticae atque Ciuilis fines, ut, hanc illi ſeruire, non modo rectum, ſed beatum etiam, putaretur. Ciuili enim Poteſtati ſtatus ipſius quaeſtio mouebatur, quaerique, ut dictum eſt, ſolebat, non ſolum a fanaticis poſtea, ſed prius etiam ab ipſis doctoribus Pontificiis, ſuſcipiendane ſint ciuilia munera, an potius fugienda, cumque ſuſcepta iam fuerint, derelinquenda rurſus. At haec ita quaeri ſolebant, ut ea, interrogantium mens ſi perquireretur, neganda uiderentur. Noſtis, Auditores, ſtolidam perſuaſionem commenti-

Digitized by Google

mentitiae perfectionis, de qua mentionem fecimus. Si qui locum Ciuili poteſtati relinquerent, hi tamen, eam, uolebant, pendere ex nutu Eccleſiaſticae, huius eam imperio regi, huic eam ſua permittere iura, ſeque ipſam in ſeruitutem dicare. Haec enim, et huius generis alia, propter remedium animae fieri dicebantur, ut Diplomatum, donationum piarum, aliaeque, tabulae, documentis longe creberrimis, teſtantur. Quae, callidis blandiſque precibus appetita, merito negabantur, ea ui clandeſtina rapiebantur, cuius mille inibantur uiae. Caput mali uidiſtis in artibus regiis Gregorii VII. Hinc utriuſque poteſtatis mira perturbatio, cuius habitum penitus diuerſum, atque ordinem iure diuino ſancitum, diſtingui, maxime oportuiſſet. Namque Eccleſiaſticae ſacra, Ciuili ciuilia, relinquenda erant, ſed, ut illi poteſtas in ſacris interior, ſic huic externa, conueniebat, ut ſupra demonſtratum eſt. Quantum igitur Poteſtas Eccleſiaſtica, quae fines ſuos tranſierat, ambitione atque auaritia creuerat, tantum Ciuilis defecerat

Quae cum uiderent noſtri, intellexerunt ſimul, ſibi conſultum ſi cuperent, utriuſque Poteſtatis illius diſcrimen reſtituendum eſſe, eoque

Digitized by Google

redintegrato, ipſam priſtinae integritati ſuae rempublicam reſtituerunt. Atque hoc illud quidem eſt, quod in Auguſtana Confeſſione, huius in Apologia, aliiſque noſtrorum libris, tam ſancte conſulteque traditur, quod multis, rempublicam gerentibus, magno uſui fuiſſe, ab ipſis maioribus noſtris obſeruatur, quod multum adeo adiumenti attulit, non ſolum reipublicae, ſed ipſi etiam Religioni, magnis in corruptelis, emendandae. Sic enim reſpublica in priſtinum uindicatur, ubi aſſerta ſunt huius iura, in poteſtate ciuili, ipſoque ſacrorum iure illo, quod tenetur externa poteſtate. Religio etiam in integrum reſtituitur, cum ad ea, quae pie, uel credenda, uel agenda, Deus praecepit, reuocatur, reiectis ſimul, quae uel ſuperſtitio, imperitorum mentibus iniecta, uel cupiditas principatus, aliarumque rerum caducarum, regno Chriſti affinxerat. Hoc enim regnum, quod ſplendorem breui obſoleſcentem reſpuit, in coetu, diuinitus lecto, conſtituitur, qui Verbo Coeleſti colligitur, continetur, eruditur, ut, uoluntate Dei denuntiata atque cognita, homines ad ueram ſanctitatem imbuantur, qua caſte Dei gloria celebretur in terris atque amplificetur, et humanae ſalutis, in Seruatore unico defixae, praeſi-

dium,

Digitized by Google

dium, firmum ac ſtabile, quaeratur, et, fide religioſa arreptum, teneatur. Hoc in coetu Spiritus Sanctus, auctor pietatis ſincerae atque cuſtos, uires immenſas, Verbi diuini praedicatione, Salutariumque pignorum, quae praebent auguſta Sacramenta, diſpenſatione, exercet, mentes numine ſuo replet, eaſque excitat, inflammat, confirmat, ut imbecilla ac mortalia relinquant, aeterna manſuraque expetant. Sed idem tamen ſanctus hic coetus in terris congregatur ex hominibus, qui, ſocietate inter ſe coniuncti, imperio cuidam parent, quo ſe ſuaſque res ab iniuriis aliorum tueantur. Ei autem qui praeſunt imperio, hi quidem Dei, a quo ſocietas inter homines conſtituta eſt, locum tenent, ob eamque cauſſam ſanctitate muniti, ad regendum ordinandumque ciuitatis ſtatum curas conuertunt, ut honeſte, tuto, placide, uiuatur, conſeruata iuris aequabilitate, ui propulſata, periculis depulſis. Horum ergo, qui rempublicam gubernant, poteſtas ciuilis eſt, et differt ab ea, quae ſacra, in concione Dei, procurat, ac myſteria facit. Tali modo imperium diſcernitur a ſacerdotio, et diuerſi ſunt utriuſque fines, qui, ex muneris fide, ſi regantur, publicus rerum ordo retinetur, cum eoque felicitas reipublicae cura-

Digitized by Google

curatur, ſin confundantur iidem, ex ipſa hac ordinis confuſione magna reipublicae perturbatio, et cuncta, quae conſequuntur illam, mala, exiſtant, neceſſe eſt. Quibus rebus fit, ut, perturbatis ciuium officiis, quae ſuus cuique locus, et obſequium, Principibus obſtrictum, attribuerant, ipſa Religio ſingulorum uioletur, ac ne purus quidem legitimuſque Dei cultus inter eos eſſe poſſit, qui, ſpreto Dei praecepto, ſibi praefectis obtemperare nolint, eoque minus abſtineant iniuria, ſociis inferenda. Hoc eis temporibus apparuit, quibus Pontifices Romani, poſthabita ſacrorum cura, opes atque facultates tantis appetierunt ſtudiis, ut ipſos Reges ac Principes aggrederentur, eoſque de gradu deiicere, ac fortunis euertere, in eorum iura inuadere, atque haec dominatu ſuo opprimere, ſummis uiribus niterentur. Itaque, nefaria eorum libidine, noua inducebatur religio, quae, in ciuilibus quoque rebus, mandata Dei negligeret, humana obſeruaret, et ambitioni ac quaeſtui tota pateret, eoque grauiorem perniciem in rempublicam importaret, quo ſanctiore auctoritate commendari uideretur. Cum enim Pontifices, diuinis humana miſcentes, omni licentia impetuque in Principes, atque ipſoſmet Imperatores, ferrentur, hoc

Digitized by Google

hoc recte ſancteque fieri, uulgo perſuaſum erat. Itaque, regnis ſeditione exagitatis, nullus periurii metus, nulla perfidiae infamia, erat, ſed, quo dirae Pontificales uocarent, eo, pium ducebatur, uim fieri, ad arma quoque concurri, ſigna inferri, et quantauis clade, caede etiam, uiolatum Numen expiari. Ex quo accidebat, ut, in diſcordiis ciuilibus, incitata ſeditioſorum libidine, exultante ſine freno licentia, agri uaſtarentur, domus expilarentur, templa incenderentur, et nefas omne patraretur, nihilque, non modo in rectores populorum, et homines alios, ſed ne in Deum quidem, ſanctum atque inuiolatum relinqueretur. Horum ſtirpem ſemenque malorum extinguere ac delere parat Auguſtana Fidei emendatae Formula, reuocato in medium, quod in obliuionem uenerat, diſcrimine Poteſtatis Eccleſiaſticae atque Ciuilis, eaque doctrina, non modo Reipublicae, ſed etiam religionis, pluribus medetur grauibuſque incommodis

Hanc optimam ſaluberrimamque rationem maiores noſtri ingreſſi ſunt, hanc profeſſi, hanc poſteri eorum amplexi, et, ſi quid ab aliis, de myſteriorum quorundam interpretatione, muta-

Digitized by Google

tum deinceps est, tamen ne hi quidem ab antiqua illa Potestatis utriusque differentia discesserunt. Cum igitur Principes nostri ius haberent, rerum suis in terris potiundi, his in terris, suspensa abrogataque antistitum in se iurisdictione, merito sibi uindicarunt ius condendi leges Ecclesiasticas, ius emendandi status Ecclesiastici, ius dioecesanum et iurisdictionis Ecclesiasticae, ius conferendi beneficia et dignitates sacras, ius confirmationum, alia denique iura cuncta, quae uel Episcopalia, uel Papalia, dicuntur. Haec enim iura quondam Imperii et Potestatis Ciuilis fuisse, haec ad se rapientibus quondam, Pontificibus reclamasse meliorum Proceres partium, nemini obscurum est, nisi antiquitatis ignaro. Visi igitur sibi sunt uiri quidam docti caussam habere, qua re Principes, his iuribus praeditos, Papas territoriales uocarent, uitio tamen usurpationis Pontificiae detracto. Habent certe caussam iuris publici doctores, qua re haec Principum iura non ab Episcopali quadam facultate repetenda, sed ab ipsa ui et indole imperii, siue ab ipsa rerum summa, quae, cum radicibus terrae ac territorii defigatur, Superioritas territorialis dici solet. Itaque, quoties Romana Curia iniquissime, ut Imperatores, recens electi, conqueri grauiter con-

consuerunt, cum Germanis aliis egit, nihil praestans de iis, quae, in Concordatis Nationis Germanicae, promissa sunt, toties praedicanda fuit nostrorum maiorum uirtus, quae sola potuerit, in suis certe regionibus, malo huic mederi. Quod si nos Germani, qui patriae caritate ducimur, dolere solemus atque indignari, quotiescunque nobilissima Imperii iura, Caesaribus iniquitate Pontificum extorta, legimus, quo tandem animo recordari, quibus laudibus ferre, debemus horum, praestantium diuinorumque hominum, facta, qui iura, tot saeculis perdita, patriae reddiderunt

Ex quibus, breuiter disputatis, intelligi potest, tot Imperii tantaque iura multis, atque ampliſſimis, Germaniae regionibus a nostris restituta fuisse, quorum aliter recuperatio ne speranda quidem uidebatur. Nec uero haec bona, quae maiores nostri sunt consecuti, insequentium temporum periculis, quam plurimis certe atque maximis, caruerunt. Sed Deus, cuius caussa, in toto hoc Religionis negotio, acta est, rem praepotenti numine suo expediuit, atque ita gessit, ut primum Passauii de Pace Religionis transigeretur, eoque facto libertas et religionis, et ciuilis,

Digitized by Google

uilis, aſſereretur, tum, Auguſtae Vindelicum, Pax Religionis ſancita, in ſolemni Procerum conuentu, confirmaretur, eaque his, qui Auguſtanae Formulae praeſcripta ſeruarent, plena fieret ac libera poteſtas, ſacra ſua procurandi, atque aliis eorum iuribus caueretur. Superatis denique diuturni grauiſſimique belli difficultatibus, Oſnabrugae Pax in eam ſententiam confecta eſt, ut, de quibus iam Paſſauii, et mox Auguſtae, conuenerat, haec inuiolata conſeruarentur, et nouum atque firmum libertati Germanicae praeſidium conſtitueretur, in diuina ciuilique re. Haec ſane magna ſunt, ſed ad unam tamen originem communem referenda, quam Auguſtana Confeſſio dedit, rerumque inſolitarum acceſſio, atque euenta penitus improuiſa, mirabilem fecerunt. Sic noſtri, ex ſeruitute ſuperſtitioſa in libertatem quondam uindicati, in eaque denuo ſtabiliti, uti Religionem, ita rempublicam, profligatis ſuperiorum temporum corruptelis, emendarunt, et optimis temperarunt legibus, tamque beatam praeſtiterunt, nullum ut eſſet publicum priuatumque felicitatis genus, quo florere ea non uideretur

Atque etiam externae gentes, quae noſtris his

Digitized by Google

his utuntur inſtitutis, multorum in republica bonorum ceperunt fructum, eumque Auguſtanae Confeſſionis Formulae acceptum retulerunt. Hanc enim ipſa quoque ultima Septentrionum regna, ut hoſpitem, de coelo miſſam, receperunt, ut religionis purae magiſtram, ſacris adhibuerunt, ut ipſam legem religionis ſanctiſſimam, decretis ſeueriſſimis ſanxerunt. Auguſtanam enim Formulam, conſtat, a Sueonibus Daniſque in eas relatam fuiſſe Leges, in quibus ipſa ſtatus publici fundamenta nituntur. Atque haec quidem praeclara multorum generum bona, publice priuatimque adipiſcenda, quae a Formula noſtrate in aliarum quoque gentium rempublicam profectura ſint, ipſi maiores noſtri cogitatione uidentur praecepiſſe. Ob eam rem in Apologia, Haec ideo, inquiunt, recitauimus, ut etiam exteri intelligant, hoc doctrinae genere, quod nos ſequimur, non labefactari, ſed multo magis muniri, auctoritatem magiſtratuum, et dignitatem omnium ordinationum ciuilium. Quarum rerum magnitudo fatuis illis opinionibus Monaſticis mirifice antea fuit obſcurata, quae longe praeferebant Hypocriſin paupertatis, et humilitatis, Politiae, et Oeconomiae, cum hae mandatum Dei habeant, illa communio Platonica non ha-

Digitized by Google

beat mandatum Dei. Haec Apologia. Magnum omnino reipublicae detrimentum afferebat quondam ficta ſanctitas iſtorum, qui ſibi uirtutis ſuae gradibus in coelum uidebantur aſcendiſſe, clauſtriſque ſuis uitam coelitum iam dabant, deſpecta, atque etiam improbata, procuratione omnis rei, uel ciuilis, uel domeſticae. Paupertatis ſtudium profeſſi, opibus aliorum, quibus imponebant, ignauiam ſuam paſcebant, humiles ſe ferebant, ut modeſtia, non mediocri, opinionem ſanctimoniae ſuae augerent. Si poſt illa, quae diximus iam, expectas adhuc aliquid, multorumque crimen ab uno uis diſcere, accipe Iacobum de Benedictis, Italum, patria Tudertinum. Hic, de homine nobili factus Franciſcanae familiae ſodalis, non modo de Contemptu Mundi ſcribit, ſed etiam alia poemata rudibus et inconditis uerbis, quae ſtudioſe conquirit undique, componit, ut riſum moueat lectoribus, ludibrium ſibi. Hoc enim tanto ſtudio affectat, ut ab ingenti contemptione ſui Iacoponus nominetur, hoc expetit unice, propterea, quod in ſui deſpicientia ſummum perfectionis Chriſtianae gradum locat. Vt uideas, fucatam eius ſanctitatem ſaeculo quarto decimo placuiſſe, tali Iacobus hic ornatur tumuli praeconio, ut dicatur, Stultus

Digitized by Google

propter Christum, noua Mundum arte delusisse, et Coelum rapuisse. Quasi uero tantum grauitatis non habeat Religio Christiana, ut ludibrium tui, moribus dictisque ridiculis, quaerere potius debeas ac prouocare, quam patientia illusionem alienam sustinere, quoties id honos Christi postulare uideatur. Sed haec, et alia, peruersitate sua corrumpebant, qui pietatem mentiebantur, multaque in omni republica, et ciuili domesticoque statu, turbabant. Eandem uero morum deprauationem corripiebat, eiusque incommoda, fraude tecta, demonstrabat Augustana Formula, et his aliisque rebus, quas optime docebat, populos mouebat, ut hi similia reipublicae suae uitia, quae uiderent iam, de medio tollere studerent. Atque hoc quidem eo facilius potuit fieri, quo plures in linguas, sicut dictum est, haec Formula fuerat conuersa, ut plurimis in locis legi posset. Itaque posteriore etiam tempore uim suam pluribus in regnis ostendit. Cum enim A. CIↃ IↃ XXXVI Henricus Octauus, Rex Angliae, foederi Smalcaldico se iunxisset, tantum Augustanae Confessionis studium professus est, ut, eius formula, promitteret, se in Religione emendanda, usurum. Cum deinde Britanni Fidei suae summam, in capita digestam, con-

Digitized by Google

conſcriberent, Auguſtanam hanc Formulam praecipue imitati ſunt, ut ipſi praedicant. Ex his Theologus clariſſimi nominis, Georgius Bullus, Auguſtanam, inquit, Confeſſionem, utpote omnium reformatarum nobiliſſimam, atque antiquiſſimam, ita ſecuti ſunt Eccleſiae noſtrae proceres, ut, qui iſtam ignorat, is Articulorum noſtrorum mentem ac ſententiam uix percepturus ſit. Haec Bullus ipſe. Et Vilelmus Nicholſius, Helueticam Confeſſionem remouens a Britannis, horum in ſacris, docet, non Heluеticam, ſed Auguſtanam, Confeſſionem ſtudioſe expreſſam fuiſſe. Vt alia praeteream, A. CIↃIↃLXII Carolus IX, Rex Galliae, oratoribus ſuis plura dederat in mandatis, quae Concilio Tridentino proponenda eſſent, communique conſilio abroganda. Abuſus dicebat, ſed hi tales erant Abuſus, qui ante, eadem uoce, a noſtris appellarentur, et reprehenderentur, ut repellendi a coetu diuino. Hos ergo Rex ille, ut omnino uidetur, dicerat ex Formula noſtrate, et, eos corrigi, recte uolebat. Nihilo magis autem, quam alii, obtinuit tum, quod concupiuit. Illud tamen, quod de poteſtatis duplicis differentia noſtri egregie docuerant, in Gallia uſque ad noſtram aetatem manſit, ubi Sacer Ordo in hoc iuſiurandum adhuc

Digitized by Google

huc adigitur, Nil licere Pontifici in Temporalibus, et Ciuilibus, ut loqui ſolent ipſi Galli. Omitto gentes alias, quae poſtea, quam diuulgata iam fuerat Auguſtana Formula, Poteſtatem Eccleſiaſticam, et ciuilem, tum ſuis diuerſorum munerum finibus diſcreuerunt, tum plura in pluribus reipublicae partibus correxerunt, quanquam fontem ipſum, unde hauſerint illa, non indicarunt, ſed eum, certis de cauſſis, quas ipſae norunt optime, ſilentio diſſimularunt. At populi, qui et Religionis, et reipublicae, diligenter emendandae, curam geſſerunt, quid quantumque deberent Auguſtanae Formulae, multa cum eius laude praedicarunt

Quod igitur, cum Religioni, tum Reipublicae, tam ſalubre cognorant nationes diſiunctiſſimae, quod Regiae dignitatis ac ſecuritatis quaſi quoddam Palladium eſſe, recte arbitrabantur, quod praeſidium etiam ſtatus ciuilis atque firmamentum eſſe, putabant, id uero communi nobiſcum uſu ſuſcipiendum, communi ſtudio excolendum, communi denique honore proſequendum, duxerunt

Nihil hic teſtimoniis, ex longinqua annalium memoria repetendis, opus eſt, Auditores,

Digitized by Google

ubi nos ſenſus rei praeſentis, ac nemini ignotae, conuincit. Quid enim, hoc tempore, in compluribus Germaniae regionibus, quae repurgato Dei cultui ex fide auiti exempli ſtudent, quid, in remotiſſimis Septentrionum oris, apud Sueones, Danos, Noruagos, ſanctitatis eiuſdem priſcae ſocios, tanto ſtudio apparatur, quanto ſolemne, communi gentium caerimonia, feſtaque omni laetitia, faciendum. Quid aliud, ſi quaeras, eo de ſolemni audias, quam, hoc illud alterum eſſe ſaeculare ſacrum, quo maximum Dei beneficium, diuino Auguſtanae Confeſſionis munere hominibus, ueri rectique amantibus, conceſſum, grate pieque celebretur

Gaudeamus igitur uehementerque laetemur, id poſteris nobis eueniſſe tandem, quod nobis maiores noſtri precati ſint, ut, quod coeleſtis gratiae pignus ad primi ſaeculi finem habuerunt integrum, hoc ipſum nobis, pari modo incorruptum, ad ſecundi exitum conſeruetur. Sed agnoſcamus ſimul fortunam noſtram, quam nobis Deus, maiorum temporibus haud paullo meliorem, largitus eſt. Namque illos Germania, diutino, crudeli, peſtiferoque, bello diuexata, tantumque non perdita, tanto tenuit armorum metu perculſos, ut in ſummo rerum omnium diſcrimine uerſarentur. Nos autem ea feli-

Digitized by Google

felicitate fruimur, ut, pacata non modo Germania, sed omni etiam Europa, in tranquillissima ac suauissima pace conquiescamus. Recordemur tot gentium miserarum, quas alia nulla, nisi sacrorum communium, caussa, et animi, in sanctitatis officio, constantia, multis locis grauiterque afflixit. Reminiscamur ergo officii, quo Deo, tantorum auctori bonorum, tenemur, eique gratias, quantas possumus, maximas agamus. Huic pias castasque mentes dedamus, huic manus supplices tendamus, ut, lumen Veritatis Aeternae, quod, huius professione, nobis maiores praetulerunt, porro in sacris, in animis, omnique uita nostra, cum perpetuo auitae pietatis, et constantiae, studio, elucere, sinat, idemque, inuiolata fide conseruatum, posteris tradat, dispulsis errorum omnium tenebris, quibus lucis huius diuinae splendor, per tot gentes nationesque diffusus, obscurari, aut ullo modo obsolescere, usquam possit. Deum denique immortalem obtestemur, ut, saluo Imperatore Augustissimo, Carolo VI, saluo Rege Glorioſissimo, Friderico Augusto, salua Domo Regia, salua omni Stirpe Saxonica, et florentibus Imperii patriaeque rebus, felicitate temporum atque hilaritate, qua utimur, diu multumque perfruamur

Digitized by Google

XII
DE CHRISTO PLACABILITATIS EXEMPLO

TAm luctuoſum miſerandumque calamitatis ſpectaculum nobis, Auditores religioſiſſimi, hodierno die exhibet Chriſtus, infelici arbore ſuſpenſus, ut nulla luctus, quamlibet grauis, imago mente noſtra fingi poſſit, quae ſummis Chriſti miſeriis non ſuperetur. Videtis illum, inter duos latrones, ingentium ſcelerum reos damnatoſque, medio pendentem loco, qui nullius unquam criminis conuinci potuit, inſons perpetuo ſanctuſque totus. Videtis illum, flagris caeſum, conuiciis uerberatum, omnibus ignominiae notis inuſtum, qui ciuitates agroſque obiit, ut homines, religionis uerae rudes, coeleſti ſapientia imbueret, errantes in uiam reduceret, ignaris incolumitatis ſuae iter, quo peruenireturin coelum, tutum expeditumque monſtraret. Videtis illum, in Crucem actum, omni crudelitate diuexatum, uulneribus denique confectum,

Digitized by Google

fectum, qui, ſanans morbos inſanabiles, caecis oculorum lumina, ſurdis audiendi facultatem, claudis inceſſum, dedit, leproſos purgauit, mortuos ipſos excitauit, de genere humano optime mereri multis ſtuduit, ac mirabilibus plane, modis. Quo flagrantior ergo Chriſti caritas eſt in homines, quo immanior in eum hominum impietas, ſaeuitia, furor, quo terribilior eſt ira Dei, ad ulciſcendum nefas tam infandum exardeſcentis, eo plus moeroris atque angoris nobis affert recordatio Chriſti, a mortalium perditiſſimis necati

Sed, quoniam Chriſtus hodie, benignitate prorſus incredibili, in ſupplicio atrociſſimo, docet homines imitationem bonitatis ſuae, luctus cedat pietati, ut nos, ex moerore recreati, atque erecti, animis ad audiendum diſcendumque compoſitis, moribunda Chriſti uoce proficiamus. Sedet igitur Chriſtus in Cathedra Crucis, ut Auguſtinus loquitur, factiſque ſeptem uerbis, horum mente ſententiaque tantum nobis edit, quantum grandia ſeptem uolumina capere non poſſint. His de uerbis diuinis unum, temporibus noſtris duriſſimis ſumme neceſſarium, deligamus, quo Chriſtus a Patre ſuo Coeleſti inimi-

Digitized by Google

cis ſuis, longe teterrimis, ueniam petit. Pater, inquit, ignoſce eis. Neſciunt enim, quid faciant

Prima haec uox eſt, quam Chriſtus in Cruce mittit, cinctus duobus facinoroſis, altero a dextra, altero a laeua. Quid crudelius fieri potuit, quam tolli in Crucem, quid magis ignominioſe, quam, in hoc ſeruili ſupplicio, medium inter duos latrones conſtitui. Hic Chriſto, Dei Filio, ipſique Deo, in ſumma calamitate, a profligatiſſimis inſultatur, eius ueſtimenta, ſorte inter nequiſſimos diuiſa, abripiuntur, eum populus magiſtratuſque inſpectans deridet, ei turba furialis, ut, alios ſeruare ſolitus, ſe nunc ipſe ſeruet, ſi Dei Electus ſit, undique inclamat, ei milites, aceto oblato, illudunt, ut eripiat ſe e periculo, ſi Rex Iudaeorum ſit, ludificantes poſtulant, ipſi quoque conſcelerati, ab utroque latere, ei male dicunt. Ex quibus tamen alter emendatur, inſtinctu mirabili Spiritus Sancti ad Chriſtum conuerſus, cum audit eum, pro ſuis inimicis orantem. Vna Patris, a Chriſto appellati, uox, auribus accepta, animo conſiderata, quid eſt, quod in hoc latrone, diuinitus excitato, effeciſſe non uideatur. Chriſtus autem, tam indigne habitus, nihilo ſecius pro inimicis acerbiſſimis

Digitized by Google

mis deprecatur, eorum inſcitiae miſericordiam Paternam flagitat, eis ueniam dari, diſcupit, ut ſi hi, qui omnia crudelitatis exempla in eum ediderant, nihil deliquiſſent

Hoc mihi loco conſideretis, uelim, Auditores, honorem, quo Chriſtus omni ſpoliatur, eius famam, quae infamia maxima aſpergitur ac penitus obteritur, eius uitam denique ipſam, quae ſingulari aduerſariorum ſanguinariorum immanitate conſumitur. Chriſtus tamen, clauis confixus, uulneribus exhauſtus, undique exagitatus, quaſi nihil harum accepiſſet iniuriarum, ſupplicat Patri, ut hominibus, in ſe furentibus, delicta ignoſcat. O quantum hoc ſpecimen eſt placabilitatis, Auditores, quantum bonitatis, quantum caritatis, in humanum genus effuſae

Quod ſi communem humanae uitae conſuetudinem, cui Seruator ſuum dedit exemplum, reſpicimus, quo tandem res Chriſtiana redierit, uidemus. Probro ſaeculi, crudelis atque cruenti, aduocandae uidentur atque opponendae gentes profanae. Muſonius, Hoc, inquit, cogitare, quem ad modum quis remordeat mordentem, et nocenti noceat, ferae eſt, non hominis. Itaque Seneca, Inhumanum, ait, uerbum eſt, et quidem

Digitized by Google

quidem pro iusto receptum, Vltio, et a contumelia non differt, nisi ordine. Haec ille. Dionis, qui cum Platone in republica philosophatur, ultionem, ostendit, quae spectetur ex lege, iustiorem quidem, illata iniuria, existimari, at eam, natura iudicatam, ex eodem animi morbo nasci. Atque hic quidem morbus haud leuis est, quod tanto quisque cupidior est uindictae, quanto minus habet rationis. Proinde uoluptatem Vltionis feminae tribuit Satyricus, et, non audiendos, putat M. Cicero, qui, grauiter irascendum inimicis, ducant, idque magnanimi et fortis uiri esse, censeant. Nihil enim, inquit, laudabilius est, *nihil* magno et praeclaro uiro dignius, placabilitate atque clementia. Probe uero. Placabilitas enim ostendit sapientiam et prudentiam, ut, cum fragilitatem naturae communis in nobis non minus, quam in aliis, agnoscamus, aequum arbitremur, aliis perinde crimina condonari, ac nostris, uelimus, ignosci. Placabilitas declarat amorem consociationis humanae, cui ut quisque maxime studet, ita maxime iniurias obliuiscitur, quas, tempus ulciscendi nactus, persequi possit. Placabilitas proxime ad Deum accedit, qui, tot hominum, ex omni populorum genere, ex omni aetate fortunaque, iniuriis ubique ac quotidie lacef-

Digitized by Google

ſitus, niſi mitem ſe miſericordemque cunctis praeberet, quam, quaeſo, repente de uniuerſo hominum genere actum foret

Quanquam haec uere de mortalibus praedicantur, de Chriſto tamen multo excellentius quiddam dicendum eſt. Neque enim hic, in delictis, ignoſcit hominibus, ut ſibi rurſus ignoſcatur, cum, expers omnis infirmitatis, in alios peccare non poſſit. Sed tanto praeſtantior eſt Chriſti benignitas, quod, atrociſſimis iniuriis affectus, aduerſariis ſuis ignoſcit, idemque ut faciat Pater Coeleſtis, eum ideo, ipſis in tormentis ſuis, elangueſcens, obſecrat. Nec uero pro his modo deprecatur, qui adſunt, iniuriaſque praeſentes inferunt, ſed pro cuncto etiam hominum genere, cuius, ſupplicio ſuo, culpam inueteratam luit. Itaque placabilitas illa, quae ſoli caritati ſeruit hominum, aeque propria eſt Chriſti, atque ipſa caritas generis humani. Haec enim illa eſt φιλανθρωπία, quae Chriſtum coeli ſedibus exciuit, ut deſperatis hominum rebus ſubueniret, quae eum, coelo deuocatum, laboribus aerumniſque, inter homines perferendis, diſtrinxit, ut malis humanis mederetur, quae eum, ingratorum maleficiis quamlibet afflictum,

Digitized by Google

ad ſupplicium tranſdidit, ut moreretur pro hominibus, a morte uindicandis. Haec illa bonitas eſt coeleſtis, quam ſecum Chriſtus de coelo detulit in terras, quam plurimis, et ſummis, in homines beneficiis, dum uerſatus eſt inter homines, comprobauit, quam factis dictiſque teſtatus eſt. Beati mites, inquit. Namque ii terram poſſidebunt. Beati miſericordes. Namque eis tribuetur miſericordia. Beati pacifici. Hi enim Dei filii uocabuntur

Quod utinam haec Chriſti uox, quam Seruator ſanctiſſimus exemplo ſuo in Cruce illuſtrauit, temporibus noſtris placabilitatem animorumque manſuetudinem conciliaret. Sed, populis odio ac diſſidiis in ſe concitatis, uidemus, Auditores, in quae tempora inciderimus, in quantos gentium motus, in quanta rerum omnium diſcrimina, ut, ſi conſiliis humanis res iudicanda ſit, plus utique metus, quam ſpei, ſupereſſe uideatur. Atque hoc quidem malum eo periculoſius cenſeatur et capitalius, quod inteſtinum eſt, Germania in uiſcera ſua ſaeuiente, quae pluribus in partibus ardet bello, eoque periclitatur grauiſſime, quod incendio belli faces externae, ac flagrantiſſimae, ſubiiciuntur, in medio Ger-

Digitized by Google

Germaniae ſinu. Plures Europae regiones hac rerum perturbatione agitantur, in quibus acriter depugnatum eſt, noui exercitus inſtruuntur, ad arma res ita ſpectat, ut, cum plurimum ſanguinis Chriſtiani iam profuſum ſit, longe plus adhuc uideatur breui profundendum. Obſtupeſcent poſteri, cum acceperint a nobis, quod credere uix poſſint, ipſum Turcorum Tyrannum, tantis Europae turbis, permotum fuiſſe, ut bellis, inter Chriſtianos componendis, arbitrum ſe profiteretur, idque non modo Legatis Chriſtianorum, Byzantii commorantibus, coram diceret, ſed idem literis etiam, ad Reges Principeſque diſſidentes miſſis, ſignificaret. Eone licentiae, diſcordia, res Chriſtiana prolabitur, ut Barbari, Chriſtiano nomini infenſiſſimi, Chriſtianos, mutuis in ſe odiis incitatos, mutuis caedibus cladibuſque cruentatos, ad pacem concordiamque hortentur

Ades, o mitiſſime Ieſu, ades nobis, qui ſolus nobis opitulari potes. Intercede numine tuo, cum te Pacis Principem colamus, praeſentibus temporum malis, ne tantum ſanguinis Chriſtiani, ipſorum Chriſtianorum iracundia ferroque, perdatur. Tu doces nos, e Crucis tuae

Digitized by Google

exedra, ſtudium atque neceſſitatem, ignoſcendi inimicis, eoſque diligendi, atque hoc idem exemplo tuo mirabili confirmas. Fac, repreſſis odiis, animi mites atque placabiles excitentur, qui, aequitate deliniti, pacem, quam bellum, malint. Fac, caritas Chriſtiana ſuccedat offenſis, tumultui quies, periculis ſecuritas. Precare pro nobis Patrem Coeleſtem, uti nobis delictorum gratiam faciat, et nobis ignoſcat, quotieſcunque peccamus inſcientes, noſque Spiritu tuo Sacroſancto rege, ſcientes ne peccemus. Nos tibi gratias agimus habemuſque immortales, qui morte tua redempti ſumus a morte, nos tibi totos nos dedimus, qui beneficio tuo uiuimus, nos; abs te nunquam diuellendi, moriemur tecum atque reuiuiſcemus. Fac igitur, ſancta ſtabiliſque meriti tui infiniti fiducia, ſalui ſimus, ut te; una cum Patre, et Spiritu Sancto, in beatiſſima Coelitum ſocietate, ampliſſimis in perpetuum laudibus celebremus

XIII

Digitized by Google

XIII

DE PRISCA SAXONVM MAIESTATE

A. CIↃ IↃ CC XXI

Si quis ueſtrum, Auditores, a me, hodierno die uerba facturo, noua potius, quam uetera, expectat, hunc, intelligo, ſententiae ſuae cauſſas non omnino nullas habere. Eſt enim non modo iucundum, ſed etiam utile, ea diligentius ſecum conſiderare, quae noſtris temporibus accidunt, atque in magna uarietate omnis fortunae uerſantur. Namque ex eis, quae incurrunt in oculos noſtros, Numinis, quod rebus humanis praeſidet, ubique praeſentis, illuſtria capimus argumenta, eis, quae luculentis caſuum exemplis conſiliorum negotiorumque recentium cauſſas atque euenta demonſtrant, prudentiam noſtram inſtruimus, eis, quae intuemur, omnis exempli documentis, in nobili quodam monimento poſitis, ad uitam, bene ac ſapienter inſtituendam, nos erudimus. Ex his enim, quae uidemus, quae audimus, quae legimus, excerpimus honeſta ac ſalubria, quae ſe-

Digitized by Google

quamur, in eiſdem turpia contemplamur ac detrimentoſa, quae, ut foeda inceptu, foeda exitu, uitemus. Hoc iudicio Polybius, qui ipſam eius rei doctrinam excellenter tradit, hiſtoriam temporum ſuorum ponderat, hoc, praeclarus eius imitator, Titus Liuius, qui, pari modo, lectores ſuos dociles atque attentos ab operis ſui primordio reddit, hoc, Philippus Cominaeus, quo nihil, hoc in genere, ſolertius eſt ac prudentius, hoc, Iacobus Auguſtus Thuanus, qui, laudandis uirtutibus, reprehendendis uitiis, omnem hominum conditionem docet, ut alios omittam. Nec uero huic, quam degimus, aetati ulla rerum geſtarum uarietas deeſt, unde, ſi quidem acriter huc animum intendamus, multum, ac quotidie, proficere poſſimus. Sed, ut haec, quae res iam praeteritas reſpiciunt, non tam nobis percenſenda ſunt hoc loco, quam ſingulorum ſtudiis atque contemplationi relinquenda, ſic alia ſuperſunt, quae res futuras proponant, et animi ſagacitatem poſtulent. Ea uero ſagacitas in poſterum proſpicit, reſque, adhuc expectandas, contuetur, atque has cogitatione praecipere ſtudet, ſed, ut euenta, ex eis elicienda cauſſis, quae in actionibus, iam ſuſceptis, inſint. Habet autem haec ingenii facultas magnam

Digitized by Google

gnam prudentiae laudem, et ſingularem prudentibus animaduerſionem excitat, qui futura prouidere laborent, effecta et conſequentia colligentes ex cauſſis antegreſſis, uti commoda, quae ſperant, adipiſcantur, incommoda, quae metuunt, euitent. Ea diuinatione, et Themiſtocles plurimum ualuit, de futuris callidiſſime coniiciens, ut ait Thucydides, et eadem M. Tullius, ut Corn. Nepos ſcribit, excelluit, eam quidem artem non facitans modo in bello ciuili, ſed etiam Caecinae, amico ſuo, tradens. Quodnam autem tempus hanc diuinandi artem pluribus, ac potioribus, rerum ciuilium argumentis exerceat, quam praeſens ſaeculum, multis conſiliorum myſteriis tum quoque adhuc opertum, cum magna iam opera, domi militiaeque, peracta uideantur. Tantam enim copiam nouarum, atque commemorabilium, rerum noſtra fert aetas, ut, mortuo ſimilis, inter uiuos uerſetur, qui neſciat, habere gentes nationeſque, quod, magnis nec opinatis caſibus admonitae, uel ſperent metuantue, uel ullo conſilio uix explicare poſſint. Sperant meliora Sueones, cum, pace proxime confecta, recreantur ex malis, quibus obruti adhuc atque perculſi, tantas ſuſtinuerunt calamitates, quantas nulla temere ſupe-

Digitized by Google

ſuperior aetas gentis bellicoſiſſimae uidit. Sed, quoniam neceſſitas extorſit hanc pacem, numquis propterea uereatur forte, ut pax iſta ſatis omni ex parte fida ſit. Eiuſdem ſpei fructum capiunt, qui, Sueonibus amicitia, foedere, commerciis, coniuncti, uel mare Sueuicum, quod in Septentrionibus patet, tutum reddi, et nauigationibus aperiri denuo, gaudent, uel, regnum reficere uires, antehac florentiſſimum, nuper autem tot cladibus, et aliis belli malis, exhauſtum. Sed quid otii ſatis muniti putes, ubi tranquillitatis ſpes ex potentiorum uoluntate pendet. Sperant, neſcio quid, Galli Hiſpanique, cum, nuptiis inter Ludouicum quintum decimum et Mariam Victoriam, Hiſpanam, conciliatis, tam arcte copulantur, ut magnum ſit, ſanguinis Gallici uinculo duos, tam praepotentes, coaleſcere populos, quos non ita multo ante Pyrenaeis iugis ipſa diſcreuiſſe natura, et animis, moribus, uoluntatum ſtudiis, finxiſſe contrariis, odioque in ſeſe mutuo et implacabili concitaſſe, uidebatur. Sed quid minus copulatum uideri poteſt, minus ad amicitias coniugandas aptum, quam diſſimilitudo morum, et indoles ipſa diſpar. Haec facile cogitauerint, qui difficile cenſeant, uoluntate coniungere, quae natura ſint diuerſa, et

Digitized by Google

et debile putent pignus omne, quamlibet carum, concordiae, ex inuidia potentiae, male cohaerentis inter nationes, quae, pari opum fiducia, pari cupiditate dominandi, inter se de principatu contendant. Contra ea, putant alii, non metuendum nihil esse, si gentes externae, atque ex longinquis Scythiae finibus egressae, Liuonia aliisque regionibus occupatis, fines Imperii propius, uires suas confirment, si classes aedificent, portus constituant, armatis simul precibus nauigationem postulent, a uectigalibus immunem, paullatimque ad maris principatum nitantur, et, icto cum Barbaris pacis perpetuae, quam superior aetas nesciat, foedere, quanto sibi minus a Barbaris timeant, tanto plus Germaniae periculi machinentur. Num sibi, dixerit quis, locum in Germanico Imperii senatu quaerant, ne dignitate Sueonibus uictores cedere uideantur. Num mollius Germaniae coelum rigori patrio praeoptent. Maior prudentibus iniicitur metus, ubi cogitant de connubio, inter potentissimos, ut diximus, populos iuncto, quorum est, bellum finitimis inferre, factis prouinciis, regni fines prorogare, et, spe in immensum producta, ad Europae omnis potentatum aspirare. Fuit quidem tempus, cum imperiosi utriusque huius

Digitized by Google

populi ambitio, ingentis gloriae cupida, Europae dominatum affectare uideretur. Quanto plus ergo periculi harum conſociatio gentium intentat. Adeone uero ſecuritati ſuae nationes confines indormiant, quin mature rebus ſuis proſpiciant, et conſulant in commune, foederibus inter ſe percuſſis, quibus hoſtium conſilia diſturbentur. Ex eodem altioris indaginis coniugio, coniiciunt iidem, quantum momenti proficiſcatur ad alendas fouendaſque Italiae factiones, quae, ut ait Luitprandus, geminis ſemper dominis uti uoluit, ut alterum alterius terrore compeſcat. At uero quis, Italos, aut ad proſpicienda cauendaque pericula tam imparatos, putet, ut impendentem tempeſtatem minus uideant, aut, in manifeſto patriae periculo, tam diſcordes, quin, neceſſitate coacti, uires inter ſe iungant, ut, ſi qua uis, ſolito maior, externam ſeruitutem minitetur, huius metum communi conſilio depellant. Sino legationem Thracicam, nuper a Gallis comiter acceptam, ſummiſque honoribus cumulatam, quae ſibi quid uoluerit, ii ſibi uidentur intelligere, qui cauſſam belli, a Thracibus terra marique comparati, ſcrutantur, qui, Venetos a Barbaris hoſtilem in modum habitos, meminerunt, qui, ſimulari, credunt, amicitiam, ut bellum deinceps

ceps improuiſum acrius geratur. Vetus quidem eſt periculoſumque malum foederis, quod Galli cum Turcis pacti ſunt, ſed, quo teſtatior eſt memoria foederis eius, quod ſaepe metum propinqui diſcriminis intulit, hoc uigilantior eſt gentis Auſtriacae cura, ut firma ſubitis praeſidia praeparentur, quibus terrori Orientis Occaſuſque reſiſtatur. Praetereo moram congreſſuum, Cameracenſis ac Brunouicenſis, quorum in altero nunc, ut fama tulit, maior progreſſio fiet, nec nullus tamen in eo metus reſidet, ob Gallorum Hiſpanorumque conſenſionem, in quaeſtum unius cauſſae conſpirantem, alter autem ſic dilatus eſt rurſus, ut prope ſublatus de medio uideatur. Hinc, quanto minus proxime, pactione in Finnis Neoſtadienſi, ſopiendis Obotritorum turbis cautum eſt, tanto paratior fuerit augeſcentis periculi ſuſpicio, ſi neceſſitudinis externae ſubſidium, tantis firmatum opibus, accedat. Omnino communis Gallorum Hiſpanorumque cauſſa nouum quoddam robur habet, cumque potentiorum ſit ea populorum, rem deliberandam, longa mora, extrahere poteſt. Sed, quoniam, aliorum quoque complurium negotiis, in congreſſione ſolemni agendis, auctoritas Principum non deeſt, ipſorumque Gallorum, et

Digitized by Google

Hiſpanorum, rationes ita ferunt, ut ipſi finem malorum, quae bellum comitantur, non poſſint non optare, ſpes ſubeſt, compoſitionem multorum opinione citiorem fore. Pace conciliata, et aliis minuitur animus audendi noua, et his, ſi quid audeant, obſiſtendi liberior facultas datur. Quantam tandem fundi Germanici, quantam totius Imperii, quantam Europae, diſſidiis incendendae, calamitatem minari uidetur cauſſa religionis, nuper ad Nicrum ſolicitatae. Sunt autem, qui, ea in re, non modo Ciſalpina, ſed etiam Romana, ſubodorentur turbandae Germaniae conſilia, quae Guelphos cum Gibellinis committant. Enimuero, nec nouae ſunt artes Romanae, quibus Germania in partes diſtrahitur, neque cuiquam ſunt ignotae Gallicae, quibus Pontificia libido Germaniae agitandae gliſcit. Sed nihil huius incognitum eſt Caeſari, a cuius aequitate ſumma, et prouidentia, in otio patriae per ius faſque tuendo, ſapientiſſima, quid tandem eſt, quod expectare non poſſis. Haec, et eiuſdem generis alia, in ciuili prudentum coniectura ponuntur, quae, cum, fluctuantibus uulgi opinionibus, in utramque partem iactantur, dubia et ſolicita rerum expectatione ſuſpendunt animos, uarieque affectos tenent. Eadem arcanis Regum

Prin-

Digitized by Google

Principumque iudiciis ponderantur, eadem ſermonibus gentium rumoribuſque percrebreſcunt. Sed earundem rerum cognitio quam diſparem ſaepe earum exiſtimationem, in diſpari hominum genere, efficere ſolet. Cordatiores ſimiliter non famam, qua res feruntur, ſequi ſolent, ſed uerum, et operae pretium conſiderant, quod, in exquirendo hoc uero, ad inſtruendam uitae prudentiam, fiat. Quantum autem eſt operae pretium, quod, in rebus memoriae noſtrae tali modo contemplandis, fieri poſſit, cum eae res tales omnino ſint, ut de earum, nouitate argumenti ac grauitate inſignium, copia potius, quam inopia, conquerendum ſit. Proinde ea, quae ipſa nouitatis gratia commendauerit, ſi, iudicio ciuili explorata, futuros rerum euentus praedicere uideantur, quis audire libentius ea nolit, quam obſoleta quaedam, atque a rebus noſtris aliena

At ſua tamen antiquis dignitas et conſtat, et conſtare debet. Neque enim noua, quae quidem alicuius momenti fuerint, ſine antiquis intelligi poſſunt. Antiqua uirtutum omnium, quas magnarum rerum adminiſtratio expoſcit, plena ſunt. Antiqua fontes habent omnis ſcientiae, artis, elegantiae, quantumque doctos faciunt,

Digitized by Google

tantum eoſdem decent. Doctos enim, oportet, plura melioraque ſcire, quam uulgus. Itaque, ut antiquis bene conueniat cum nouis, haec cum illis ſunt conferenda. Sic autem facere ſemper conſueui. Ac nuper quidem magnae mihi laetitiae fuit, ſummo Dei beneficio rem, grauibus antehac difficultatibus implicitam, eo deduci, uti Saxonia, pace feliciter in Septentrionibus compoſita, ex funeſto fatalique tot annorum bello tandem aliquando expediretur. Quod quidem concordiae, inter populos, quondam diſſidentes, reſtitutae, munus coeleſte, nemo noſtrum eſt, amans patriae, quin tanta ueneretur animi religione, ut, ea de re, maximas Deo gratias, putet, agendas atque habendas. Sed ego, cum de praeſenti Saxoniae uniuerſae ſtatu aliquanto diligentius cogitarem, ſenſim, ut fit, in memoriam ueteris Saxoniae reductus ſum, et, noua Saxonum decora cum ueteribus conferens, quanta nominis Saxonici dignitas ſit, quam antiqua eius gloria, multa cum animi uoluptate animaduerti

Haec, quae mecum in eam ſententiam commentatus ſim, in hoc frequenti hominum literatiſſimorum conuentu, breuiter exponi, liceat, Audi-

Digitized by Google

Auditores. Dicam igitur, ueſtra fretus aequitate ac beneuolentia, De Priſca Saxonum Maieſtate, domi foriſque clariſſima, quantum et antiquitatis, literis proditae, commemoratio ſuppeditabit, et uires meae ferent. Pium enim eſt, minime pati, ut gentis Saxonicae, tot ſtirpium, ac propaginum, uberrimo prouentu, in pluribus Germaniae regionibus, amplificatae, gloria, uel uetuſtate, uel obtrectatorum iniquitate, obſoleſcat. Iucundum, cognoſcere res, quae fontem amplitudinis aperiant, per Saxones toti Germaniae, nouo quodam paeſtantis honoris incremento, conciliatae. Vtile, in domeſticis ea ſpectare factis atque admirari, quibus, ad rem praeclare gerendam, homines accendi poſſint. Poſtremo cum perſona hiſtorici regii, quam iuſſus ſum gerere, coniunctum, ex incorruptis monimentis eruere, quibus hiſtoria potiſſimum Saxonica illuſtretur

Late patet Maieſtatis appellatio, Auditores, per notiones plures, complicataſque, ſparſa. Atque etiam uox haec ui quadam ſingulari praedita eſt, cum una ſit de eis Latii uocibus, quarum uim ſententiamque nullum uniuerſae Graeciae uocabulum, omni ex parte, expreſ-

Digitized by Google

expreſſerit. Duplex tamen maieſtas, celebriore ueteris aetatis uſu, reperitur. Vna eſt imperii, altera uirtutis. Maieſtas imperii ſummo reipublicae faſtigio ſtat, et aliter ſumma rerum, ſumma reipublicae, ius poteſtaſque cuncta regendi, uocatur. Maieſtas uirtutis eſt honos quidam eximius, eos maiorem colens in modum, quorum animi praeſtantia, reſque geſtae, ſunt admirationi. Ego uero, de Maieſtate Saxonica cum dico, utramque Saxonibus antiquis maieſtatem attribuendam, duco. Ac maieſtas quidem imperii fecerit eis poteſtatem, res magnas ſuſcipiendi, uirtus autem, in altitudine animi potiſſimum ſita, dederit eiſdem facultatem, res ſuſceptas, cum magna nominis gloria, peragendi. Sed horum Saxonum maieſtatem domi foriſque clariſſimam praedico, ut bellicae uirtutis excellentiam, ab ipſis tamen artibus togae haud nudam, declarem, quae pari ſtudio anniti conſueuerit ad imperium, tum in patria tuendum, tum ad exteros proferendum. Haec talis Saxonum maieſtas, omni rerum ſtatu, tranquillo turbidoque, domi militiaeque, mirabilis, ad animum occurrit, ac nobis ante oculos obuerſatur, ſiue Saxoniam liberam, ſiue Francorum ſociam, ſiue Regno Germanorum Imperioque praepoſitam, cogitemus Ordi-

Digitized by Google

Ordiamur a Saxonia libera, quae dignitatem certe maiorem obtinet, quam multi rentur, antiquitatis ignari. Haec Cherſoneſi Cimbricae partem, ut falſo plures arbitrantur, non obtinet, ſed in eius Cherſoneſi ceruicibus ſita eſt. Sic enim Ptolemaeus, qui Saxones primus nominat, fines gentium diuerſarum regit, ut ſedibus antiquis Saxones a Cimbris diſcernat. Saxones peninſulae Cimbricae ceruicibus, trans Albim flumen, imponit. In ipſius autem peninſulae huius aditu conſtituit Sigulones, tum Sabalingios collocat, deinde Cobandos ponit, ſupra hos ſtatuit Chalos, ſuperiore iam loco, ad occaſum Solis Phunduſios magis inclinat, magis ad orientem Solem Charudes flectit, Septentrionibus denique proximos dat Cimbros. Hoc igitur auctore, quo potiorem non habemus, certiores ſimus, ultimae memoriae Saxoniam Cherſoneſi Cimbricae ceruicibus, Albi flumine, Oceano Germanico, contineri. Ptolemaeus idem tres inſulas, iuxta Albim flumen, Saxonibus attribuit, eaſque, oſtendit, Saxonicas dici, ut, eaſdem, intelligere poſſis, perueteris iam aetatis fama populis externis cognitas fuiſſe. Marcianus Heracleota, Ptolemaeum ſecutus, ad oſtia Albis fl. inſulas Saxonum collocat, quae magnam rebus gerendis materiam foris praebuerunt. Ha-

Digitized by Google

ctenus de priſcis Saxonum ſedibus, quas multi, uel regionum, uel temporum, negligentia, confundere ſolent. At uero Saxonum Aborigines, uel abundantia uirium, uel cupiditate bellandi, de finibus ſuis exeunt, Albique traiecto, primum uſque ad Amiſium flumen progreſſi, res ſuas imperio conſtituunt, tum, opibus ac fortunis amplificati, inter Viſurgim Rhenumque conſidunt, ac latiſſime dominantur. Ea res nihil dubitationis habet, ſi tempora Iuliani, adhuc Caeſaris, reminiſcamur, eaque conſideremus, quae Zoſimus, in tertio, copioſe tradit. Nec uero Saxones, qui primas trans Albim ſedes habuerunt, tam quieti fuerunt, quin, poſterioribus quoque temporibus Cherſoneſum Cimbricam ingreſſi, Iutas ſub poteſtatem redigerent, cum eiſque, et Anglis, in Britanniam profecti, nouum ſibi regnum conderent. Hinc Saxonia Tranſmarina, quam Bonifacius dixit, ut eam a Ciſmarina diſtingueret, unde colonia Saxonum in externum longinquumque ſolum deducta eſt, ut dicemus

Haec dum geruntur, quantum Saxonia priſca libertatis, tantum, in fruenda atque tutanda libertate, maieſtatis, obtinet, maiori ſane

ne

Digitized by Google

ne ſpiritu uiget, quam multi ſcriptores noui capere poſſint. Neque enim Reges ullos habet, quanquam multos huius populi Reges credulis hiſtoricorum uulgus fingit, atque etiam pingit. At Saxonia haec plurimos habet Satrapas, genti ſuae praepoſitos, ut Beda, auctor antiqua fide plenus, et ipſe Angloſaxo, ſcribit. Plurimos hic Satrapas commemorat, qui Saxonibus praeſint, eorumque ſortes, docet, cum arma capienda ſint, coniici, et, quemcunque ſors oſtenderit, hunc omnes in bello ducem ſequi, huius imperio parere. Ex quo apparet, magnam Saxonibus eorum fuiſſe copiam, quibus ſingulis belli totius ſumma recte daretur, cum plurimos habuerint illi Satrapas, uirtute tam praeſtantes, uti, quis ex his unus bello praeficiendus eſſet, ſolo ſortium caſu diiudicandum, arbitrarentur. Quod ſi tot uiri, ea praediti uirtute, quae integrum regeret exercitum, in Saxonibus reperiebantur, quanto minus difficile ſit, coniectura de cetera militum laude iudicare, eamque haud mediocrem exiſtimare. Sed, bello confecto, teſtatur idem Beda, morem gentis ferre, ut, qui bello praefuerit, imperium deponat, et omnes Satrapae, ad prioris fortunae modum redacti, aequalis potentiae, quam a populo habuerunt,

Digitized by Google

denuo fiant. Ea re demonſtrat, in republica Saxonum populari libertatem pace belloque integram manſiſſe, et, quod gloriae bello rebuſque geſtis partum fuerit, dignitati acceſſiſſe populi Saxonici, a quo bellici duces acceperint imperium militare, ut auctoritate ceteros antecedere potuerint, et prudentia ſua, militum uirtute, res magnas adminiſtrare. Haud audiendus igitur eſt Suffridus Petrus, qui, ſe alioſque fruſtrans, Tabulas edit, quarum fides iam pridem concidit, dominos comminiſcitur, quorum nihil priſca Saxonia nouit, ius, hereditate relictum, proceribus affingit, cui nulla monimenta praeſidio ſunt, aliaque plura, multa cum uanitate ac licentia, profert. Sed hominis audaciam libidinemque cum alii repreſſerunt, tum Vbbo Emmius, qui, confutata noui commenti opinione, ueterem Saxoniae ſtatum reddidit, qualem uetuſta ſcriptorum teſtimonia deſcribunt, et fide incorrupta fundant. Nam Saxones antiquae libertati ſtudent, eiuſque ius exercent in communi gentis ſuae conuentu, quem agere quotannis ſolent. Hic leges ferunt, controuerſias minuunt, et, quid domi militiaeque ſit opus, communi nationis conſilio decernunt. Auctoritatem ſuadendi Principibus tribuunt, nullam iuben-

Digitized by Google

iubendi, nisi eis in magistratibus, quos illis ipsi dederunt, et quos ab eisdem recipere possunt, ut eos aliis mandent. His rebus fit, ut ii, iuris, per manus traditi, retinentes, a dominatu domestico refugiant, nedum patiantur externum, cum, ab se leges dari, quam accipi, malint. Qua quidem in re communem Germaniae consuetudinem sequuntur, ita solitae proceres suos, claros praesertim, honorare, uti nihil ipsa de libertate gentis ac dignitate deperderet. Neque tamen ordines suos non retinent Saxones, eosque sic tripartito constituunt, ut uni sint nobiles, quos lingua sua Edlingos dixerunt, alii, ingenui, quos Frilingos nominarunt, tertii, seruilis conditionis, quos, Litos atque Lazzos. Hos Nithardus, et alii, recensent, et ipse Carolus M. eos hoc genere triplici distinguit, ubi de partibus Saxoniae decernit. Eginhardus, quem laudat Adamus Bremensis, quatuor gentis Saxonicae genera ponit, nobiles, liberos, libertos, atque seruos, quadripartito separatimque appellans. His autem hominibus, loci fortunaeque dissimilis, leges, addit, hoc praescribere, uti nobilis nobilem ducat uxorem, liber liberam, libertus uero libertae, seruus ancillae, coniungatur. Contra qui fecerit, ducta coniuge potioris generis, ei

Digitized by Google

poenam capitis dictam. Magna poſtero tempore rerum commutatio facta eſt, propterea, quod omnis Saxonia, quae citra et ultra Viſurgim uſque ad Rhenum pertinet, tres in partes diuiditur; ut Vitichindus, praecipuus annalium Saxonicorum conditor, memoriae prodidit. Vna pars, quae ſpectat in Orientem Solem, Oſtphalia dicta eſt, alia, quae uergit in occaſum, Veſtphalia, tertia denique Angaria, quae fuit inter utramque interiecta. Tribus his Saxoniae partibus tres Principes, ut ait Vitichindus, praeſunt, atque hi in pace, in certis definitiſque terminis exercitus congregandi, poteſtate contenti ſunt, ſed, ubi bellum totius gentis ſuſcipiendum eſt, eo trium populorum cenſentur honore, ut ex eis eligatur ſorte, cui dicto ſint audientes omnes, ad bellum feliciter adminiſtrandum. Itaque nobilitatis habetur quidem ratio, uti generis ſplendore praeſtantioribus domi reſpublica, foris rerum ſumma, tradatur, ſed hi et populis, in quibus uerſabantur, erant obnoxii, quibus ex populis ſinguli ſuos ſibi duces legebant, et belli exitu terminabant imperium, quod tenuerant, tantum certe, ut facile pro Regibus ab exteris gentibus haberentur. Quo maior ergo gentis Saxonicae poteſtas erat, ſingulis eius nationibus ſeruata,

Digitized by Google

ta, eo amplior iudicanda est dignitas ipsius gentis huius Saxonicae, quae tot habebat ac tanta togae ac militiae decora, quibus urbanos bellicosque magistratus ipsa, concilii sui auctoritate ac sententia, daret.

Ac gentis quidem Saxonicae magna fuit, multis in rebus, praestantia, de qua etsi ex praeclare factis existimare possis, eam tamen ne testimoniis uetustis atque incorruptis plenius, ut uelis, doceas, partim scriptorum domesticorum penuria impedit, partim odium Romanorum, ut hostium, partim ipsorum inuidia Germanorum, ut aemulorum. Romani certe, ipsique Graeci, qui sua magnifice uenditant, res Saxonum gestas, ut barbarorum, nescio quorum, et tenuiter exponunt, et odiose. Produnt igitur, ut fit in narratione maledica, animi uitium, ac faciunt, ut prudentiores istis saepe contraria suspicentur, quae ab eis tam criminose aspereque dicuntur. Hoc idem quidni sentias ipsis de scriptoribus Germanicis, ubi in eis manifestam animi impotentiam cognoscas. Huius rei cogitatione suscepta, quid Saxonibus aliud tribuas, quam gloriae et potentiae cupiditatem, hi cum dicuntur inquieti animi, et finitimorum sedibus infesti,

Digitized by Google

infesti, fuisse. Quid item Saxonibus aliud des, nisi prudentiam reipublicae, concordia ciuili, mutua caritate, communi aequitate, magno utilitatis publicae studio, regundae, conseruandae, augendae, cum iidem, domi inter se iuncti, et ciuium utilitatibus placida benignitate consulentes, appellantur. Vtrumque de iis Eginhardus, scriptor Francus, praedicat, utrumque, ab eo sumptum, recitat Adamus Bremensis. Horreas nomen Saxonicum, si, Saxonem, accipias, a Sidonio Apollinari, esse hostem omni hoste truculentiorem. Sed, ab eodem Sidonio, cum audias, Saxonem in Gallia hostem nominari animo Romano, quantam tandem uirtutem Saxonis huius agnoscas, qui Romanos in eorum finibus ita contuderit, ut nihil, eo, formidolosius putent. Hac penitus mente Saxonem uirtute terribilem dicit Paullus Orosius, crudelitate efferum, Saluianus. Quid uigilantiae desideres in eo, qui hostes improuisus aggrediatur, quid in eo consilii, qui prouisus elabatur, quid animi in eo, qui spernat obiectos, quid in eo roboris, qui sternat incautos, quid in eo celeritatis, qui, si sequatur, intercipiat, quid in eo artis, solertiae, uelocitatis, qui, si fugiat, euadat. Haec autem de Saxone ueteri idem, cuius modo mentionem feci,

Digitized by Google

feci, Sidonius pronuntiauit. Quid domi, nedum militiae, rarius arbitrere, quam caſtitatem, in gente praeſertim bellicoſa, caſtris aſſueta, latius diuagante. Tanto praeclarius eſt, Saxones, ueri Dei adhuc ignaros, a Saluiano, antiſtite Chriſtiano, feros quidem illos, ſed caſtitate mirandos, dici. Vt autem demireris id, quod in caſtimoniae Saxonicae ſtudio admiratus eſt Saluianus, accipe, quod Bonifacius, praeſul Moguntinus, ad Ethelbaldum, regem Merciorum, ſcribit. In antiqua, inquit, Saxonia, ſi uirgo in paterna domo, uel maritata ſub coniuge, fuerit adulterata, manu propria ſtrangulatam, cremant, et ſupra foſſam ſepultae corruptorem ſuſpendunt, aut, cingulo tenus ueſtibus abſciſſis, flagellant eam caſtae matronae, et cultellis pungunt, et de uilla in uillam miſſae accurrunt nouae flagellatrices, donec interimant. Haec Bonifacius, apud Malmeſburienſem, uerbis ſuis, ne quis dubitare poſſit. Grauis ſane, in Germania ueteri, poena publicatae pudicitiae, Acciſis crinibus, nudatam, per omnem uicum uerbere agi, ut Tacitus ait, quod item Lege Langobardica ſancitur. Sed longe grauior, in hoc crimen, animaduerſio Saxonum, qua Bonifacius Chriſtianis probrum libidinis obiectat

Digitized by Google

Omnino plures, maioreſque, Saxonum uirtutes fuerunt, quam literis mandatae ſunt a Romanis, quibus tamen plurimum negotii cum Saxonibus fuit. Virtus autem bellica Saxonibus, ut ea clari fierent, curae fuit in primis. Erat enim gentis huius indoles auida belli, erat belli ſtudium huic genti propoſitum, quo rationes eius cunctae referrentur. Sic reſpondebant Saxones ingenio cetero Germanorum, apud quos protinus puer tenerum haſtile uibraret, ut Seneca ait, quique ſolerent intra annos quatuordecim tecta non ſubire, ut Iulii Caeſaris milites ex Gallis audiunt, eaque re obſtupefiunt. Pari modo neceſſe fuit Saxonibus, poſt annum unum atque duodecimum in militiam proficiſci, ut Luitprandus ſcribit, eiſque, in longam bellandi conſuetudinem adductis, nihil iucundius eſt, quam in caſtris uerſari, acie decernere, inter arma, ad quae nati ſunt, uiuere ac mori, ut res ipſa declarat. Hoc patrum diſciplina exemploque docentur, hoc inter contubernales imitari, ſuaue glorioſumque ducunt, qui quidem didicerint, a paruulis labori ac duritiae ſtudere, uocare hoſtes, et uulnera non modo contemnere, ſed etiam mereri. Hoc animo Saxones pro Magnentio, ad Murſam in Pannonia, dimicant, ut, ſi

uincan-

Digitized by Google

uincantur, desperato iam reditu, aut superiores discedant, aut, hostibus damno affectis, emoriantur, sicut ipse Iulianus ad Constantium uerba facit

Antiquissimi autem Saxones piraticae plurimum se dabant, ad eam inuitati opportunitate locorum, quos, in Oceani litoribus ac paludibus, incolebant. Quot Saxonum remiges uideris, inquit Sidonius Apollinaris, totidem te cernere, putes, archipiratas. Ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt, latrocinari. Haec Sidonius. Eam uero rem Saxonum piraticam, uideo, apud multos, e doctioribus etiam, tanta flagrare infamia, ut, quoties recordentur eius rei, in, nescio qua, praedonum latronumque turba uersari sibi uideantur. At uero hi a Corn. Nepote, prudentissimo scriptore, admoneri poterant, non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari. Tali modo ars, terra marique praedandi, uetustissimis Graeciae moribus, non modo liberalis fuit, sed etiam heroa, ut indicio sunt heroes Homerici, quorum dictis factisque planum fit, ipsum nomen praedonum atque latronum in libertatis ac fortitudinis opinionem ueniisse. Ita-

Digitized by Google

que Euſtathius, explanator Homeri, quod mireris in antiſtite Theſſalonicenſi, copioſus atque perdoctus, piraticam facere, docet, ueteribus in artis loco poſitum, ac nulli omnino neque probro, neque dedecori, fuiſſe, ut Thucydidi quoque uiſum ſit, ac ne inglorium quidem exiſtimatum quondam, praedari. Huius artis praedatoriae, Euſtathius idem probat, neque Achillem olim puduiſſe, neque heroas alios, quorum nemo cenſuerit, has latrocinii exercitationes ulla turpitudinis nota inuri. Eiuſdem quoque praedationis duces legi ſolebant, haud ignobiles, haud infirmi, ut ait Thucydides, qui non ſolum ſuis quaeſtum facerent, ſed egeſtatem etiam inopum ſubleuarent, uictu peregre quaeſito. Hoc uitae genus, ut idem narrat, Graecis antiquitus cum barbaris commune fuit, qui, cum eam nauigandi facultatem adepti eſſent, ut inter ſe negotiari poſſent, ad rem, latrocinio faciendam, ſe darent, ſiue adiacerent mare, ſiue inſulas tenerent. Neque enim turpitudini fuit, latrocinari, ut Graecus Thucydidis enarrator hoc loco notat. Quin etiam Thucydides ipſe commemorat, ſua adhuc aetate non nullis, qui continentis terrae poſſeſſiones habuerint, fuiſſe decori, egregie latrocinia exercere. apud populos quo-

Digitized by Google

que interioris Graeciae morem tuliſſe, ut alii ex aliis praedas caperent, idque et olim, et ſua adhuc tempeſtate. hoc ritu priſco multos Graeciae populos uti, Locros, Aetolos, Acarnanes, alios eius terrae gentes, quibus etiam, ex antiquo latrocinandi uſu conſuetudo ferri geſtandi manſerit. Eandem praedandi artem gentes aliae, quae in Septentrionibus poſitae ſunt, magnis animis, multo ſtudio, multa rei maritimae ſcientia, cum multa fortitudinis opinione, factitarunt, maxime Dani. Nam Reges ipſi, eorumque liberi, fortunas rapinis publicis amplificare, nullo metu ullius maculae, conſuerunt. Hoc piraticae inſtitutum numerarunt in artibus regiis, huic etiam et alia praeſidia compararunt, et athletas nobilioreſque homines delegerunt, qui firmitate corporis ac uirtute aliis antecellerent. Atque haec res, tanti habita, ut rectius adminiſtraretur, ad eam certas addiderunt definitaſque leges, quas Olaus Vormius exponit. Vt autem uita piratica formam modumque artis ſuſceperat, ſic ei peropus erat, ad artem ſuam, nauali militarique ſcientia, et multa exercitatione in utraque. Huic igitur arti ſolebant accommodari nauigia piratarum propria, quae myoparones dicebantur, et multum celeritatis, multum agilitatis, habe-

Digitized by Google

bant, siue procurrerent, siue uerterentur omnes in partes

His gentium complurium exemplis pirati-ca ueterum Saxonum tueri se poterat, si standum exemplis esset. Saxones autem tanta rei naualis peritia dicebantur uti, ut eos naufragia non ter-reant, sed exerceant, eisque cum maris periculis non solum notitia, sed etiam familiaritas, inter-cedat. Hoc Sidonius Apollinaris tradit, et idem, atque Isidorus, Saxones, ostendunt, uti consuef-se nauiculis uimineis, corio circumsutis bubulo, quae piraticae magno fuerint usui. Nauibus his longis longe lateque excurrebant, in Galli-am potissimum, cuius oram maritimam, in Belgi-ca et Lugdunensi, Aquitania etiam, infestam ha-bere solebant. Itaque magno erat metui Pro-cella eruptionis Saxonicae, quam dicit Ammia-nus Marcellinus. Hinc Litus Saxonicum, in No-titia Imperii, ita designatur. Tribunus cohor-tis primae nouae Armoricae, Grannona in Lito-re Saxonico. Hic Tribunus parebat Duci tra-ctus Armoricani et Neruicani. Grannonae ui-tam degebat in Litore Saxonico, quo crebrae Saxonum incursiones fiebant. Huic enim orae maritimae, aduersus Saxonum impetus, custos appo-

Digitized by Google

appositus erat. Grannona autem, tractus Armorici, uiris doctis quaerenda uidetur in hodierno Britanniae minoris castro, Garande, siue Guerande, dicunt, inter ostia Ligeris et Vicinoniae, fluuiorum. Aliud erat Litus Saxonicum, sub dispositione Ducis Belgicae Secundae, ut loquitur eadem Notitia Imperii. Erant hic Equites Dalmatae, Marcis, in Litore Saxonico. Marcos autem, hodie Merq, Hadrianus Valesius ponit inter Calesium et Grauenengas. Aliud est Litus, idemque longius distans, atque transmarinum, quod in Britannis Notitia Dignitatum Imperii Romani ostendit. Comes Litoris Saxonici per Britanniam. Litoris, inquam. Pari modo in Notitia Imperii, Comes Litoris Saxonici per Britanniam. Sic prius scribitur, ab aliis deinde, Limitis. Hic Comes id laborabat, ut praesidio esset huic Britanniae parti, cui Saxones imminere, quo incurrere, solebant, uti, copiis repentino expositis, quae possent, diriperent atque uastarent. Cum Britannia Galliae sic obiecta sit, ut, breuiore utrinque transmissu, ultro citroque commeari possit, duo haec litora, quae sita essent e regione, aduersus Saxonum naues, eo appulsas, operibus idoneis obsepiebantur, custodiis ita dispositis, ut facilius hostium iniuria continens utra-

que

Digitized by Google

que prohiberi poſſet. Vtrumque uero Litus, et in Britannia, et in Gallia, habet praefectos plurium generum, milites praeſidiarios, munitiones operoſas, claſſes quoque. Quod ſignum eſt, Saxones non exigua manu, neque rarius, huc aduectos fuiſſe, et magnam omnino uim, magnumque terrorem, regionibus illis intuliſſe. Petro Danieli Huetio, uiro praeſtantis ingenii ac doctrinae, Litus Saxonicum in hodierna Normannia reponendum uidetur. Tractum enim illum, qui iacet inter Ornam, et Diuam, fluuios, Saxoniam, coniicit, quondam uocitari, atque hunc eundem fuiſſe pagum illum, qui, in Tabulis Caroli Calui Otlingua Saxonica nominetur. Plura quoque ueſtigia reperit Saxonicae incurſionis, et habitationis, in diuerſis Galliae maritimae, quae ſpectet in ſeptentrionem, locis, eoſque locos, docet, nominibus adhuc Saxonicis appellari. Quanquam haec erudite, ut ſolet, diſſerit, ea tamen, quae de Normannico Saxonici Litoris ambitu uiro doctiſſimo in opinionem ueniunt, anguſtiora, eruptionibus atque percurſationibus Saxonicis, latiſſime factis, uideri poſſent. Conſtat porro, Saxones, iam Diocletiani temporibus, mare tam infeſtum reddidiſſe, ut Carauſio negotium ſit datum, apud Bononiam, per

Digitized by Google

per tractum Belgicae, et Armoricae, mare pacandi, ut Eutropius tradit. Hi uero tractus duo ſunt ipſimet illi, quibus Imperii Notitia Litus Saxonicum aſſignat, idemque praeſidiis munit. Si Carauſio mare, aduerſus Saxones, pacandum fuit, ut loquitur Eutropius, quid tandem pacis atque tranquillitatis his in oris conſtitui potuit aduerſus hoſtes, tam potentes, tam ſubitos, tam fortes, niſi regiones eaedem uallo foſſaque, militari robore, propinquo denique claſſis inſtructae ſubſidio, defenderentur. Poſtea Saxones, longe lateque mari praedatum exeuntes, ingenti terrore oras, in Gallia Britanniaque, complerunt. Saeculo autem quinto, medio fere, ſubſidio iam Britanniae uenerant, atque in eius deinceps poſſeſſione iam firmati ſunt, adeo, ut hoc iam tempore nimis ſerum fuerit, litoris, ac limitis, Saxonici munimenta Britannis dare. Regnantibus etiam, eodem Saeculo, in Aquitania Veſegothis, et creſcentibus magis magiſque in Gallia Francis, Saxones minus liberam habent praedandi facultatem. Itaque, uel Romanorum bellis, aut ciuilibus, aut externis, ſocietate ſe iungunt, uel de expeditione Italica cogitant, quam, Saeculo ſexto, primum cum Francis, cum Langobardis poſtea,

Digitized by Google

ſuſcipiunt. Quibus rebus, ne plura, fit, ut non exitus demum Saeculi quinti, ſicut uiro praeſtantiſſimo placet, ſed aetas multo ſuperior, nomen Saxonico Litori dediſſe uideatur. Litus autem Britanniae Saxonicum Guilielmus Camdenus refert ad oram Cantii maritimam, ſed, quod huic obiectum eſt, Litus Galliae Saxonicum a Rheno ad Santones producit. Idem, ex Gallis ipſis, confirmat Io. Sauaro ad Sidonium Apollinarem, eumque, docet, Galliae tractum, qui pateat a Santonibus uſque ad oſtia Rheni, ueteri memoria, dici Litus Saxonicum, a ſubito frequentique incurſu, quo Saxones, populabundi, in has ſeſe regiones infuderint. Hoc in litore tractus Armoricani, et prouinciae Belgicae II, Romani, ut ſupra dictum eſt, praeſidia, et praefecturas militum, habuerunt, Grannonae, Blauiae, ſiue, ut Hadrianus Valeſius emendat, Blabitae, Marcis, ut Notitia Imperii docet. Habuere ſimul caſtra nautica, in quibus cum Nammatius uerſetur, a Saxonibus ei grauiter metuit Sidonius Apollinaris, contra quos in litoribus Oceani, inter officia nunc nautae, nunc militis, inerrandum ſit. Ea re ſignificat, quantum difficultatis ac periculi attulerint excubiae, contra Saxones agendae, quantum terroris

Digitized by Google

roris ipſi Saxones, ſcientia potentiaque ſua nauali. Saxones igitur, libertatis auitae retinentes, nulli cedunt externae dominationi, quamlibet potenti, nulli tempeſtatum fluctuumque terrori, eaque re et maieſtatis auitae, quae inter ancipitia ſemper altius eminuit, ſtudium declarant, et maiorum gloriam amplificant, laboribus, difficultatibus, periculiſque, contemptis

Nec uero minus terra ualebant Saxones, quam mari, et utraque militia illuſtrabantur, ut res eorum geſtae docent. Magnitudo Romani nominis gentes alias adeo terruit, ut illae nulla re magis, quam Romanorum amicitia, confiderent, nulla magis florere, ſibi uiderentur. Saxones autem de Romanis non modo nihil timent, ſed eos etiam, principatu Diocletiani, ut ſupra ſignificauimus, adoriuntur, in prouincias eorum, una cum Francis, effuſi, ut Eutropius tradit, per tractum Belgicae et Armoricae, quae ciuitates, in ultimis Galliae finibus poſitas habet, Oceano coniuncta. Ita longe lateque uaſtitatem eis antiquae Galliae regionibus inferunt, quas Batani, Brabanti, Flandri, Normanni, Britanni minores, nunc tenent. His

Digitized by Google

opponitur Carauſius, militari gloria clarus, quem Diocletianus praeficit claſſi, apud Bononiam aedificandae, et mari Belgico atque Armorico, ut caſtris nauticis Francorum Saxonumque rapinas ac uaſtationes auertat. Sed, quod Maximiano Herculeo, Caeſari, in ſuſpicionem adducitur, tanquam conſentiens cum hoſtibus, ab eo iuſſus interfici, foedere Saxonibus iungitur, et, claſſe in Britannias tranſportata, eas occupat, atque imperii inſignia ſumit. Magnentius, Germanicae originis, ſed literis Latinis excultus, cum, interempto Conſtante, Auguſtoduni in Gallia Celtica, imperii potitus, omni ratione bellum comparat, ſociorum promptiſſimos habet Francos ac Saxones, qui ultra Rhenum, atque Occidentis mare, incolunt, nationes omnium bellicoſiſſimas, ut Iulianus eas appellat. Vincitur quidem Magnentius a Conſtantio, ſed hoc ipſi Iuliano in primis admirabile uidetur, Germanos, eius ſocios, hoſtibus, quod ante id tempus nemini non incredibile fuerit, terga uertiſſe. Eo autem proelio, quod ad Murſam commiſſum eſt, tam ingentes, Eutropius ſcribit, imperii uires eſſe conſumptas, ut eae ad quaelibet bella externa idoneae fuerint, quae multum potuerint triumphorum atque ſecuritatis conferre.

Digitized by Google

ferre. Ex quo apparet, cum Franci atque Saxones praecipuum robur exercitus Magnentiani fuerint, eorum maxime uirtutem in ea contentione acerrima ſpectatam fuiſſe. Conſtantio imperatore, ut Iulianus et Libanius referunt, Germani quinque et quadraginta ciuitates in Gallia capiunt, diripiunt, exſcindunt, multa ſimul caſtella, omnem ripam Rheni Gallicam, agros uſque ad trecenteſimum ſtadium a flumine, tenent, et regionem ſibi proximam, per nongenta ſtadia, deuaſtant. Hoc fieri, narrat Zoſimus, non ſolum a Francis et Alamannis, ſed etiam a Saxonibus, idemque minus eſt mirandum. Hi enim, florentibus adhuc opibus Romanorum, adeo nihil ab iis ſibi timent, ut eorum fines multis incurſionibus uexent, agros eorum fortunis exhauriant, et ubique multum calamitatis importent. Tantum abeſt, ut, limite imperii Romani praeſidiis iam nudato, ab ea ſibi praeda Saxones temperent, quam ex agris Romanis agere conſueſſent. Iulianus, a Conſtantio Caeſar creatus, Alamannis in Tribocis ingenti proelio uictis, uniuerſae bellum Germaniae infert. Rheno traiecto, magnam Germanorum multitudinem, pugna acerrime pugnata, proſternit, fugientes uſque ad ſaltus

Digitized by Google

Hercynios inſequitur, tantum in terrorem conii-cit hoſtes, ut de pace legatos ad eum mittant. Ceteris, iis in locis, adeo timore perterritis, ut ſua de ſalute deſperent, Saxones ſoli, quanquam haud longe abſunt, non modo tamen communem periculi metum negligunt, ſed, priſtina etiam uirtute excitati, nationis ſuae partem in ſolum Romanae ditionis emittunt. Quam Franci manum tranſitu prohibent, uerentes, ne cauſſam Caeſari dent adoriendi ſui. Hoc Zoſimus annotauit. Mirari ergo poſſis, Francos eo tum animo affectos fuiſſe, quos, a Iuliano, uideas, item ab Eutropio, ipſo Zoſimo, ab aliis quoque pluribus, Saxonibus ubique, Alamannis etiam plerumque, praeponi, a Libanio denique gentium barbararum, maiorum minorumque, plurimarum certe, caput dici. Datur hoc, quantum exiſtimare poſſis, uiribus gentis, datur gloriae bellicae, qua gens illa Romanis erat iamdiu cognita. At Francis tamen Romani iam metui ſunt, cum hi, recentes Alamannorum uictores, Germanis, qui trans Rhenum incolunt, ſeſe coram oſtendunt. Contra ea, Saxones uictoria Romanorum, quamlibet magna, nihil moratur, quo minus Romanos fines intrent, remque arbitratu ſuo gerant.

Nam

Digitized by Google

Nam, Rheno praeteruecti regionem, Francis parentem, in ſolum iuris Romani contendunt, et Salios inſula Batauorum, amnicarum maxima, expellunt, qui conſederant ibi, a Francis profecti, et ſuis e ſedibus a Saxonibus eiecti. Haec Zoſimus commemorat, et, quanquam Saxonibus non minus, quam cunctis Germanis, obtrectat, Saxones tamen horum, quos dicit, barbarorum et animis, et corporum uiribus, et laborum in proeliis tolerantia, fortiſſimos haberi, docet. Idem de Saxonibus praedicat Iulianus, ut ante dictum eſt. Quod quidem cum ab hoſtibus pronuntietur, quanta uirtus in Saxonibus fuerit perſpecta, quantumque uirtutis eius odio gentis tacitum fuerit, iudicari poteſt. Valentiniano primo rerum potito, Franci, horumque finibus proximi, Saxones, omnem Galliarum tractum, ut Ammianus memoriae prodidit, peruaſerunt, uicis atque opidis, quo terra marique potuerunt adire, direptis atque incenſis, caeſis quoque captiuis. Cum Valentinianus hic ipſe praeſidii ſatis in ſe non habet, ut Saxones, oram Galliae maritimam diripientes, reprimat, Theodoſium, Theodoſii M. patrem, aduerſus eos mittit. Hic, Saxones nauali proelio ſuperans, Saxonici cognomine

dignus

Digitized by Google

dignus iudicatur a Drepanio Pacato, ſi mos ille ſaeculi prioris adhuc uigeret, quo Romani duces a gentibus ſubactis nomina capiebant. Sed ea re, quae priuati hominis iudicio enuntiatur, Panegyriſtes oſtendit, quanti fuerit, mari Saxones uinci. Huius Theodoſii uirtutem extollit Drepanius Pacatus, cum Saxonem, conſumptum bellis naualibus, memorat. Sed Claudianus locum, ubi uirtus illa praeſtita fuerit, demonſtrat, cum Orcades nominat, quae Saxonum ſanguine fuerint imbutae. Saxones igitur ad extremum Britanniae ſeptentrionem euagantur, et diſiunctiſſimis populis *formidini* ſunt. Valentiniano Principe, Saxones denuo in Galliam irrumpunt, lembis piraticis eo peruecti, et oram maritimam populati, ſed in Romanorum inſidias incidunt, contram fidem, a Seuero, magiſtro peditum, datam, circumuenti, atque caeſi, ut ipſe tradit Ammianus Marcellinus. Has perſecuti iniurias, ſub Valentiniano in Galliam tertiam ſuſcipiunt expeditionem, pedeſtri itinere, quod eo facere, per Germaniam, magnis cum copiis, inſtituunt. Sed, Romanis ea re ſubito prodita, cladem in Francorum finibus accipiunt, circa Deuſonem, Valentiniani auſpiciis, oppreſſi, ut Hieronymus, Oro-

Digitized by Google

Oroſius, et Caſſiodorius, teſtantur. His, quos nominaui, ſcriptoribus inter ſe collatis, appareret, non unam, neque unius generis, ſub Valentiniano expeditionem Saxonum fuiſſe, ſed trinam, ut res loquitur, et ſcienter Hadrianus Valeſius, aduerſus Pontanum alioſque, animaduertit. Saxones autem, in Gallias infuſi, etſi perfidia Romanorum cadunt, his tamen uirtutis ſuae tantam praebent opinionem, ut Paullus Oroſius, ex eoque Paullus Diaconus, Saxonum gentem, dicant, uirtute terribilem, finibus Romanis periculoſam, fuiſſe. Cum Maximus in Britannis tyrannidem occupaſſet, ex eis omnem paene iuuentutis florem, ut Ado tradit, militareſque copias, in eam Galliae partem traiicit, quae deinceps ab his aduenis Britannia minor appellatur, idemque tantis confirmatur opibus, ut audeat, ſicut Hiſtoria Miſcella notat, ab immaniſſimis Germaniae populis tributa et ſtipendia exigere, ſolo nominis ſui terrore. Huic, magno trucique hoſti, quanquam Theodoſius, Imperator, pares haudquaquam uires habet, ei tamen, auxiliis Francorum Saxonumque firmatus, occurrit, eumque uincit in Sicilia, Siciae, et Petauione, in aliis denique locis terrarum, ut Ambroſius nona et uiceſima ad Theodoſium epiſtola narrat. Honorius habet, quod

ſibi metuat ab Radagaiſo, rege Gothorum, quem Oroſius omnium antiquorum, praeſentiumque, hoſtium longe immaniſſimum dicit. Hic cum hominum quadringentis millibus in Italiam tranſire parat, quo in numero cum fuerint, ut Zoſimus ait, Tranſrhenanae, et Germanicae, copiae, in eis Saxones etiam numerandos eſſe, hoc facilius credas, quod ab Aurelio Prudentio, horum temporum aequali, ſociis Gothorum gentibus Saxones etiam interponuntur. Sed hoſtem, tam formidoloſum, deuincit Stilico, ex Vandalis Germanus, in eoque, mirabiliter uicto, ſingularem Dei, indignationem ſuam manſuetudine temperantis, miſericordiam agnoſcit Auguſtinus, eamque, aliis uenerandam, proponit. Ille uero Stilico, ut hoc patriae noſtrae cauſſa interponam, fuit Germanus ex Vandalis, qui apud Honorium plurimum potuit, ut apud Arcadium Ruffinus, cum duo hi Imperatores ſocordes eſſent, atque a rebus gerendis auerſi. Codex quidem Iuſtinianus complures utriuſque huius Imperatoris Conſtitutiones exhibet. Sed Arcadius auctoritate Ruffini, Honorius Stiliconis, ita regebantur, ut duos hos adminiſtros non modo ſingulares principalium onerum adiutores in omnia haberent, ſed eis etiam rerum

Digitized by Google

rerum ſummam relinquerent adminiſtrandam. Ex quo iudicari poteſt, illarum, quae Arcadii atque Honorii nominibus inſcribuntur, Conſtitutionum ueros auctores ſi quaeramus, eas in Oriente a Ruffino, in Occidente a Stilicone, quamdiu fortuna horum paſſa ſit, conditas fuiſſe. Sed illuc reuertor. Quot tandem, cedo, pugnas, maxime cruentas, in omni bellorum memoria reperias, quae ſui magnitudine aequentur proelio, in campis Galliae Catalaunicis acerrime commiſſo ab Attila, aduerſus Valentinianum a Vandalis excito. Iornandi certe tam atrox uidetur hoc proelium, multiplex, immane, pertinax, ut ei ſimile nulla uſquam narret antiquitas, ubi talia geſta referantur, ut nihil eſſet, quod in uita ſua conſpicere potuerit egregius, qui huius miraculi priuaretur aſpectu. Haec Iornandes. Illud conſtat, uix maius commemorari proelium, quod ullis unquam ſaeculis conſertum ſit. In eo fortiſſimarum gentium certamine cadunt utrinque, ut ait Iornandes, CLXII millia, ut alii, CLXXX millia, exceptis XC millibus Gepidarum, et Francorum, qui ante hunc conflictum mutuis ſeſe uulneribus confoderunt. Proeliando uictor occumbit Theodericus, rex Gothorum, Attila, paene trucidatus, ex acie pro-

Digitized by Google

profugit, quem cum quingentis millibus armatis, ferunt, aduentaſſe. Hoc tempore tam periculoſo, Saxones, ut Iornandes ſcribit, una cum Francis, Burgundionibus, Sarmatis, et aliis, a Romanis, quorum dux eſt Aetius, ſtant, et fortiſſime dimicant, in medio agmine, ut quidam tradunt, iuxta Alanos conſtituti, impetumque hoſtium magnis animis excipientes. Valentiniano Imperatore ſublato, quicum dignitas imperii uidetur extingui, motus ingentes Germani cient, de quibus Francorum atque Alamannorum magnae in Gallias copiae influunt. Ex ipſis autem Gallis Armorici libertatem, nuper uindicatam, a Romanis tueri contendunt. Hoc ut felicius perficiant, Saxonum, ut Sidonius Apollinaris oſtendit, auxilio utendum ſibi, ducunt. Tantum gentis huius opinio ualet, ut, cuius repentinos infeſtoſque incurſus ante perhorruerant, in eius nunc ſubſidio praeſidioque ſpem ſalutis ſuae ponant. At Petronius Maximus, Imperator Romae ſalutatus, Auitum facit magiſtrum militum, cuius egregia uirtus laudatur. Eius enim metu dicuntur Saxones, Armoricum tractum depraedati, domum rediſſe. Sic Apollinaris Sidonius ſcribit, atque hoc ſaltem indicat, Saxones ad hoc tempus, in mari Britannico, tractuque Armorico, mul-

Digitized by Google

multum classe sua ualuisse. Rebus Francorum per Meroueum in Gallia constitutis, Adouacrius, quem Odoacrium Gregorius, Odouacrum, Saxonum Regem, Fredegarius, uocant, classe in Galliam delatus, et Ligeri flumine uectus, Iuliomagum, Andicauos uulgo dixerant, capit, strage in opido edita, a ciuibus, finitimisque ciuitatibus, obsides accipit, eaque sibi re fidem sancit. Childericus, Francorum rex, apud Aurelianos, ut scribit Aimoinus, cum Adouacrio decertat, atque eum, insecutus uictum, cum Iuliomagi Andicauorum non reperit, opidum ipsum oppugnat, eoque potitur. Saxones inde, proelio superati, multos de suis amittunt, illam quoque praedam, quam more suo coegerant, ac repositam habebant in Ligericis insulis, de quibus dicemus. Sed Childericus mox, Adouacrio, Saxonum duci, conciliatus, pacem cum eo foedusque iungit. Sic ambo sociis armis Alamannos, siue, ut alii malunt, Alanos, uastata Italiae, siue, ut aliis placet, Galliae parte, elatius se gerentes, petunt, eosque, repugnantes acriter, deuincunt. Haec Gregorius Turonensis, et Fredegarius, tradunt. Multa transeo, neque enim historiam scribo, quae Saxones aliis temporibus, aliis in locis, tam

Digitized by Google

praeclare gerunt, ut, quibus oriundi ſint maioribus, quanto gloriae ſtudio trahantur, quam nolint in obſcuro latere, conſiliis ſuis factiſque demonſtrent

Complures Saxonia colonias deduxit, quarum neque dum memoria eſt extincta, et uirtus hoc ſpectatior fuit, quod eae, intra terminos imperii Romani, nullo Romani nominis metu, conſtitutae ſunt. Saxones enim colonis occupant inſulas Galliae, quas diximus Ligericas nominari, ad flumen Ligerim ſitas. Has arcium munimentis firmauerant, ut, ſi quid durius accidiſſet, tutum haberent receptum, liberumque reperirent exitum in Oceanum, premente periculi metu. Simul eis, pro ſtationibus opportunis, uti ſolebant, in quibus hiberna collocauerant, ac muniuerant, ut eo ſpolia conueherent, in horreis condenda. Has Franci ſedes praedatorias, magna propugnantium clade facta, occupant atque euertunt. Refero, quod a Gregorio Turonenſi, ac Fredegario, accepi. Saxones Baiocaſſini ab eodem Gregorio memorantur, qui, nomine Imperatorum in partibus Occidentis iam obſolefacto, in finibus Baiocaſſium Gallicis, tractus Armoricani,

Digitized by Google

ni, ſedes ceperunt. Horum pagus a Carolo, Francorum rege, filio Ludouici Auguſti, Lingua Saxonica dicitur, in legibus, Siluaci ſanctis. Saxones hi, propter opinionem uirtutis, ab Regibus Franciae militiae ſolebant adhiberi, ex eiſque multi fuerunt in Chilperici exercitu, qui aduerſus Vuarocum, Britanniae minoris regulum, ducebatur. Vuarocus, cum Saxones Baiocaſſinos armis aggredi non auderet, eos dolo atque inſidiis circumuenire, ſtatuit, magnamque eorum partem noctu oppreſſit, ut Gregorius Turonicus notat. Hoc odio, narrant, in eos fieri Saxones, qui Britannis cunctis, cis et trans mare, fuerint inuiſi, propter illos maiores ſuos, qui Britannorum atauos patria expulerint, eamque occuparint. Multos de Saxonibus alios in agro Namnetico, eiuſdem regionis Armoricanae, conſediſſe, ex Venantio Fortunato intelligas, cuius in tertio Carminum, Felix Namneticus, antiſtes ſacrorum, Saxones humanitate morum, et religione Chriſtiana, dicitur imbuiſſe. Tranſiluani, qui, ad nos in ſtudia miſſi, uirtute atque doctrina expectationi patriae ſuae reſpondent, aegre tulerint, ſi quis eos Saxonibus ortos, infitias eat. Inuenti tamen ſunt, qui rei huic fidem derogent, in ueteribus monimen-

Digitized by Google

nimentis desideratam. Sunt idcirco, qui cum Laurentio Toppeltino, ipsis Transiluanis persuadere uelint, eos quidem uulgo Saxones dici, sed Gothicae stirpis esse. At his plures eiusdem gentis, cum Valentino Franco, reclamant, propugnantes pro honore originis suae Saxonicae, ortumque nationis suae Gothicum abnuentes. Hi, pro grauitate sua, repudiant contemnuntque fabulam Saxonum subterraneorum Hamelensem, quam Martinus Schoockius merito explodit. Fingitur enim pubes Saxonica, quae specum montis, ueneficio dehiscentis, ingrediatur, ac, postquam per fauces interioris terrae, nescio quas, longis occultisque itineribus deducta sit; ex mediterraneo tandem Daciae antro emergat, et conditores Transiluaniae Saxonicae det. Facessant nugae, ridicula aniculārum atque nutricularum oblectamenta, quibus, inter cunarum ludicra, pueriles aures permulceantur. Quaeramus seria. Antonius igitur Bonfinius Transiluanis stirpem Saxonicam assignat, sed, in colonia, quam Carolus M. in Daciam e Saxonia deduxerit. At huius opinionis errorem coarguit Nicolaus Isthuanfius, auctor longe locupletior, et, Saxones ab rege Geysa, Ladislai fratre, ex Pannoniis in Daciam transf-

Digitized by Google

transduci, docet, in eiusque rei fidem uetusta urbium ipsarum Diplomata commemorat, quae suppetant adhuc. Quas quidem Regum tabulas cum non uiderim, ex eis Saxonum horum in Daciam aduentum, ipso tempore atque caussa, definire, non ausim, eum tamen aduentum esse antiquum, et uirtutis, antiquis Hungariae Regibus probatae, iudicium ac testimonium habere, non possum ego non existimare. Non solum enim Geysam primum, Stephanumque sanctum, sed etiam Geysam secundum, Saxonibus multum tribuisse, satis constat. Tradit Albertus Krantzius, Ludouico III Imperatore turbis Italicis districto, Hunnos ex Germania, quam uastauerint, maxime Saxonia, magnam hominum multitudinem abripuisse, eamque suis in finibus, praesidii caussa, ad hostes arcendos, collocasse. Hos, ait, Saxones in eadem regione, quam septem arces uocitent, adhuc habitare, sua lingua ac moribus utentes, quibus parum commercii cum Hungaris intercedat. Quod si Saxones hos Hungari ferociſſimis populis, pro propugnaculo, opposuerunt, ut fines suos per eos tutarentur, magna certe Hungarorum opinio de Saxonum uirtute fuit. Ipsa autem uirtus, quam Saxo-

Digitized by Google

nes Hungariae praeſtiterunt, eo ſpectatior fuit, quo maioribus eam praemiis Hungarorum Reges affecerunt. Ea uero praeclare factorum praemia, quae Saxonibus maiores ſui tribuerint, Rex, Andreas ſecundus, agnoſcit, et iura, quae continentur eis, Diplomate ſuo confirmat. Saxones autem, in Tranſiluania ius ciuitatis adepti, ſeptem caſtra, hoc eſt, ſeptem urbes, tenent, in quibus, ad noſtram memoriam, Germanorum Saxonumque progenies manet. Has urbes, uel ipſi condunt, uel inueniunt iam conditas ante, quam Hungari aduentarent, qui ſuccedunt Hunnis, Dacia Pannoniàque ſummotis. Romanas earum ciuitatium antiquitates Vuolfgangus Lazius pluribus ueſtigiis indagat, ſed ipſas has ciuitates, multis in locis, noui originis Saxonicae coloni inſtaurant, amplificant, adiecto recens cultu, ornatiores reddunt. Nec uero linguae modo Germanicae, quam Saxoniae debent, uſum retinent, ſed etiam libertatis auitae honorem, et popularem reipublicae formam, qualem Germani Saxoneſque ueteres amplexi ſunt. Hanc, poſt tantas rerum uiciſſitudines, Auſtriacis auſpiciis regunt ac tuentur, eiuſdemque imperii clementia defenſi, placide ac tranquille uitam degunt, et

Digitized by Google

et multis, antiquiſque, immunitatum beneficiis, quibus ornati ſunt, iucunde perfruuntur. Hi denique ſunt illorum poſteri Saxonum, qui, aduerſus Turcos, duce Stephano Bathore, pugnaturi, cum exercitus Saxonibus, Valachis, et Hungaris, conſtat, primas pugnae partes, ut Bonfinius demonſtrat, ſibi dari, poſtulant, eamque rem impetrant. Ea uero animi praeſentia maioribus dignos ſe praebent, qui conſuerunt, ubi confligendum fuerit, in primis ſtare. Hunc ſibi in proelio locum ab Henrico, rege, poſcunt Saxones Nordalbingici, eumque obtinent, qui, lege quadam a patribus tradita, Ad bella procedentium primi eſſe uolunt, redeuntium nouiſſimi, ut apud Helmoldum loquuntur. Itaque Henricus, acie inſtructa, ipſe conſtituitur in fronte cum robuſtiſſimis Saxonum, ut idem Helmoldus ait. Atque haec quidem de Saxonibus Tranſiluanis hactenus.

Quot autem iam nobis, ac quantae, Saxonum offerrent ſeſe coloniae, ſi ueſtigiis eorum uellemus inſiſtere, qui magnis nos itineribus, per tot gentes nationeſque, circumducunt. Saxones enim, tot populorum, tamque potentium, uictores, aiunt, per omnem Cher-

Digitized by Google

ſoneſum Cimbricam, et, qua, ex ora Sinus Codani ac Venedici, in Orientem ſpectent, per omnes maris Sarmatici receſſus, uſque ad Tanaim fluuium, fines fere ſuos protuliſſe, idemque, praeter Albertum Krantzium, ipſa fere lingua Saxonica, quae per regiones illas longe lateque fuſa ſit, haud obſcure declarari. Addunt iidem, Saxonum ditionem, ex altera parte, per litora maris Germanici, ultra Friſiam et Batauiam, uſque ad ultimum Rheni oſtium, et Flandriae litora, patuiſſe. itaque totam Belgicam Saxoniae inferioris Ciſrhenanam partem fuiſſe, idemque Annalibus antiquis, Belgice ſcriptis, firmari. Alſatiam, adiiciunt, deprauate dici, quae Edelſaſſia olim nominata ſit, hoc eſt, Nobilis Saxonia. Haec, et alia generis eiuſdem, late, et multo ſtudio, diſputat Robertus Sheringhamus, Anglus, ut alios taceam. Sed iſta, de quibus inter auctores non conuenit, aliis relinquimus, opportuniore loco diſceptanda

Omnium autem coloniarum, quas mittunt Saxones, principem locum obtinet Britannia, quae ab Angloſaxonibus nomen Angliae cepit. Hadrianus Valeſius animum inducere non poteſt, ut credat, Britannos ab Saxonibus, hoſtibus

Digitized by Google

bus ſuis antiquis, ac pertinaciter infenſis, opem petere unquam potuiſſe. Perinde, quaſi aliquando neceſſitas nos eo detrudere non poſſit, ut, quos oderimus ante, quorumque uires experti ſimus, horum amicitiam cupide appetamus, aduerſus iſtos, a quibus iam nobis plus timendum, putemus. At uirum illum doctiſſimum Proſper Aquitanicus, Beda, alii ueteres, ex Anglis item nouis, horum facile princeps, Guilielmus Camdenus, refellunt. Proinde Saxones Anglorum hodiernorum parentes, atque conditores, omnino manent. Hi uero Angli in tanto illuſtriore ponendi ſunt gradu, quanto inſignioribus animi, corporis, fortunae, bonis excellunt, adiuncta in primis amplitudine rerum, magnifice geſtarum. Quorum quidem, tanquam in ſpecula excubantium, uirtus, prudentia, uigilantia, niſi ambitioſis aliarum gentium atque imperioſis ſic obſtitiſſet conſiliis, ut opum nimiarum potentiae, in regnandi cupidis non ferendae, in priſtinum aequabilis fortunae modum redigerentur, quid eſt, quod communi Europae libertati ſaepius extimeſcendum non fuiſſet. Quantum ergo uirtus antiquorum Saxonum in eis elucet, tantum antiqua Saxonum maieſtas in auitis eorum ſedibus

Digitized by Google

ſeſe extulit, quae, ultra mare prouecta, in magno Britanniae quaſi theatro ſpectari coepit. Britanni enim grauibus, ac perpetuis, Pictorum Scotorumque iniuriis atque bellis uexati, iuuentute ſua praeſidiiſque Romanis a Maximo, Conſtantinoque, tyrannis, qui Britannicum exercitum in Galliam traduxerant, nuper ſpoliati, a Romanis denique, qui pluribus externorum populorum bellis premuntur, deſerti, in praeſenti rerum omnium diſcrimine uerſantur. Itaque, neceſſitate coacti, Vortigerno rerum ſummam tradunt, qui Saxones aduocat, ut ſubſidio ueniant genti ſuae. Tum uero illi, Hengiſto et Horſa ducibus, aduolant, Pictos Scotoſque repellunt, fines ab iniuria hoſtium prohibent, ſedibus datis, ac ſtipendiis, ſibi promiſſis, contenti ſunt. Poſtea Britannos, quod fidem, ſtipendio fraudando, non ſeruaſſent, inſimulantes, foedus pacti cum Pictis, arma in eos conuertunt, inſulam ſubigunt, in eaque ſeptem ſibi regna condunt. Hadrianus Valeſius, neque de Saxonibus Angliſque recte ſentit, quorum ſedes diuerſis temporibus diſtinguere debuiſſet, neque de Vortigerno rege. Namque hic Britannorum rex fuit, ut Beda, Guil. Malmeſburienſis, alii, confirmant, non, ut Valeſius opinatur,

An-

Digitized by Google

Anglorum, qui mercede ex Germania subsidio arcessitus sit. Hi enim Angli, quoad in Germania sunt, Regem non habent, et tres quidem populi e Germania contendunt in Britanniam, Saxones, Iutae, Angli, qui nominibus his propriis discernuntur, sed omnes hi communiter Saxones dicuntur, ut Bedam recte Camdenus, cum eoque Anglorum quisque doctissimus, exponit

Duo illi, quos modo nominaui, Saxonicae gentis in Britanniam duces, quanti fuerint, ex rebus magnifice gestis apparet. Nec uero de illustri eorum stirpe dubitari potest. Saxones enim eis, qui maiorum gloriam aemulantur, plurimum tribuunt, eorumque uirtutem atque auctoritatem, in rebus suscipiendis atque administrandis, sequi solent. Est tamen uetus stirpis, quae Hengistum atque Horsam genera uit, memoria, eamque Nennius, in historia Britonum, recitat, et Godofredus Guilielmus Leibnitius, cuius grauitate nihil imperitae credulitatis expectes, tanti facit, ut eam Genealogiam sane antiquam uocet. In hac originis narratione, quae maiorum seriem contexit, Hengistus atque Horsa feruntur progenies Vuodeni

Digitized by Google

ni, et Frealfi. Quorum quidem Regum atque Heroum nomina agnoſci uidentur poſſe in Odino ac Frea ſeu Friccone, ſed uetuſtioribus illis huius nominis Principibus, qui pro Diis habiti ſunt, et ita culti, ut eorum deinceps appellationes, genti probatae, ad poſteros, ut fit, tranſirent. Odinus autem uarie ſcribitur, Vuodan, VVoden, VVoda, Godan, VVonda, VVonſta. Narrat Adamus Bremenſis, a Sueonibus ſanctas haberi trium ſtatuas Deorum, ex quibus princeps Thor in medio ſolum habeat triclinium, hinc, et inde, locum teneant Vuodan, [illegible] Fricco. Thor aeri praeſidet, flumi[illegible] que gubernat, Vuodan bella regit, [illegible] talibus pacem uoluptatemque largi[illegible] Haec Adamus ille. Leibnitius, rebus his adductus, credit, Fream ſiue Frealfum in pace regnaſſe, Vuodan bella geſſiſſe, et his de cauſſis utriuſque memoriam hominibus religionem iniecisſe. Suſpicatur idem uir ſagacitatis eruditiſſimae, in eadem, de qua paullo ante diximus, Genealogia, ubi Geata filius Dei dicatur, Deum hunc ipſum, ſiue God, fuiſſe Vuodan antiquiorem. Eundem plurimum in maris Sueuici inſulis, et Scandinauia, potuiſſe, argumento eſt cultus iſte, quo eum proſecuti ſunt illi Septentrionum populi

Digitized by Google

puli uſque eo, dum Chriſtianis myſteriis initiarentur. Ab eius Vuodani, ſiue Vuonſtani, nomine diem illum Mercurii, qui nobis Mitteuuoche dicitur, appellatum quondam fuiſſe Onſdag, Vuoenſdag, VVedneſdag, Leibnitius cum uiris, antiquitatis intelligentibus, iudicat, eaque uetus appellatio adhuc uſitata eſt Belgis, atque Anglis, in primis quoque Danis, Noruagis, Suecis, quibus ille non modo Heros olim habitus eſt, ſed etiam Deus. Similiter Guil. Malmeſburienſis, antiquiſſimum illum Vuoden, oſtendit, ab Anglis, nondum religione emendatis, Dei cuiuſdam honore affectum fuiſſe, eidemque quartum hebdomadis diem, ueteri gentis huius ſuperſtitione, conſecratum. Itaque idem Malmeſburienſis, ut doceat, Hengiſtum atque Horſam haud obſcura ſtirpe apud ſuos, ut ipſe loquitur, oriundos, eos, ait, illius uetuſtiſſimi Vuoden abnepotes fuiſſe. Ab eo autem, adiicit, Vuodeno Omnium paene barbararum gentium Regium genus lineam trahere, ut, ſanguinis et cognationis propinquae ius, ab illius ſtirpe ductum, ſignificet. At ipſum Vuodenum, ſiue Odinum, Principem Saxonum fuiſſe, ipſamet illa propago declarat, qua Horſae, diximus, atque Hengiſti, genus

Digitized by Google

perantiquum indicari. Hic autem Odinus cum Thoro ſaepius confunditur in Edda, et pluribus Septentrionum monimentis. In eodem Odino Saxonico non nulli reperire ſibi uiſi ſunt Herculem Saxanum, quem Lapides ueteres oſtendunt, in primis ille, in agro Cliuenſi effoſſus. Atque hic quidem Odinus cum arma coloniaſque Saxonicas intulerit Sueciae, eius, coniiciunt, gloriae a Sueonibus, fabulam de Thorone, ac potius de Hrugnere Saxano, commentis, obtrectari, ut eis fidei plus adderent, quae iam pridem de Suecia, priſca gentium uagina, iactauerint. Quae quidem hoc loco diſceptare, ut minus uacat, ſic nobis illud ſatis eſt, Odinum illum, ex ea, de qua commemorauimus, familiae Saxonicae memoria, faſtis Saxonicorum Principum reddi. Quod ſi haec ſtirps tantum in Septentrione ualuit, ut opinionem diuinitatis diu obtineret, non ſolum certe duobus fratribus, qui Saxones Britannis ſubſidio adduxerunt, plurimum dignitatis ex ea re acceſſit, ſed ipſis etiam Saxonibus, qui tanta, tamque antiqua, quae omnem memoriam excedat, maiorum maieſtate gloriari poſſint. Hengiſtus igitur, atque Horſa, ipſa ſtirpis admiratione longe ampliorem ueteris Saxoni-

Digitized by Google

xoniae dignitatem tenuerunt, quam multi credant, eamque uirtute singulari, quae factis cognita est, sustinuerunt. Ita, cum, Britannorum rogatu, mittendae essent copiae, eos adiutum quae uenirent, duces sumebantur, qui eminerent

Inter nouos autem septem Angliae reges excellit Ecbertus, qui cognomen Magni fert, cum partes insulae, in septem regna, uelut in totidem membra, dissipatas, in unum tandem corpus redigit, et, abrogato Britanniae nomine, Angliam uocat, a parte numerosissima trium illorum populorum. Ita sentit Camdenus, et alii, eum secuti. Sunt tamen, quibus Angliae nomen antiquius uideatur, atque ortum iam Inae temporibus, eiusque rei argumentum fumant, ab Elego, ante septem, in Britannia, regnorum coniunctionem composito, in quo Anglia iam nominetur. Sed quoquo modo se illud habet, Ecbertus Britannis admirationi fuit. Hic tamen rem melius in Britannis, quam in Scotis, gessit. In Scotiam enim cum exercitu ingressus, ingentem cladem accipit, et ipse in proelio cadit, deceptus ab rege Pictorum, qui se pugnae subtraxit. Hac igitur hominis per-

Digitized by Google

fidi fraude Saxonica maieſtas ad metam Scotiae tum haeſit, quae tamen poſt aliorum uirtute eſt uindicata, poſterorum etiam fortuna, ipſi faſtigio Scotiae atque Hiberniae impoſita eſt. Ea uero recentioris ſunt aetatis, quae multa de ueteri Angliae ſtatu mutauit. Namque nomen ipſum Angliae ita nuper, auſpiciis Annae, Reginae, antiquatum eſt, ut duo Angliae, ac Scotiae, regna, quae grauibus inueteratiſque diſſidebant odiis, in unum Regnum, unum ius, unumque ſenatum, communi atque ſolemni appellatione Magnae Britanniae, coaleſcerent, idemque nomen publicum deinceps ac perpetuum foret. Haec enim regna, arctiſſimo inter ſe uinculo coniuncta, unum quaſi populum ex duobus efficiunt, eaque coniunctione id commodi ſperatur, ut, exaequata in ſenatu regni ſuffragiorum dignitate, aemulatio procerum diſſenſioque tollatur. Plura nihilo minus ueſtigia priſcae Saxoniae noſtra adhuc aetate comparent, in eis praeſertim prouinciis, quae uetera nomina retinent, ut Eaſtſexia, Veſtſexia, Suſſexia, Midleſexia. Ipſamet, inquam, illa regionum nomina, quae Chronicon Saxonicum uetus, ab Edmundo Gibſono editum, oſtendit. Taceo leges antiquas Regum Anglo-ſa-

Digitized by Google

gloſaxonicorum, quas diuulgauit Guilielmus Lombardus, Henricus Spelmannus, Io. Seldenus, Abr. Vuelocus, alii. Integrum quoque iuris Angloſaxonici Codicem edi, utile iudicat Georgius Hickeſius, eiuſque, ſcienter inſtruendi, rationem, pro ſingulari ſcientia ſua, docet. Sed iam diu fruſtra quaeritur a doctis, in bibliothecis Britannicis, Codex Eduuardi, Regis, in quo, uelut in Pandecte quodam, omne ius Anglorum uetus, undique collectum, reperiatur. Leges Angloſaxonicae, iuſſu Vilelmi I, memorantur, a Sapientibus Angliae, recognoſci. Ex earundem fontibus Legum, maximam partem, hauſtae ſunt Leges illae, quas idem Vilelmus promulgauit, Gallonormannice ſcriptas. Qua de cauſſa ueteres Angloſaxonum Leges ex Legibus Normannicis, clarius expreſſis, ſaepenumero planius ac plenius intelligendae ſunt. Ex antiquis Angloſaxonum Legibus multa in recentius Anglorum ius defluxerunt, et, omnis Anglicae antiquitatis cauſſa, uſque adhuc ab iureconſultis Britannicis, et aliis, hiſtoriae patriae indagatoribus, Lingua uetus Saxonica multo ſtudio diſcitur. Hac etiam mente commentarii uocum Angloſaxonicarum a Guilielmo Somnero, Thoma Benſone, et aliis,

Digitized by Google

contexuntur, ut eis Philoſaxones utantur, ad theſauros uetuſtatis Anglicae ex latebris tot ſaeculorum eruendos. Immo uero Praelectiones Linguae Saxonicae, maiorum inſtituto, apud Anglos haberi ſolebant, quas, intermiſſa conſuetudine priſtina, iam negligi, Guilielmus Camdenus eo moleſtius fert, quo minus concedendum, putat, huius ut linguae cognitio perdatur. Ipſa denique Lingua Anglica, quae hodieque uiget, ab incunabulis ſuis eſt Saxonica, nec, ſine huius auitae linguae intelligentia, plene, uel intelligi, uel explicari, poteſt, ut inter omnes conſtat. Ex his, quae diximus, [illegible] ret, maieſtatis Saxonicae monimenta, [illegible] aetatis memoria replicetur, in annalibus, terra marique reperiri, et Saxones antiquis temporibus ſic animatos fuiſſe, ut Reges gentibus longinquis ipſi dare, quam ab alienis accipere, maluerint. Haec de Britannis. Illud unum, ex antiquo Codice Florentino, quem Theodoricus de Niem primus edidit, adiungimus; in diuerſis diuerſorum regnorum libris, qui Chronici appellantur, Saxones multarum gentium Patres dici. Nec uero hoc mirabitur, qui ueterem morem Saxonum norit. Solebat enim, abundante hominum multitudine, in-

uen-

Digitized by Google

uentus, more gentis, conuenire, ſortes a Principibus acceptum, ac domo mox emigrare, ad ſedes ſibi quaeritandas, eaque paranda, quae ad uictum cultumque ſuppeditarent. Haec Vuernerus Roleuincius, de antiqua Saxonia, tradit

Nec uero Saxones memoria cladium, quas, populi ex uicinitate ſua, Teutoni circa Aquas Sextias, Cimbri in campis Raudiis, a Mario pulſi, quondam acceperant, a conſilio ac ſtudio Italiae uiſendae retardauit. Maiore ſunt animi conſtantia, et ſequuntur trans Alpes caſtra Theodeberti, quem Marius Auenticenſis Francorum Regem magnum dicit. Hunc, in Italiam ingreſſum, ſaeuitiae crimine Procopius arguit, eiuſque milites barbaros uocat, propter crudelitatem inſignem, qua Gothorum, amicorum ſuorum, pueros feminaſque, ad Ticini pontem, necent, uelut in primitias belli. Hadrianus Valeſius hanc immanitatem facti, quam infitiari ipſam non poteſt, Saxonibus potius, atque Toringis, qui cum Theodeberto in Italiam uenerint, crimini dandam, putat, quam genti ſuae. At Procopius nefarii facinoris huius neque Saxones, neque Toringos, accuſat, ſed Fran-

Digitized by Google

Francos, Gothorum foederatos, quorum atrocitatem, ex priſtini ritus feritate reliquam, ſub ipſa adhuc profeſſione Chriſtiani nominis, oſtendit. Theodebertus autem, adducto in Italiam exercitu, inde multum, ut loquitur Gregorius Turonenſis, acquiſiuit. Namque Italiam, ipſamque Siciliam, tributariam ſibi fecit. Vſus in primis, cum domum reuertiſſet, ad eas res gerendas, Buccellino duce, ut Gregorius idem et Aimoinus produnt, Belliſarium multis proeliis uicit, cum Narſete etiam fortiter feliciterque decertauit. Buccellino Saxones cum uirtutem fidemque probant, hos ille non modo producit in aciem, ſed etiam locis, bello captis, in praeſidio relinquit. Ac Saxones quidem hos Theodebertus, uel ſecum traduxerat in Italiam, uel, cum inde deceſſiſſet, eo, ut Fredegarius ait, miſerat, ad tutelam locorum, ab ſe occupatorum. Sed, Buccellino caeſo a Narſete, legato Iuſtiniani Imp. Francorum opes corruunt, et Saxones, praeſidiis impoſiti, uel interficiuntur, uel fugantur, quod, locorum interuallis diſiuncti, mutua ſibi auxilia ferre non poſſunt. Plures ex his, fuga dilapſi, ut poſſunt, ſalutem ſibi petunt, ac gentilibus poſtea ſuis, qui patriam ex copiis Alboini repetunt, ſeſe comites adiungunt. Saxones

Digitized by Google

xones in Italia triginta quatuor annos, ut tradunt nonnulli, commorantur. Nulla deinde priſtini temporis acerbitas, quam Saxones reminiſcantur, tanto eos exterret timore, quin, uiribus domi refectis, in Italiam reuerti, geſtiant, bellique fortunam denuo tentare. Itaque, a Langobardis in ſocietatem militiae aſciti, rurſus Alpes tranſeunt, Alboino duce. Hic, a Narſete, qui Italiae praeerat, in Iuſtinum iuniorem, Imperatorem, excitus, ac per legatos inuitatus, ex Pannonia, ubi multos annos conſederat, in Italiam, ingenti cum exercitu, uenit, quem cum aliis ex populis, Francis, Gepidis, Bulgaribus, Sarmatis, Pannoniis, Noricis, tum e Saxonibus, conflat. Horum fuiſſe, tradit Paullus Langobardus, millia; amplius, uiginti, qui, cum uxoribus ac liberis, in Italiam profecti ſint. At diſſentit ab eo Hadrianus Valeſius, et, ſubductis horum Saxonum rationibus, conficit, armata eorum millia triginta, forte etiam quadraginta, cum Alboino in Italiam tranſiſſe. hos, ea multitudine ſua confiſos, ibidem ſui iuris eſſe, ſuiſque legibus uti, uoluiſſe, et reuerti in Saxoniam, quam Langobardis parere, ac peregrina imperia experiri, maluiſſe. Re ab Alboino bene geſta, deuincitur Inſubria, et, nouo uicto-

Digitized by Google

rum nomine, Langobardia uocatur. Molem belli grauiſſimam Saxones ſuſtinent, bellorum praemiis Langobardi fruuntur. Tamen hi nihilo ſecius tam duros ſeſe atque iniquos Saxonibus praebent, ut eis neque ea, quae de poſſeſſionibus ac ſtipendiis pacti erant, ſeruare uelint, neque facultatem dare, legibus ſuis utendi. Quam quidem rem, minime ferendam, Saxones, libertatis auitae diligentiſſimi, mortis inſtar putant, et, mortem ipſam, ducunt, huic ſeruituti turpitudinique anteponendam. Noluerunt, inquiunt, Iornandes, ac Paullus Langobardus, imperiis Langobardorum ſubiacere. Nimirum Saxones, quod iidem pro certo ponunt, hac mente, cum uxoribus ac liberis, in Italiam demigrauerant, ut in ea ſedem ſtabilem rerum fortunarumque ſuarum collocarent. Eo ut uenerunt magno numero, ſine dubio nacti ſunt poſſeſſiones, pro multitudine gentis ſuae haud paruas, quas eis Langobardi tradiderant. At, per impotentem dominationem Langobardorum, ſiti non ſunt, ut iidem auctores duo confirmant, iure ſuo uti, ſiue, ut ambo illi loquuntur, in proprio iure ſubſiſtere. Ob eam cauſſam Saxones recuſant, poteſtati Langobardorum ſubiici, ſiue, ut pronuntiat idem ſcriptor,

Digitized by Google

ptor, eorum imperiis ſubiacere. Hoc enim abhorrebat a libertate Saxonica, quae ne domi quidem Regem tulit ex ſua gente, nedum, in belli ſocietate, ſub ditione atque imperio externo eſſe uellet. Namque Alboinus, in Italiam cogitans, ab amicis ſuis uetulis, Saxonibus, ut Iornandes et Paullus Diaconus uno ore dicunt, auxilium petit, ut Italiam, cum pluribus poſſeſſurus, intret. Itaque Saxones, in bello, ipſaque Italia, Langobardorum amici ſunt atque ſocii, haudquaquam eorum ſerui, iidemque, de more ſuo, in exercitu Langobardorum, duce ex gente ſua utuntur, et huic parent. At Langobardorum moribus inſtitutum erat, ut, quod agri ab eis eſſet conceſſum, id, beneficii loco habitum, eis clientelaris officii fide teneretur ea, qua cliens domino deuincitur. Hinc illud ius beneficiarium, Feudale dicunt, et olim, et hodie, uſitatum. Talem antiqui Saxones dominum, cuius imperio patria libertas opprimatur, neſciunt, et ſui iuris eſſe, maiorum exemplo, uolunt. Hoc, in amicitia Langobardorum, obtinere cum minus poſſunt, ſatius ducunt, agris atque Italia cedere, quam alieno ſe populo in ſeruitutem dicare. Hoc ſpecimen conſtantiae, qua patriae liberta-

Digitized by Google

tis ius, ac maieſtatis, nemini obnoxiae, decus, tam cupide retinetur, ut ſatius exiſtimetur, ad extremos deduci caſus, quam ſeruitutem externam pati. Quo minus conſentaneum eſt, id credere, quod Gregorius Turonenſis iactat, Saxones, ex Italia in Gallias eruptione facta, a Mummolo male acceptos, ea lege dimitti, ut prius iurent, ex Italia ſe redituros in Gallias, regibuſque Francorum ſubiecturos. Redeunt uero Saxones in Gallias ex Italia, eadem euntes uia, quam ſuperiore anno ceperant, et, populatione facta, ad Rhodanum perueniunt. Sed, tranſitu fluminis eius prohibiti a Mummolo, hunc auro placant, qui liberam dat eis proficiſcendi facultatem, nulla mentione facta eius obſequii, quod eos Francis iureiurando confirmaſſe, Gregorius dicit. Saxones igitur de ſuo a Langobardis diſceſſu cogitant, ac de domum reditione conſtituunt, Italiaque decedunt. Recipere ſe eo, unde egreſſi erant, coacti, colligentes mox ſeſe atque cohortantes, fortius in uiam ſe dant, quacunque incedunt, in hoſtes incidunt, cum eis confligunt, uariaque fortuna uſi, nulli unquam calamitati ſuccumbunt. Nulla ui, nullo terrore, frangendi, ſoli quorundam in Gallia regum huma-

Digitized by Google

humanitati cedunt. Vires a ferro quaſi ſumunt, animos a uirtute, quam maiorum recordatio excitat, multumque confirmat. Quaerunt in patria ſedes, quas reliquerant, domo exeuntes, ſed eas inueniunt, ab aliis occupatas. Cum deſeruntur a fortuna, maiore uicinorum beneuolentia iuuantur aduerſus hoſtes, eaque re talis teſtimonium uirtutis habent, cuius ſplendor nullis rebus aduerſis obſcuretur. Atque haec quidem uirtus ſe cunctis e malis emergit, et clarioribus ſemper factis eniteſcit. Sed haec longius proſequi, quantae, quaeſo, fuerit operae, et in hanc ſententiam plura commemorare, neceſſe non eſt. Satis enim ſuperque rebus geſtis eſt comprobatum, antiquam liberae Saxoniae maieſtatem domi foriſque multis modis, ac diſiunctiſſimis in locis, exſplenduiſſe

Haec denique priſca Saxonum maieſtas in ipſa triumphali Romanorum ambitione haud obſcure uidetur fulgere, quae multarum gentium cladibus gloriatur, ſed nihil huius in Saxones audet, ulla eorum calamitate uenditata. Ita Romani de Saxonum praeſtantia plurimum dicere uidentur, ubi de iis penitus ſilent. Quis

Digitized by Google

enim Romanorum ignorat insolentem uentosumque morem, titulos suos ornandi gentium nominibus, quarum glorioſi uictores uideri atque haberi uelint. Saepe ridiculi sunt Caesarum triumphi, sicut illa Caii laurea, quam Persius exagitat. Cum nihil triumpho dignum Caesar hic gessisset, uxor eius Caesonia per procuratores uiro triumphum, sine sudore et sanguine ullo partum, domi parat. Insignem, inquit Satyricus, ob cladem Germanae pubis. Ob res, inquit idem, egregie gestas. Caius enim, ut Tranquillus ait, captiuos, transfugas, proceriſſimos, ad triumphi pompam seponit, cogit eos, rutilare et summittere comam, sermonem Germanicum addiscere, nomina barbarica ferre. O quantas nobis, haec cum legimus, delicias facit Caius, uictor Germanorum, triumphatorque, lepidiſſimus. Hic tamen, in Numis laureatus, Germanicum se ostentat. Quid Domitianus. Hic, Caianas expeditiones imitatus, fortitudinem suam non minus in ludibrium uertit. Percellit enim hostem, quem aspicere in acie non audet. Nimirum periculoſius est, foris conserere manum, quam domi captare muscas. Germanicum tamen se Domitianus, in auro argentoque, grandibus literis,

saepe

Digitized by Google

ſaepe ſcribit, armatuſque Rhenum conculcat, ſed, in Numiſmatis, et, ut Xiphilinus ex Dione docet, profectus in Germaniam cum exercitu, unde mox reuertit, hoſte nuſquam uiſo. Ea de cauſſa, oſtendit idem ſcriptor, Domitianum magnis honoribus cumulari, et alios Caeſares, qui ſimiles eius ſint, paribus ornamentis decorari, ne quando hi, minus cohoneſtati, res ſuas, indignentur, minoris haberi. Videtis ergo, Auditores, poſteriorum quoque Principum triumphos ab ipſis ueterum cordatioribus irrideri, ut, deriſui fuiſſe Romanis, Corn. Tacitus memorat, Domitiani falſum e Germanis triumphum, emptis per commercia, quorum habitus, et crines, in captiuorum ſpeciem formarentur. Imperatores nihilo minus inſcriptiones Tabularum ſuarum nominibus ſolebant exornare gentium complurium, quaſi bello ſubactarum, quae triumphatae tamen magis eſſent, quam uictae, aut quarum ſaepe manus tantum exigua in proelio cecidiſſet. Hinc Germanicos, Parthicos, Armeniacos, Arabicos, Perſicos, Sarmaticos, Gothicos Francicos, et, neſcio quos, ſe dictitant. Inde Sarmatia, Francia, et Alamannia, deuictae, in Numis Imperatorum. Hanc Imperatorum Romanorum

norum licentiam, aliis insultandi populis, in parte grauis iniuriae ponit, ut Agathias refert, Theodebertus, Rex Francorum, et indignitatem huius rei compluribus gentibus, per legationes eo missas, demonstrat, ut illas tantae contumeliae sensu ad belli societatem impellat, cum, bellum, decressset, adiunctis sibi Gepidis atque Langobardis, Iustiniano [illegible], Thraciaque uastata, Byzantium ipsum oppugnare. Quod enim Iustinianus, in Edictis suis, se Francicum atque Alamannicum, quod se Gepidicum et Langobardicum, quod aliis huiusmodi nominibus insolenter se uocitaret, ut si cunctas has gentes, bello superatas, sub suam redegisset potestatem, id uero quanam ratione ferri posset. Theodebertus tamen, Childebertus, et Chlotharius, Francorum reges, hanc, quam sibi a Romanis fieri putabant, iniuriam satis ulti uidebantur, cum se Augustos appellarent, quod eorum Numismata, apud Blancum, ostendunt. Hoc enim Augusti nomen, cum Augusto Caesare coeptum, tam proprium censebatur Imperatorum Romanorum, ut exteri Reges id assumere sibi non auderent, tam magnum etiam inter homines, ut multa peregrinarum gentium [illegible] coleretur.

At

At nihil huius, quo Romanis aegre fieret, opus erat Saxonibus, quibus, nulla ſimili contumelia, quae tangeret honorem, querimoniae ſimiles erant expreſſae, in eoſque, Romanis terra marique infeſtos, permirum eſt, Romanos ſibi minus, quam in nationes alias, permiſiſſe. Nemo enim Imperatorum nomen Saxonici, ad triumphi fidem, ſibi ſumpſit. Nihil huius, quod meminerim, uel in Lapidibus antiquis, uel in Numis, uel in ullo genere monimentorum ueterum, uſquam cernas. Theodoſius quidem ille, de quo commemoraui, Theodoſii M. pater, Saxonicus dicitur, ſed priuatus a priuato, laudatoris elogio, non auctoritate publica, ſolemnique titulo uictoris. Ex ipſis autem Imperatoribus nemo Saxonicum ſe uocauit, quod ſciam. Quid ergo. Saxones, uideo, multum negotii Romanis, multis in locis, exhibuiſſe, multum terroris intuliſſe, adeo quidem, ut illi ſint coacti, Litus Saxonicum in Gallia, ipſaque Britannia, munire, ſicut ante diximus. Saxones, etiam recordor, cum Romanis, terra marique, decertare, neque eo ſecius, propter opinionem famamque uirtutis ſuae, ab ipſis Romanis ſubſidio, aduerſus Imperii hoſtes, arceſſi, ut contra Attilam, ſicut ſupra oſtendimus.

Digitized by Google

Cum Saxones cum Romanis congreſſi ſint, hos, memini, barbaram eis feritatem, atque immanitatem, neſcio quam, exprobrare, ſed ea re nihil aliud, quam uirtutem Saxonum inuictam, declarare, de qua palam confiteri nolint. Videntur ergo Saxones, quorum ferocitas Romanis, tanquam maxime barbara, terrori ſolet eſſe, Romanis, ex proeliis, quibus cum eis contenderunt, uirtutis ſuae tam acrem reliquiſſe memoriam, ut illi nullam uictoria ſua gloriandi cauſſam reperirent, ac libidinem, hos aduerſarios ſuos, ad arma tam paratos, nec impune laceſſendos, ut confectos abiectoſque, exagitandi, dimitterent, malorum tot acceptorum grauitate, conſcientia, ſenſuque, compreſſam. De Saxonia libera ſatis dictum eſt

Deinceps, ut erat propoſitum, de Saxonia, Francorum ſocia, dicatur. Haec utriuſque gentis ſocietas, tum uariis in bellis, tum communi ſub imperio, cernitur. Ac belli quidem ſocietatem Saxones cum Francis inibant contra Romanos, qui Germanorum libertati ſolebant inſidiari. Hac mente dabant operam, ut, diſſociatis Germanorum animis, inter eos diſcordia ciuilis aleretur. Hoc uetus erat Romano-

Digitized by Google

manorum perpetuumque optatum, cuius ſenſum Corn. Tacitus, in Germania ſua, expreſſit. Itaque M. Antoninus, quem Philoſophum dicunt, auxilia Germanorum contra Germanos emit, ut Iulius Capitolinus, in eius uita, notat. At Franci ac Saxones, cum finitimi eſſent, opibuſque ualentes, non modo Romanis obſiſtebant, ſed in eorum etiam fines terra marique contendebant, hoſque uaſtabant. Id ſatis apparet ex eis, quae ſupra de temporibus Diocletiani, Conſtantii, Valentiniani, dicta ſunt. Diocletiana uero tempora cum Francorum Saxonumque contra Romanos ſocietatem oſtendant, eius originem altius repetit Aegidius Bucherius, ipſamque hanc, ait, Saxonum in Romanum Imperium coniurationem, quae tertia ad binas ſuperioris memoriae Alemannorum atque Francorum in Romanos conſpirationes, trans Rhenum factas, acceſſerit, ceteris fortiorem fuiſſe, adeo, ut extremam Romanis perniciem, ex hac Septentrionum parte, minari ſit uiſa

Interdum Franci atque Saxones, uel muneribus conciliati, uel communi etiam periculo hoſtis imminentis permoti, Romanis auxili-

Digitized by Google

um coniunctim ferebant, in eorum quoque exercitu militabant, ſuis tamen auſpiciis utebantur. Non enim de iis, qui ſubſidio ueniebant, ſinguli aduentare ſolebant, ſed in cohortes diuiſi, quibus duces ex gente ſua praeeſſent, et ſingulares in proelio loci aſſignarentur, ut, ab aliis diſcreti, facilius gloriam uirtutis caperent, quam, cunctis ſpectandam, praebuiſſent. Ad hunc modum Bataui, qui ſunt Germanicae originis, cohortes in Britanniam mittunt, quas popularium nobiliſſimi regunt, uetere inſtituto, ut Corn. Tacitus narrat. Quid opus eſt, longinqua huius rei exempla conſectari, cum ex iis, quae de pugna Catalaunica diximus, tam illuſtre commilitonum Germanicorum ſpecimen noſtris adhuc inhaereat oculis, ut neque maius, neque clarius, hic requiramus. Franci enim, atque Saxones, ubi cum Attila decernendum eſt, in acie Romana generatim, ſub ducibus ſuis, conſtituuntur, cum ſociis pro Valentiniano fortiſſime dimicant, hoſtem, acerrime repugnantem, pellunt. Haec ex ſcriptoribus, inter ſe collatis, non difficile eſt, intelligere, ex Iornande potiſſimum. Quem tamen, uideo, de proelio Attilae, et utrinque pugnantium nominibus, differentem,

a

Digitized by Google

a non nullis male accipi, ab ipſomet etiam Abrahamo Bucholcero, cuius accuratiorem aliis in rebus diligentiam agnoſco. Antonius Bonfinius Iornandem quidem commemorat, ſed, huius negligens, Saxones ex acie Romana penitus excludit. Blondus magis ingenuus eſt, et Saxones, ac Meroueum, regem Francorum, Romanis aduerſus Attilam dat adiutores. Albertus autem Crantzius pugnam Catalaunicam omnis memoriae maximam ponit, eamque latius proſequitur, propterea, quod in parte eius uictrici Saxones, Hunnis medio agmine oppoſiti, proelientur. Hac adeo re, ut idem iudicat, ad uictoriam non mediocrem operam contuliſſe intelliguntur

Sed aeque Franci, ac Saxones, libertati patriae amiciores erant, quam dominationi Romanae, atque hanc ferre neutiquam uolebant. Libertas enim erat Germanum bonum, ut ait Lucanus, et acrior Arſacis regno, ut Corn. Tacitus prodit, eaque re ſummum Germaniae ſtudium, more atque inſtituto maiorum uiuendi, in Germanis declarat. Itaque Franci Saxoneſque, ut iuri ſuo, multis inſidiis appetito, caueant, ſeſe Romanis obiiciunt, uel

Digitized by Google

foedere iam crebrius, quam pro ueteri Germanorum conſuetudine, inter ſe icto, uel ſtudentes eorum partibus, ab Imperatoribus qui deſciuiſſent. Hoc enim didicerant a Romanis, qui Germanos in Germanos concitare ſolerent, ut minus ab eis uereri poſſent. Quid enim Carauſius, quem ſupra demonſtrauimus, Galliae maritimae cuſtos impoſitus, eo tempore, cum Franci ac Saxones Oceani litora depraedarentur, aliud, niſi conſenſionem cum his utriſque indicauit artifici illa, quam Oroſius dicit, negligentia, quod, hoſtes iſtos incurſare fines Romanos, cum detrimento reipublicae, permiſit. Ea re conſilia clandeſtina, quae ceperat, palam fecit, et conata perfecit, cum, mota Romanis ſuſpicione, a Maximiano iuſſus interfici, imperium in Britanniis arripuit, eaſque ſeptem annos tenuit, nulla, quam legamus, incurſione Saxonum laceſſitus, qui mari Britannico quaeſtum facere conſueſſent. Has Carauſii artes edit Eumenius, Panegyriſtes, Solicitatas eſſe per ſpolia ipſarum prouinciarum non mediocres copias Barbarorum. Horum principes fuiſſe Francos atque Saxones, Eutropius oſtendit, qui hos ideo nominat. Adiicit idem Eumenius, ab eo Carauſio fugiente abductam fuiſſe

Digitized by Google

se classem, quae consueuerit olim Gallias tueri. Ex quo, ut hoc iam addamus, uetus institutum litoris huius, de quo supra diximus, classiariis muniendi intelligi potest. Itaque iam superiore memoria classis erat instructa, quae oram Galliae maritimam ab impetu piratarum prohiberet. Praedones hos, qui, aetate Diocletiani, Galliam incursionibus uexarent, Francos et Saxones dicit Eutropius, et eas simul Galliae partes, quibus uis illata fuerit, Belgicam et Armoricam appellat. Hae uero ita, uti demonstrauimus, sunt illae Galliarum regiones, quae mare attingunt, et pristinis Saxonum incursionibus patebant, ut eis opponenda essent praesidia nautica, ipsumque hoc Litus, teste Imperii Notitia, Saxonicum uocaretur. Saxonicum autem intelligas, quod totum maris Aquitanici tractum complectitur, et, quicquid maris est usque ad Rheni ostia, ut Alteserra describit. Hoc litus Saxonicum dictitabatur a potiore ui Saxonum, mari praeualentium, quorum praedationibus potissimum diuexabatur. Franci nihilo minus Saxonesque communiter impetus crebros in oram Galliae maritimam facere solebant. Ad extremum tamen cum Carausio, ut ait Eutropius,

Digitized by Google

us, pax conuenit. At quanto maiorem commouit ſolicitudinem nouus Magnentii principatus, qui, poſt interitum Conſtantis, Italiam, Africam, Gallias, obtinuit, ut narrat Eutropius, adde etiam Britannias, adde Hiſpanias, multarumque gentium fortiſſimarum opibus ſe muniuit. Hic Magnentius tantum Romanis terrorem infert, ut, eo ſublato, Romae ſtatua ponatur Conſtantio, qua commune non Vrbis modo, ſed Orbis etiam, gaudium declaretur Imperatori huic, Reſtitutori Vrbis Romae atque Orbis, et Extinctori peſtiferae tyrannidis, ſicut Inſcriptio loquitur, ſtatuae adiecta. Ea uero Inſcriptio recte uindicatur huic Conſtantio, quae, in opere Gruteriano, ad auum eius Conſtantium male refertur, ut Ezechiel Spanhemius animaduertit. Itaque Magnentii uita terribilis fuit aduerſariis, neque minus fama belli, quod ille comparauit. Hinc enim tempeſtas coorta belli, quod fulmen quoddam, ut Iulianus loquitur, eſſe cunctis uideretur, ex Alpibus excuſſum, nec re ipſa tolerandum, neque uerbis exprimendum. Huius autem belli ſocii fuerunt Franci atque Saxones, quos promptiſſimos acceleraſſe, fortiſſimos depugnaſſe, tantaque animi conſtantia locum, quem nacti ſint, tenuiſſe, confirmat Iulianus, ut

Digitized by Google

ut decreuerint, aut uincere, aut mori non impune

Hoc Magnentii tempus Francis Saxonibusque non potuit magnae laetitiae non esse. His enim gentibus nihil optatius erat, quam Romanos agros populari, sed, id facere eis ne procliue esset, multa Romanorum opera obstabant. Augustus enim, ut Herodianus tradit, ac Traianus, ut Aurelius Victor, non Diocletianus, ut Zosimus, limites Imperii Romani ita muniuerant, ut eorum aditu Barbari intercluderentur. Ad limites, a natura constitutos per mare, fluuios, montes, aliasque res, addebant muros, fossas, castra in primis cum militibus praesidiariis, turres, arces, ut populis finitimis, et bellicosis, studium diminuerent eruptionis faciendae. Hos limites a Constantino M. turbari, conqueritur Zosimus, sed tum quoque Rheno satis adhuc praesidii relictum fuit. At Magnentius, ut copias suas augeret, praesidia castellis, ad Rhenum extructis, detraxit, atque hunc Imperii limitem munimentis suis nudauit. Ea re Germanis pergratum fecit, eoque facilius, quod rogauit auxilii, a Francis atque Saxonibus impetrauit. His enim, qui proximi Romanis essent, uiam aperuit latius euagandi, iique, ca-

Digitized by Google

ſtellis in Gallia potiti, opida plurima exſciderunt, ut Ammianus Marcellinus ſcribit, ad quinque et quadraginta, ut Iulianus refert. Conſtantius autem, aduerſus quem Magnentius arma fert, pari modo Germanos in Magnentium ingentibus donis exciuit, uti Germanos reprimeret ui Germanorum. Ipſe quoque literas ad Germanos dedit, atque his non ſecius, quam Magnentius, Germanos in ditionis Romanae fines euocauit. Fecit idem poſtea, quam Iulianus ab eo deſciuit, ut, Germanis in Iulianum concitatis, hunc, in Gallia tum uerſantem, retineret, ne quo ſe mouere poſſet. Atque hoc quidem Iulianus ipſe crimini dat Conſtantio, non ſolum a Magnentio, docens, ſed etiam ab ipſo Conſtantio, Barbaros ex Germania in Gallias accitos fuiſſe. Hunc deinde limitem cis Rhenum Valentinianus nouis caſtellis, ac turribus aſſiduis, ſepſit, ut Ammianus Marcellinus memoriae prodidit. Sed Germani, quos ſuperiore tempore bonitas agri Gallici ceperat, ne his quidem propugnaculis arceri poterant a ui, Galliis inferenda. Cum enim Romani externis ciuilibuſque bellis in plures diſtraherentur partes, Germani liberum in Gallias aditum habuerunt, ac, magnis effuſi gentis ſuae uiribus, uniuerſam Galliam ſub ſuam redegerunt potcſtatem.

Digitized by Google

tem. Haec etsi serius euenerunt, earum tamen rerum tantarum originem, in superioribus Magnentii, et Constantii, temporibus, haud obscure reperimus. Nos autem satis habemus, in Magnentii consilio, limitis ad Rhenum praesidiis suis exuendi, causam non leuissimam inueniri eius alacritatis, qua Franci atque Saxones incitati sint ad opem Magnentio ferendam. Et, quando semel tyrannorum mentio facta est, hoc quoque loco illud interponatur auxilium, quod Franci Saxonesque Paullo, tyranno, contra regem Visigothorum, Vuambam, tulerunt

Nonnunquam tamen Saxones, una cum Francis, aduersus Germanos alios, aut Francorum in Germania hostes, bellarunt. Theodoricus, rex Francorum, Herminafridum, Toringiae regem, graui proelio, ad Onestrudem fluuium, uincit. Nihil egisse sibi uidetur, nisi Schidingiam, opidum, cuius in praesidium hostes se receperant, expugnet. Hanc ad rem conficiendam sibi, animaduertit, opus esse Saxonum auxilio, qui ueteres cum Toringis inimicitias gerant. Excitat eos, paciscitur cum eis, has in leges, ut, si Toringos superent, illorum agros accipiant, in perpetuum possidendos. Saxones, oppugnata Schidingia, cum Toringis

Digitized by Google

acerrime, uſque ad diem tertium, confligunt, ac Toringos, in opido oppreſſos, caedunt. Virtute Theodorico probata, promiſſa Toringiae parte, ex pacto, potiuntur. Haec, quae retuli, e Vitichindo recitaui. Non eſt praetereunda Saxonum dignitas hoc loco, quam ipſa corporis forma, onatuſque militaris, mirabilem fecit. Saxones enim, propoſito belli praemio laeti, nouem duces, cum ſingulis militum millibus, Francis ſubſidio mittunt. Hi Chiliarchae, in caſtra Francica, ſinguli quidem cum centenis militibus, ingreſſi, proceritate ſua, armorum ſpecie, nouo cultu, ingenti maxime animi conſtantia, aſpicientes terrent atque audientes. Nam, regi oſtendunt, ſe paratos eſſe, aut hoſtes eius uincere, aut, ſi quid ſecus accidat, mori pro eo. Aliam cauſſam, inquiunt, nullam Saxonibus eſſe, niſi uincere uelle, aut uiuere omnino nolle. Sunt igitur ex eis, qui haec audiunt, his animis affecti, uti, tantis, arbitrentur, ac talibus amicis Francos non indigere, qui ſedes eis in terris ſi capiant, ſine dubio Francos omnibus fortunis euertant. At Theodoricus amicitiam Saxonum cunctis periculis anteponit, eoſdem etiam, re per eos adminiſtrata, quam concupiuerat, ſocios Francorum, et amicos, appellat. Haec Vitichindus idem tradit. Omitto plures Francorum

Digitized by Google

corum reges, qui Saxonum auxilio profligant hoſtes, et, properans, leuiter attingo Theodebertum iuniorem, Childeberti filium, cui Saxones, in bello ciuili, adſunt, et multum operae nauant. Multum Vandali differunt a Venedis, propterea, quod illi ſunt Germani, hi uulgatiore nomine Slaui. Slaui tamen ex Sarmatia in Germaniam immigrarunt, in eaque latiſſime fuſi, ſedes, tam amplas, ceperunt, uti magnam Germaniae partem occupauerint, tantiſque plurium ſaeculorum creuerunt opibus, ut cum Germanis acerrime contenderint, tandemque uix, tot illatis acceptiſque cladibus, ſubacti ſint. Hos igitur cur in hoſtibus Francorum, quos in Germania reperiamus, reticendos, putemus. Atqui Francos Slaui magnis praeſentibuſque periculis ſaepe terruerunt. Ab his Francos fore tutos, arbitratur rex Dagobertus, ſi perpetuos belli ſocios aſciſcat Saxones, quos, finium ſuorum defenſores, Slauis opponat. Itaque Saxonibus, qui ſuam ei operam aduerſus Slauos, ſibi ſpretos, ultro profitentur, Francorum limitem, a Slauis tuendum, ut tradit Aimoinus, committit, remiſſo tributo, quod Saxones pendere conſuerant

Sed, ut infida fere eſt amicitia gentium praepotentium, quae cupidae ſunt imperii, ita

Digitized by Google

Saxonibus cum Francis ſemper haud conuenit. Id eo magis euenit, quod inter populos, Germaniae principes, ut uirtutis, ſic potentiae, uetus aemulatio domi foriſque interceſſit. Itaque gentes hae duae ſaepius, non animis modo, ſed armis etiam atque caſtris, inter ſe diffidebant. Hoc non ſolum in Germania, ſed in Gallia etiam, cognitum eſt. Cum enim Franci in diuerſis Galliarum regionibus, ubi conſederant, Romanis oppreſſis, rerum potirentur, hi quidem paſſi non ſunt, uti Saxones aut ſuis reciperentur finibus, aut ſe propius habitarent, populoque Francico miſcerentur. Atque etiam Saxonibus, ex Italia in patriam redire parantibus, inimicos ualdeque duros, ſe praebuerunt. Namque, eis non ſolum ſedes nullas, ſed ne iter quidem per Gallias, dare, uoluerunt. Itaque primum Güntchramnus, rex Aurelianorum, Saxones, cum finibus eius propinquant, per Aeonium ducem, cui Mummoli cognomen fuit, in Italiam remigrare cogit. Et, quanquam hi Aeonium, pecunia corruptum, eo perducunt, ut eis poteſtatem tranſeundi faciat, Sigebertus tamen, rex Mediomatricum, eis ſe obiicit, quicum, itemque cum Hulferico, rege Sueſſionum, cum per eorum fines ire uellent, congreſſi, plures calamitates accipiunt. Mitiore denique conſilio

Digitized by Google

filio Sigeberti, quem uirtutis ſuae metu territant, excepti, per eiuſque fines tranſducti, ueniunt quidem in patriam, ſed a Sueuis, aliiſque populis, poſſeſſam, cuius in agris, Saxonum migratione uacuefactis, nouos hos ſeſſores Franci collocauerant. Quibus rebus fit, ut Saxones experiantur Francos multis modis infenſos. Quoties igitur cum Francis acerrime dimicant, ut temporibus Theudeberti, regis, quibus magnam caedem utrinque factam eſſe, Paullus Langobardus notat. Sed quoties etiam uincunt. His de proeliis unum referam, ſed quod locum complurium tenere poſſit. Saxones enim, a Toringis adiuti, fines Chlotharii, regis Francici, uaſtant. Ille copias, quam poteſt, maximas contrahit, et, profectus in Saxones, ingenti eos praelio uincit ad Viſurgim fluuium, onuſtus praeda diſcedit, agris Saxonum exhauſtis, tota regione Toringorum directa. Bello mox a Saxonibus renouato, quod his Chlotharius, pacem petentibus, nullam dat ueniam, ab eis, ad deſperationem adductis, graui praelio fuſus fugatuſque, legatos de pace mittit, eamque iam cupide efflagitat, quam Saxonibus paullo ante denegaſſet, nec prius, quam facta pace, in Galliam reuertit. Ita Saxones libertatem ſuam magna Francorum clade uindicant, ac uictores illos

Digitized by Google

los impotentes conſtantia ſua frangunt. Ipſi rerum Francicarum ſcriptores tradunt, tam atrox fuiſſe proelium, ut numerus caeſorum non potuerit iniri. Hoc ipſe Gregorius Turonenſis ſcribit, et Chlotharius, ut idem adiicit, Valde confuſus, pacem petit. Fredegarius autem, Ibi tanta, inquit, ſtrages a Saxonibus de Francis facta eſt, ut mirum eſſet. Miram ergo, et noui exempli, putat caedem Francorum, a Saxonibus factam. Aimoinus denique, Saxones, inquit, tanta in Francos ſtrage bacchati ſunt, ut uix pauci Chlothario regi ſupereſſent, ad fugae ſocietatem potius, quam ad proeliandi ſubſidium. Haec illi ex Francis triumuiri, ſpectatae auctoritatis. At Marius Auenticenſis aliter narrat, et Chlotharium fingit Saxonum uictorem. Ipſum tamen Hadrianum Valeſium, qui, aliis in rebus, Francorum ſuorum cauſſa, nihil experiri non uelit, adducere non poteſt, ut ei potius, quam Gregorio, aſſentiatur. Ex quo quidem Mario, rem certam peruertente, iudicari poteſt, quantum hiſtorici Francici gloriae Saxonum ſoleant obtrectare, quae ſine dubio longe illuſtrior eſſet futura, ſi teſtes, magis ingenuos, nacta quondam fuiſſet. Ad Chlotharium ut redeam, hanc illius plagam peſtiferam magna rerum commutatio conſecuta eſt. Antea enim Fran-

Digitized by Google

Franci inter Rhenum, Viſurgim, atque Albim, rerum potiebantur, cumque Francis Saxones eſſent finitimi, hi, Chlothario perculſo, perterritis Francis, fines proferunt, in eas ingreſſi terras, ex quibus hoſtis uictus exceſſiſſet. Hoc igitur illud eſſe tempus omnino uidetur, ex quo Saxones ampliores, ſtabilioreſque, ſedes, inter Rhenum atque Viſurgim, nacti ſint. Inde nomen ipſum antiquae Saxoniae, quod terrae, inter Rhenum et Viſurgim interiectae, ſuſcipiunt, ut Nicolaus Schatenius probat. Ex his, quae diſſeruimus, apparet, Saxones maieſtatis ſuae, quam a maioribus acceperint, dignitatem, in utraque Francorum in ſe uoluntate, ſemper obtinuiſſe, et, quanquam cum fortuna non ſimplici fuerint conflictati, in aduerſa tamen magnitudinem animi conſeruaſſe, eaque res aſperrimas ita ſuperaſſe, ut, uerſari inter arma ſoliti, uires ab ipſo ferro duxiſſe uideantur

Denique Saxones communi cum Francis imperio coaleſcunt. Hoc fit auſpiciis Caroli Magni, ſed, multis difficultatibus rerum temporumque ſuperatis. Carolus enim hic cum Saxonibus bellum tres et triginta gerit annos, eoque nullum, neque longinquius, neque atrocius,

Digitized by Google

Francorumque populo laborioſius, habuit, ut Eginhardus tradit. Namque id, Albino ſuo potiſſimum, ut uidetur, auctore, agit, uti Saxones a foeda ſuperſtitione ad religionem Chriſtianam traducat. At, gente Saxonica, quid, in retinendis maiorum inſtitutis, pertinacius fuit. Hoc quondam Saxones crimine grauiter accuſari, quis neget. Sed ne Carolo quidem, ſi uerum amamus, ſola religionis propagandae cura facultatem dederit armis iſtos perſequendi, qui falſo cultui ſtudeant. Iuris quidem haec indoles, hic effectus, eſt, ut homines, ad eius obſeruantiam, compelli poſſint. At, ſicut uirtutis omnis, ita pietatis, natura fert, ut nihil recte uideatur actum, quod coactum ſit, neque profectum a uoluntario hominum motu, quo quidem ipſa actio humana cenſetur. Religionis, latius proferendae, ſtudium ſacra diſciplina conſtituit, non in externa ui, ſed in docendo monendoque, arguendo etiam, argumentiſque conuincendo, ſanctitatem autem non infucatam, terrore ferri, bellique impetu, mentibus neque incutit, neque extorquet. Haec ſententia ſemper, priſca populi Chriſtiani aetate, uiguit, tot ſeueris manifeſtiſque doctorum teſtimoniis comprobata. Tertullianus ad Scapulam, Sed nec religio-

Digitized by Google

ligionis eſt, inquit, cogere religionem, quae ſponte ſuſcipi debeat, non ui. Hieronymus, Paulli priorem ad Timotheum enarrans epiſtolam, Hic probatur, ait, nemini oportere ad credendum uim inferri, nec tolli arbitrii libertatem. Et Auguſtinus, Ad fidem, inquit, nullus eſt cogendus. Itaque conſilio Caroli Imperatoris calido uiolentoque uox Imperatoris, Maximiliani ſecundi, ſapientiſſima merito reclamat, Conſcientia non uult cogi. Conſcientia enim eſt iudicium mentis de actione humana. In mentem autem Deus tantum, et rationes, agunt. Eiuſdem belli, cum Saxonibus a Carolo ſuſcepti, rationem alteram adiungit Eginhardus, quae probabilior uideri poſſit. fines Francorum Saxonumque adeo continentes inter ſe fuiſſe, ut gentis utriuſque termini non potuerint diſcerni, niſi, paucis in locis, uel magnitudine ſiluarum, uel interiectis montium iugis. hinc extitiſſe cauſſas pacis quotidie diſcordia conturbandae. indidem caedes, rapinas, incendia, uiciſſim facta. eis, Francos, rebus irritatos, iniurias, non modo propulſandas, duxiſſe, ſed bello etiam perſequendas. Haec ille. Alii uero Francorum, Saxones laceſſentium, ferociam incuſant, in eiſque Albertus Stadenſis, Saxones, o-

Digitized by Google

ſtendit, non praedandi occaſione, ſed ulciſcendi, agros Francorum populari. Eginhardus ipſe, mala, ait, inferri uiciſſim, hoc eſt, utrinque. Vt neſcias fere, horum maleficiorum ab utro tandem populo, Saxonico, an Francico, initium ſit factum. At Vitichindus, Saxones, teſtatur, uariam fidem Francorum expertos. Hoc ita, iudicat, eſſe in promptu, ut, ea de re, ſuperuacaneum ſit, dicere, quam ipſi Francorum annales memoriae prodant.

Lites ex litibus ſeras, ſi proferas, quae memorentur ex utraque parte. At certius quid declarare uidetur aemulatio, quae inter potentiſſimas praeclariſſimaſque nationes has exarſit. Haec, occultis gloriae igniculis, ut fit, accenſa, amicitiam ueterem, ſed uacillantem aegreque ſuſtentatam, tum maxime euertit, cum fortuna belli Francis, Rhenum tranſgreſſis, tanta rerum dedit incrementa, ut nihil eorum uirtuti patere non uideretur. Rebus horum florentibus ſoli uidebantur obſtare Saxones, et animi, et corporis, robore praeſtantes, de quorum antiqua gloria, rebuſque geſtis, tanta erat hominum opinio, ut magna hi auctoritate apud omnes Germanos eſſent. Erant autem illi, a quibus, Theodori-

Digitized by Google

dorico, regi, quondam demonſtratum fuerat, imperio Francico ruinam imminere. Eorum uirtutem Franci, intra annos fere ducentos et quinquaginta, frequentibus bellis, multis cladibus, erant experti, ab eis etiam, quos, meminerant, poſt ſuum in Gallias diſceſſum, in ſedes, ab ſe in Germania relictas, ſuccedere, ſibi potiſſimum timebant, hoc praeſertim tempore, quo illi de ſtipendio, Francis ante pendi ſolito, recuſabant, ut colligas ex Adamo Bremenſi. Sic enim Saxones libertati ſtudent, ut pro ea et dimicare, et mori, decernant. Eodem conſilio propoſitoque tuentur maieſtatis priſcae ius, quod a maioribus acceperant, quo regna externa condiderant, quod domi foriſque praeclare factis conſeruauerant. Eſtne iam, quod miremur, tanta Saxonici nominis amplitudine et claritate, gentis uicinae, glorioſae, ſumma ſpectantis, aemulationem priſtinam nouis fodi concitarique ſtimulis, ad moram potentiae tollendam, quam Saxones, ex Germanis ſoli, Francis interponere uideantur. Sit igitur primo loco apud omnes religio, quam tamen, conſtat, ambitioni ueterum Principum interdum imperii inſtrumentum atque firmamentum praebuiſſe, ſit inuiolata iuſtitiae facultas, ius ſuum ex pacto tributorum

Digitized by Google

exigendi, ſit patientia denique quantiſuis magnis iniuriis in bellum inſtincta, omnis tamen acerbitatis, in Saxones a Francis effuſae, fons ab aemulatione uirium manabit. Aemulatione enim, in principatu, ſocietatis impatiente, facile paritur obtrectatio, quae inter quos intercedit, in his, difficillimum eſt, ueterem uſum beneuolentiamque retineri, cum, amore refrigerato, amicitiae ſimultas, ſimultati apertum tandem odium, ſuccedat. Quod, ſi unquam, Caroli certe Magni aetate, compertum eſt. Hic enim, bello in Vangionibus decreto, omnem armorum impetum in Saxoniam conuertit. Aperit *li*mites, caſtella diruit, agros uaſtat, domos incendit, praedas agit, captiuos abripit, multis repugnantes proeliis profligat, nihil denique aliud agit, quam ut Saxones funditus deleat, qui morem ſibi non gerant. Hoc cum alii tradunt, tum Albertus Stadenſis, ex quo de Caroli acerbo in Saxones animo iudicari poteſt. In eos autem tripartitum mittit exercitum, uel, ut alii ſcribunt, quadripartitum, ut eis terrorem, uaſtitatem, cladem, inferat, quibus poſſit locis

Saepius in Saxoniam mouet, multa proelia per legatos, duceſque ſuos, facit, ſecunda plerum-

Digitized by Google

rumque, ſed ad montem Sontal, cladem ingentem accipit, exercitu amiſſo, quem Saxones, duce Vitekindo, caedunt, ut Eginardus prodit, annalium conditor. Itaque, ira incenſus, uno in loco, Ferde uocant, quater mille et quingentos Saxones, uno die, carnificis manu, obtruncari, iubet. Ea Saxones ſaeuitia non comprimit, ſed ferociores reddit, ut tempus circumſpiciant facinoris huius, armis uindicandi. Duas in primis pugnas rerum euentus facit inſignes, unam in loco, cui Thietmelle nomen eſt, alteram ad Haſam, flumen, uſque ad tertium diem, ut ferunt, acerrime pugnatam. Solis his duobus proeliis Carolus, cum Saxonibus manum conſerens, ipſe praefuit, alteri, Vitekindus, aduerſus Carolum faciens. Eis autem proeliis, quae uno menſe, paucis tantum diebus interiectis, committuntur, immenſam hominum multitudinem conſumi, auctores Francici narrant. Itaque adeo fracti memorantur Saxones, ut, Eginhardo ſi credimus, amplius Regem neque prouocare, nec uenienti reſiſtere, audeant, niſi aliqua loci munitione defenſi. Nondum tamen tranſalbinos ullus terror frenare poterat, a quibus cum nihil quietum Carolus expectaret, hic, ut Eginardus in eius uita commemorat, decem

Digitized by Google

cem hominum millia ex iis, qui utrasque Albis ripas incolunt, sedibus suis excita, cum uxoribus et liberis, alio transfert, et, huc atque illuc per Galliam Germaniamque distributa, uarie dispergit, ac militum uirtute, nominis sui terrore, Saxones opprimere studet. Sed hi, ex septem annorum exilio, in patriam restituuntur, ut ipsae Tabulae Ludouici Pii docent [redacted]

Haec dum geruntur, Saxones multis temporum fluctibus obrui, multis inuolui iactarique, potuerunt, nullis autem demergi, sed cunctis e malis sese, summa animi magnitudine, semper emerserunt. Seruiunt tempori, necessitati parent, ut sapientes solent, studium tamen libertatis conseruandae nunquam deponunt, pro eaque se telis hostium, capitis dimicationi, morti denique, obiicere nunquam dubitant. Magnis animis res suas administrant, magnis utuntur auctoribus, Vitekindo potissimum, et maiestatis, a maioribus traditae, eos gerunt spiritus, qui nullo aduersariorum metu refringi possint. Aduersa belli fortuna, Vitekindus, maioribus copiis Caroli praesentis, atque instantis, cedens, non deserit se, non supplicem se dedit, non pacem, desperatis rebus, exposcit, sed trans Albim se recipi-

Digitized by Google

cipiens, aliquandiu ſiluis, ut ferunt quidam, occultatur, tempus ſui reficiendi ſpeculatur, de bello acrius redintegrando cogitat, ut, manu comparata, hoſtes, arrogantia elatos, nihilque periculi ueritos, rurſus adoriatur. At Carolus, ui conſilium praeferens, eum, quem armis ſubigere non poteſt, oratione ſibi conciliare ſtatuit, fructumque ſpei ſuae capit. Saxones deligit, quos ad Saxonem deleget, eumque, ſuaſionibus pacis, ut Eginardi docent Annales, delinitum, ad ſe perducit, obſidibus fidei regiae datis, quos ille ſibi poſtulaſſet. Addit Poeta Saxo, quod omnes Franciae ueteris hiſtorici tacent, a Carolo, miſſis eius rei cauſſa legatis, Vitekindo non modo rerum anteactarum ueniam promiſſam, ſed etiam praemia fuiſſe ſponſa. Hoc, dico, tacent ſcriptores Francici, inuidia ſine dubio ducti, ne quid de magnitudine Caroli decedat. Nec uero dubitandum eſt, quin, eo Caroli facto, hominum opinio de Vitekindo multum ſit aucta, eiuſque honos, apud Francos perinde, atque apud Saxones, non mediocriter amplificatus. Sic Vitekindus, uictoris humanitate mitigatus, ad Carolum proficiſcitur in Franciam, et, ſacro fonte, in uilla Attiniaco, una cum ſociis ſuis, tingitur, ut, praeter eundem Eginar-

dum, Annales Bertiniani, Metenſeſque, teſtantur

Ac Vitekindus quidem fidem, Carolo datam, ſeruat, neque ullum dignitatis ſuae detrimentum facit, ſed, et, honoris cauſſa, ipſis Caroli manibus, e ſacro, quem modo diximus, fonte, ut Chronicon Moiſſiacenſe confirmat, ſuſtollitur, doniſque magnificis honoratur, et, quantum apud hunc Regem gratia, tantum apud alios auctoritate, creſcit. Ipſe mos Saxonum, de quo ſupra meminimus, ferebat, ut, qui rexiſſent exercitum, bello confecto, ad priorem conditionem redirent, ciuilique modo ſe continerent. Itaque Vitekindus, bello compoſito, Ducis contentus eſt dignitate, ſed, iuri, Saxonibus trans Viſurgim dicundo, praefectus, et aliis ornamentis affectus, amplitudinis ſuae, quam ipſis in Francis obtinet, cunctis, Regis de tanto uiro opinionem, honorificentiſſima, ac multiplici, teſtificatione declaratam, ſecum reputantibus, ſigna dat haud obſcura. Hanc principis, non minus re, quam nomine, quondam Magni, qui religione potius, quam armis, uincitur, gloriam poſterorum fortuna, Germaniae iudicia, gentium admiratio, confirmant. Eius enim

Digitized by Google

enim posteri, ex ubertate praestantiaque generis sui, non modo Germaniae, sed etiam terrarum, Principes Orbi repraesentant. Hos Germania, rerum, inter gentes maximarum, potita, cunctis Proceribus suis antefert, his rerum summam defert, horum uirtute patriam tutatur, principatum in Europa tenet, imperii fines propagat. Gentes autem nationesque Vitekindi memoriam in gradu, tam excelso, locant, ut Principum suorum origines a stirpe Vitekindea repetant, ex eaque commentarios familiarum, Germanicarum, Gallicarum, Italicarum, contexant, propterea, quod, his incunabulis, nihil magnificentius ducunt

Vitekindus autem, quanquam in amicitia Caroli manet, eiusque sententiam Saxones non pauci sequuntur, haud omnes tamen ex eadem gente sentiunt idem, sed alii Christianis sese sacris adiungunt, in eorumque cultu stabiles permanent, alii ea, uel recipere nolunt, uel recepta breui deserunt. Quare, animis uarie affectis, Saxones, aliquandiu quieti, bellum renouant, ad pristinam superstitionem reuertunt. Hoc saepius faciunt, saepius multati potius, quam perdomiti. Postremo annus supra octingente-

Digitized by Google

simum quartus belli, tam funesti, malis finem imponit. Tum enim Carolus, ut hostibus tumultuandi diutius facultatem adimat, multa hominum millia, sicut supra significauimus, ex eorum numero, qui ripas Albis contingunt, de sedibus patriis dimota, in peregrinas, multarum regionum, deducit. Eam multitudinem, uiri, locorum periti, declararunt, in Geldriam, Brabantiam, Flandriam, Hollandiam, traductam fuisse. Ex eisdem Saxonibus, arbitrantur non nulli, quosdam a Carolo in Transiluaniam amandatos fuisse, nullis tamen auctoribus antiquis. Itaque malunt alii, in Daciam, ex bello *Hunniaco*, eos peruenisse Saxones, qui sub Carolo in Pannonia militauerint, ex eaque militia, qua simul deuicta fuerit Dacia, in hanc concesserint habitatum. Sunt denique, qui partem horum exulum trans Alpes Romam, scribant, deportatam, eique domicilium ad aedem D. Petri datum, in eo loco, qui nomine ueteri Saxonum uicus, nouo Saxia, uocetur. Eos autem Saxones, qui colebant ad Albim fl. Carolus sibi maxime infestos cognouerat, solicitantes quoque alios, ad morem cultus pristini reducendum, ut Annales Metenses referunt. Aberant enim longius a finibus Francorum, cumque, libertatis patriae

Digitized by Google

triae oppido retinentes, nihil pro ea conſeruanda non auderent, arma ſaepe, cetera Saxonia iam pacata, corripiebant. Hoc fidentius eam rem gerebant, quod, aduentantibus Francorum copiis, impendentem tempeſtatem, ſcirent, euitare, expeditum, ad Slauos Danoſque, receptum habentes, ubi eſſent in tuto, uſque ad hoſtium diſceſſum. His Albis fluuii accolis alio aſportatis, cum magno Carolus gaudio in Franciam remigrat, ut commentarii Moiſſiacenſes notant

Mutatur autem Saxoniae ſtatus, republica domi bellique uni tradita, quae penes multos fuerat ante id tempus. Haud tamen res in eum deducitur locum, ut omnis Saxonum terra, antiquo Romanorum more, in prouinciam a Carolo Magno redigatur. Hoc dicitur quidem in Diplomate Bremenſi aeque, ac Verdenſi. Sed horum Codicillorum uterque hominibus, Carolinae ſcripturae peritis, iam pridem ſuſpicionem praebuit fraudis. Ac Diploma quidem Bremenſe ab Adamo Bremenſi uenditatur, ſed longo poſt Carolum interuallo. Nec uero Adamus archetypam uidetur inſpexiſſe Tabulam, ſed exemplar tantum diuiſionis, quod, ex Praecepto Regis deſcriptum, Bremae aſſeruetur.

Digitized by Google

At hoc apographum quam exploratae ſit fidei, coniicias ex alia Diplomatis eiuſdem forma, quam Henricus Volterus edit, multis modis diuerſa ab recitatione Adami Bremenſis. Vt omittam cetera, Adamus ille, Terram, ait, eorum, Saxonum, antiquo Romanorum more, in prouinciam redigi. Volterus, Terram ipſorum, Saxonum, ſecundum antiquorum Romanorum morem, in prouincias redigi. Haec, in re ſimili, ac potius eadem penitus, ut diſſimilia ſunt, et oratione, et mente. Paullo cautius poſteriorem Diplomatis Bremenſis ſcripturam exprimit Verdenſe, Terram Saxonum, ſecundum antiquum Romanorum morem, in prouinciam redigi. At ſagacioribus in hac quoque herba latet anguis, quem prudentiores obelis ſuis configunt. Conſideremus id, quod res eſt. Quid hoc ſibi uult, in ipſa Diplomatis Bremenſis ſententia, Antiquo Romanorum more, omnem Saxonum terram in prouinciam redigi. More Romano, uictis domeſticae leges adimebantur, Romanae dabantur, addito praetore, qui prouinciam, ex legibus recens quotanniſque datis, adminiſtraret. At Carolus Saxones, non, bello domitos ſubactoſque, pacauit, ſed, pactione conciliatos coniunctoſque, ſibi placauit, neque leges

Digitized by Google

leges patrias Saxonibus ademit, Francicas pro his dedit, sed patrias reliquit. Magistratus quidem dedit, idque ex pacto. Sed eos, qui ius dicerent ex legibus Saxonicis, non Francicis. Immo uero a Francico magistratu haud excluſit Saxones, quos, Poeta uetus in Annalibus Carolinis demonstret, honoribus amplis a Carolo donatos fuisse. In his autem honoribus quodnam munus amplitudinis habere poterant Saxones, si primores eorum, qui, more maiorum, domi magistratibus, ac iudiciis, praeesse consuessent, nullum in his iudicibus legatisque, quos Rex imponeret Saxoniae, obtinerent locum, qui tamen hoc cum Francis consociati essent foedere, ut semper uni Regi, aequalis obsequii lege, parerent. Hoc ipsa pacti singularis celeberrimique formula, apud Eginhardum, Poetam, in uita Carolina, alioſque ueteres, confirmat. Num quid aliud tibi uis. Nondum enim, uides, a me quicquam de libertate, publica priuataque, quam Saxonibus reliquerit Carolus, dictum fuisse. Haec libertas una, praesertim auita, seruitutem prouinciae, securibus Romanis subiectae, repulerit, et oppresserit, iure solo solemnia Francici, extra Germaniae fines, regni comitia frequentandi

Proin-

Proinde Saxonia iugum Franciae non recipit, ſed libertati ſuae relinquitur, et, Francis arcta ſocietate coniuncta, unum cum eis populum efficit, ut Eginardus dicit, ex eoque Adamus Bremenſis. Hac Vitichindus mente, Saxones, oſtendit, olim ſocios amicoſque Francorum, fratres eorum iam fieri, et unam quaſi gentem. Ea uero, quae adeo breuiter ab aliis decurruntur, ut res, memoria digniſſimae, praetermittantur, unus ille Poeta, uitae Carolinae ſcriptor, qui aetate Arnulphi Imperatoris uixit, diſtincte pleneque enarrat, ob eam nobis rem multo pluris, in tanta Francicorum ſcriptorum uel inuidia, uel negligentia, faciendus, et haud quaquam praetereundus hoc loco. uniuerſam Veſtphaliae nobilitatem ad Carolum, id temporis Salzae ad Salam fluuium commorantem, confluxiſſe, cum eoque in has leges pactam. ut ſacra Chriſtiana ſuſcipiantur. ne quod Francis tributum pendatur. ut ſolae decimae, quas ipſum fas diuinum ſacerdotio quondam addixerit, antiſtitibus ac ſacerdotibus, qui doctrinam Chriſtianam tradant, ſoluantur. uti Saxones in libertate ſint priſtina, et legibus moribuſque ſuis utantur. uti iudices legatique Regii populo praeſideant, ab eis tamen ius ſecundum patria Saxo-

Digitized by Google

Saxoniae inſtituta reddatur, nulla fraude libertatis. ad hunc modum, inter Francos et Saxones, perpetuae pacis foedus percuti, tamque arctum, ut duobus ex populorum generibus unum iam confletur, idemque, uinculo et concordia ſocietatis perfectae deuinctum, communi atque aequali Regis unius imperio temperetur. Haec ille. Quibus declaratur, Saxones in parem iuris libertatiſque conditionem, atque ipſi fuerint Franci, receptos fuiſſe. Tali modo Saxones fiunt regni Francici membra aequaliter digna. Itaque non ipſum modo ius ciuitatis habent, ſed etiam comitiorum, quae obeunt aeque, ac Franci. Hoc, ne plura, Aquiſgranenſis conuentus Tabula, Capitulare Saxonum uocant, de Saxonibus, ad gentis concilium uenientibus, in eoque cenſentibus, aperte poſteris prodit. Tanti autem hoc refert, ut neceſſe non habeamus, cetera de comitiis Saxonum prouincialibus commemorare, quae, ſcimus, ex Carmine Paderbornenſi, et aliunde relicta Saxonibus fuiſſe, ſed auſpiciis Caroli M. coramque legatis eius, qui gentis conuentui praeeſſent. Ad comitia Francica reuertor. Horum, ut conſtat ex Hincmaro Rhemenſi, aliiſque monimentis Francicis, duo fuerunt genera, alterum maius totius po-

Digitized by Google

puli, alterum minus aliquorum ex principum, seu primorum, ordine delectorum, utrumque quotannis peragendum. Coacto maiore concilio, de bello, pace, foederibus, legibus, aliis praecipuis totius regni negotiis, consultatur. Minore concilio, praeparandis mature consiliis, agitantur res, quae, in communi gentis conuentu, definiendae sint, et auctoritate publica sanciendae. Et, quoniam Saxones horum iure conciliorum gaudent, non minus his, quam Francis, de republica, ac rebus, eo pertinentibus, dicundae sententiae suus est locus. Hi enim ueri sunt ciues, in ciuitatem Francicam pacto ascripti, et, huius ciuitatis iure, participes fiunt comitiorum Francicorum. Verus enim ciuis est, qui ius habet, ad comitia ueniendi, in eisque de republica censendi, cum facultate suffragandi ac iudicandi. Sunt autem partes reipublicae potiores, quae tractant negotia, belli, pacis, foederum, tributorum imponendorum, legum ferendarum. Harum iura rerum pertinent ad ciues, proprie dictos, sed eis ciues, mere subiecti, carent. Itaque, conuersa quondam republica, apud Romanos ciuis unus erat Augustus, proprie dicendus, cui, si quaeris mirarisque, suas suffragandi partes ceteri dedissent, ob eam-

Digitized by Google

eamque cauſſam facti eſſent ciues tantum ſubiecti. Contra ea, Saxones apud Francos locum obtinent ciuium uerorum, ſingulari pacto in ciuitatem Francicam recepti, quae, Carolinis adhuc temporibus, antiquum ius, in rerum ſumma conſiliis ac ſententiis publice adiuuanda tuendaque, retinuit. Reges enim Franciae, primae, ac ſecundae, familiae, ſumma quidem auctoritate, nunquam tamen infinita poteſtate, in Gallia Francica fuerunt. Summam enim poteſtatem habebant ex parte, ſed auctoritas, potiorem partem, penes Ordines erat. Sic enim Francorum moribus erat inſtitutum, ut, cum maiores res in deliberationem caderent, proceres ſacri ciuiliſque ordinis, et delegati a populo, conuocarentur, cum eiſque conſilia, in publico, ſub dio, caperentur, et eorum ſententiis cauſſae definirentur. Olim enim in regno huius Galliae nihil magnum, niſi conſenſu populi, potuit agi. Sub Hugone Capeto, eiuſque ſucceſſoribus, auctoritas Procerum minuta eſt, ac poſtea, ſub Borboniis, Ludouico XI, ac XIII, maxime XIV, adeo fracta, uti, mutata iam republica, atque in poteſtatem Regiam permiſſa, conuentus antiqui intermitterentur. At priſtinum gentis inſtitutum Carolus quoque ſeruauit. Quanquam uirtute fortunaque ſua tantum

Digitized by Google

conſecutus uidebatur, ut ipſius nutu omnia geri poſſent, ea tamen uſus eſt aequitate, ut ciuibus libertatem iuſque uetus relinqueret, in ſolemni gentis concilio, ſecum de republica ſtatuendi. Itaque, in pragmaticis, quas opus Baluzianum e ſcriniis antiquis promit, Tabulis, ipſe profitetur, ea ab ſe auctoritate publica ſanciri, quae placuerint, in conuentu procerum deliberata prius, ac diiudicata. Imitatus patrem, Ludouicus Pius, in conuentu Francofurtano, de rebus, ad Regnum pertinentibus, more ſolemni cum Optimatibus deliberat, anno item inſequenti, in eodem loco, cum Proceribus, in quibus Saxones ſunt, ut Annales Bertiniani teſtantur. Idem Comitiorum ius ad poſteros tranſit. Caroli autem Magni aetate Saxones ad comitia, ut ueri ciues, cum iure ſuffragandi ac ſtatuendi, uentitant, ſed eo, dum Franci rerum in omni Germania potiuntur, nulli praeterea Germaniae genti patet aditus, quippe, cum nulli tum Germaniae populi libertate penitus uſi, et nulli Francicae ciuitatis iure praediti, fuerint, niſi ſoli Franci, et, quibus iuris eius copia eſt facta, Saxones, in ciuitatem Francicam ſuſcepti. Hoc, ne patriae nimium tribuere uidear, iudicio Hermanni Conringii, auctoris ſane locupletis, pronuntio, ut, diſſenti-

re

Digitized by Google

re cui libeat, is ſciat, quicum ſibi res futura ſit. Diſpari quidem conditione fuerunt Saxones, trans Albim ſiti, quibus Carolingi adductius imperitarunt, regni Francici patrimonio aſcriptis. Sed horum dignitatem aequitas Saxonicorum, ex progenie Vitekindea, Imperatorum, antiquis meritis tributa, poſthac aſſeruit, ac liberaliter beneficiis auxit. Eiuſdem quoque populi, auitae laudis memoria ad aemulationem excitati, uirtus, rebus geſtis ſpectata, adeo rurſus eluxit, ut ea non modo fines Saxoniae, qua uergunt in Septentriones, ab omnibus externarum gentium defenderit iniuriis, ſed eos etiam ultra Egidoram, ueterem Carolini regni limitem, protulerit, et Germanicum nomen multis praeclariſque factis illuſtrauerit

Haec rerum Saxonicarum commutatio uim coeleſtem luculentis argumentis oſtendit, quae, gubernans atque emendans humana, mentes indomitae gentis ſubeat, et arcanos eis admoueat ſtimulos, ut eae, religione peruerſa atque impia ſolutae, meliori ac puriori cultui ſe tradant. Eadem Dei prouidentia flexit Carolum, ut, quod armis non poſſet, manſuetudine experiretur, et gentis, aſperae bellis, duritiem bonitate molliret

Digitized by Google

ret. Itaque Vitekindum humanitate ſua cepit, et alios de Saxonibus manſuetudine, alios munificentia, allexit, ſibique deuinxit. Complures opibus locupletauit, amplis honoribus ornauit, praediis etiam Galliae copioſis donauit. *His* primores rebus adiunxit ſibi, eoque facilius ceteros traxit. Tradit id Poeta uetus in uita Caroli, atque hoc amplius, plus Regis huius [illegible] te, et munificentia, quam terrore, bellum [illegible] nicum fuiſſe compoſitum. Ita Saxones, diuino nutu mitigati, atque emendati, longe praeſtantius quiddam conſequuntur, ipſa libertate, [illegible] retinent, diu fortiterque uindicatam. *Ad uerum* enim Deum traducti, ſeruitute multo turpiſſima, atque aeterna, impuriſſimorum daemonum liberantur, qua ſuperſtitio, tot ſaeculis inueterata, eos tenebat, adeo foeda, adeo tetra, ut iidem illi, noua Chriſtianorum uoce, paganiſſimi dicerentur. Ea re fit, uti uera potiantur ac beata libertate, quam Chriſtus, aſſertor hominum, terris ita diuinitus affert, ut eam cum hereditate, adoptatis Dei liberis inter ſuperos cernenda, coniungat. Nec uero Saxones fiunt ſeruilis acceſſio uictoris populi, ſed pars ciuilis reipublicae Francicae, cuius in ſocietatem ipſamque fraternitatem, ut Vitichindus Corbeienſis

Digitized by Google

ienſis docet, aſciti, noua iam dignitate creſcunt. Cum enim Francico regno, quod a Carolo Magno in ipſum Imperii Romani faſtigium effertur, Gallia, Germania, Italia, comprehendatur, eoque nihil florentius, nihil excellentius, exiſtimetur, eius ſane regni honos magnus non potuit in eos non redundare, qui locum ciuium, cum Francis communem, in eo tenerent. Proinde Saxones, cum Carolo, inter Proceres utriuſque ordinis nobiliſſimos, de republica deliberant ac iudicant, bellatum eunt, aciem inſtruunt, hoſtes pellunt, uictores diſcedunt, ingentiumque operum, quae edit Rex, omnis memoriae clariſſimus, non modo ſpectatores ſunt, ſed etiam fortiſſimi fidiſſimique adiutores. Haec autem digna ſunt maieſtate, quam a maioribus acceperunt, haec illorum uirtuti conſentanea, qui maiorum gloriam aemulantur, haec non magis ipſorum quam uniuerſae Germaniae decora. Atque haec quidem hactenus de Saxonibus, ſub imperio Francorum.

Iam Saxonica maieſtas ad gradum tam altum aſcendit, uti non habeat, quo longius procedat. Ipſi enim Germaniae, ipſi Imperio Romanogermanico, praeficitur, tanta cum dignitate

Digitized by Google

tate nominis ſui, ut Saxonicae uirtuti non modo regnum Italiae, ſed Romanum etiam Imperium, cum Germania coniunctum in perpetuum, debeatur. Ac primum quidem, ſi uirtus ſumma ueram maieſtatis cauſſam continet, quantum tandem maieſtatis lumen in eo Germaniae iudicio eluxerit, quod de Ottone, magno Saxonum Duce, quondam factum eſt. Huic enim Germani, Ludouico extincto, ſummam rerum deferunt, quam ille, ſibi delatam, ſenectutem excuſans, etſi non accipit, tantum tamen apud proceres ualet, ut hi, quem ille probauerit, hunc deligendum ſibi demum Regem, ducant. Conradus igitur Francus, Ottonis commendatione lectus, tantum huic tribuit, ut eum, in omni procuratione reipublicae, conſilii principem habeat. Ita penes Ottonem, propter eximiam auctoritatem, ſemper et ubique uiget imperium, ut Vitichindus ait. Quid huic ergo Ottoni, ad honorem ſummum, defuerit, praeter nominis regii ſplendorem, quem tamen lux uirtutis, in prudentia, magnitudine animi, modeſtia, ſplendens, facile uicerit

Hic eſt ille Otto, qui, cum Arnulfo Imperatore, in Italiam, contra Vidonem, profectus

ctus, Mediolanum recepit, aliaſque res geſſit. Apud Arnulphum enim praecipuum tenuit amicitiae locum, parique gradu fuit apud filium eius, Ludouicum. Huius ſororem habuit in matrimonio, Hatuuigin, alii recentiore fide Luitgardam dicunt, natam ex Arnulpho Imperatore, Ludouici Pii, per Carolomannum, et Ludouicum Germanicum, neptem. Qua ſtirpi Carolinae coniunctus affinitate, apud Germanos auctoritate multum potuit, nec minus apud ipſos Reges. Itaque, extincto Arnulpho, penes eum, et Hattonem Moguntinum, rerum ſumma fuiſſe traditur, et ipſe, cum eodem Hattone, Ludouici, pueri, tutelam geſſiſſe, atque excellentiſſimus Dux exiſtimatus. Erat autem hic apud omnes eximiae dignitatis, propter honeſtatem morum, prudentiam in rebus decernendis, nobilitatem generis, et belli uictoriarumque famam, ut in uita Mathildis relatum legas. Quam quidem ei laudem facile iudicium confirmauerit Germanorum, qui, poſt obitum Ludouici, cunctis eum ſuffragiis regno deligunt. Hanc Germaniae conſenſionem non mirari non poſſit, qui ſciat, quanta morum licentia, rerumque perturbatio, in haec inciderit tempora, quibus ſanctum fere nihil eſſet, ut Salomo queritur, Con-

Digitized by Google

ſtantienſis antiſtes. Tantum enim diſcordiae malum in rempublicam inuaſerat, uti, diſſoluta uitae diſciplina, ſuae quiſque libidini indulgeret, eoque magis, quod Regis eligendi ius adhuc erat liberum, omniumque Procerum commune. Otto tamen, Saxonum Dux, in locum Ludouici mortui, a quo ipſo adhuc uiuo dicitur Rex electus, ab omnibus, ut ait Otho Friſingenſis, expetitur, ſed Princeps clariſſimus Rex fieri recuſat

Appetit nunc tempus, quod fortunae Saxonum dignitatique tam altum imponit *faſtigium*, ut maieſtatis uim ne capiat quidem, qui maieſtatem quandam ſingularem, ac Germaniae glorioſam, in nomine Saxonico non cognoſcat. Magnum agnoſcas, quem imperio dignum hoſtes ipſi, meritis ſuis magni, iudicent, ſicut Henrico, Saxonum Duci, Ottonis filio, uſu uenit. Hunc enim Conradus, Rex Germaniae, infelici bello expertus eſt, ſed eum nihilo ſecius proceribus cunctis anteponit. Itaque eum, ſupremo uitae tempore, fratri ſuo, Euerardo, antefert, et ſucceſſorem ſibi mortuo dari cupit, idque perſuadet Principibus, ad ſe accitis. Henrico autem quantum iam maieſtatis acceſſit, cum, nondum

Digitized by Google

dum adeptus regnum, libera poteſtate primus apud Saxones regnat, ut Vitichindus loquitur. Hoc eſt, tantam tenet in finibus ſuis poteſtatem, ut eam non habeat, a Conrado, Rege, mandatam ſibi tantummodo, ſicut fieri tum ſolebat, ſed in ipſo terrarum ſuarum iure fundatam. Sic enim Henricus, regni iam potitus, ipſe id, quod apud Vitichindum praeciſe dicitur, plenius explicauerit uoce ſua. Hic enim, ut Auentinus tradit, cum Arnulpho, Boiorum Duce, qui parem, ac quondam Henricus idem, regnandi libertatem ſibi uindicabat, pactus, Quid nunc aliud tibi uis, inquit, quod ad ſupremam territorii tui poteſtatem deeſſe poſſit

Haec autem libera poteſtas, qua primus regnare dicitur Henricus, etſi ingentem declarat eius potentiam, eius tamen origo potentiae altius repetenda omnino uidetur. Teſtatur Vitichindus, has opes Henrico ab Ottone patre relinqui, eaſque tantas, ut, eas, noluerit Conradus, Germaniae Rex, integras a filio retineri. Timebat enim ſibi ab aemulis Saxonum uiribus, eaſque, ducebat, omnibus rationibus infringendas. Itaque, Ottoniani in ſe meriti immemor, Henricum dignitate paterna ſpoliare parabat,

Digitized by Google

dolo etiam necare. At Saxo neque terrore frangi poteſt, neque bello. Victor enim in plenam ſeſe aſſerit libertatem, et libere, in Saxonia Toringiaque, regnat, auctoritate Regia, nomine Ducis, modeſtia uim ſuperante. Ex qua filii potentia Patris magnitudo elucet. Sed hanc Ottonis Ducis magnitudinem, ſuis gentilitiiſque incrementis quaeſitam, qui tandem poſſis intelligere, ſi reſpicias Caroli M. inſtitutum tollendi Duces, quos ſuperior aetas reliquerit. Hi uero, utraque in Francia, Gallica atque Germanica, et multi fuerunt, et potentes, quos Merouingi Reges, diuiſione uirium, negligentia *regni*, ſocordia, indulgentia in proceres, debilitati, coercere non potuerunt. At iſtos Duces ſummouit Carolus, quorum potentiam rerum ſummae cenſebat obniti, haud ideo tamen omnes. Vt alios omittam, ipſi quidem Saxones retinuere Duces ſuos, ut dicam. Fallitur ergo, multoſque fallit, Helmoldus, ab Adamo Bremenſi deceptus; cum Saxoniae Duces ante Hermannum Billingium adimit, ut alii, rerum Saxonicarum ſcientiores, iam docuerunt. Aetas, Carolum inſecuta, complures numerauit Duces. Eius enim poſteri, prodito ſemel per Ludouicum Pium Imperii diuidundi exemplo, ad regnum ſaepius

Digitized by Google

pius partiendum deſcendunt, ac, degenerantes a ſapientia Caroli, odiis ac ſimultatibus fraternis, belliſque domeſticis, fortunas ſuas affligunt, proelio denique Fontanedenſi uires ſuas exhauriunt. Cum, republica diſſidiis ciuilibus diſtracta, amicos partium ſuarum quaerere, neceſſe habent, hos in ciuibus potiſſimum ſuis reperire ſibi uidentur, eoſque, ſtudent, nouis beneficiis uel conciliare ſibi, uel deuincire. Quin etiam quorundam opes, his in turbis collectas atque exaggeratas, extimeſcunt, eoſque, uel minus bene animatos, muneribus pellicere coguntur, uel elatius ſe gerentes reprimere non audent. Quibus rebus fit, ut ex Comitibus, ac Principibus, locupletatis noui Duces exiſtant, hique tantum conualeſcant, ut ipſis deinde Regibus incutiant metum. Ad ueteres igitur Duces adduntur noui, pluribus de cauſſis. Saxones autem, qui Duces iam ſunt antiquiſſimi, et reliquos uirtute praecedunt, ex publicis fatalibuſque Francorum ruinis creſcunt, uel quieti uires reficiunt, uel, diſſidentium depugnantiumque Regum partibus adiuncti, magna militiae auctoramenta praemiaque capiunt. Nec uero temere ſibi deſunt, ubi uel hoſtes pulſi praedae copiam faciunt, uel eis, de patria bene merentibus, alius datur fortu-

Digitized by Google

nae ac dignitatis amplificandae locus. Quo ſpectatiore autem ſunt uirtute, hoc maiorem apud Reges ineunt gratiam, eaque magna illa facile conſequuntur, quae ſibi proponunt. Ex his Ottonem illum, qui Magnus Dux uſurpatur, cur non magnis rebus affecerit illa uirtus, quam ſignificauimus, Arnulpho Imperatori, ac Ludouico quarto Regi, perſpecta. Huius Ottonis patrem, qui Vitekindi M. ex Vicberto F. pronepos fuit, Ludolphum, nominat Ducem Saxoniae Gobelinus Perſona, eundemque, cum elogio praeſtantiae, Ducem Saxonum Nobiliſſimum dicit Albertus Stadenſis. At hic Ludolphus, qui ſub Ludouico Germanico meret, magna ab eo dona ornamentaque habet, quae Roſuuida narrat. Eadem dignitate fuerunt, ſuperiore tempore, huius Ludolphi pater, ſecundum Albertum Stadenſem, Valbertus, auuſque Vicbertus, quos Duces Saxoniae uocat, et laude Chriſtianae pietatis afficit, idem Albertus. Sed, quoniam Ducatum Saxoniae difficillimis tenent temporibus, hac ipſa rerum difficultate uirtus eorum amplitudoque illuſtratur. Ea uero generis, ex Vitekindo propagati, ſucceſſio, cum per longam Carolidarum aetatem producatur, abunde declarat, opes Stirpis Saxonicae non ab Ottone

Digitized by Google

tone illo primum fuiſſe partas, ſed multo antiquiores eſſe. Potuit hic, qui prudentiſſimus Saxonum Dux a Luitprando appellatur, cumulum adiicere opibus maiorum, ſed, ipſi hi, dubitandum non eſt, quin amplas iam ſibi fortunas comparauerint, magnamque apud omnes auctoritatem. Hinc Ottoni, Duci Magno, ſua maiorumque gloria praeſtanti, data conditio Luitgardis, quae Arnulpho Imperatore nata erat, in matrimonium ducendae. Hinc Ludouici, non quarti, ut multi dictitant, ſed eius, quem Ludouicus Germanicus procreauit, conſilium, Luitgardam, Ludolphi Saxonis filiam, Ottonis Ducis ſororem, nuptiis appetendi. Henricus igitur Saxo, Ottonis filius, quem Saxonum et Toringorum Ducem praepotentem dicit Luitprandus, cum tantas opes, a patre maioribuſque traditas, accepiſſet, talis cenſeri uoluit, qualis fuit, primuſque regnum liberae poteſtatis init. Quam quidem eius potentiam Conradus Francus non uidit modo, uictuſque ſenſit, ſed eam fratri etiam ſuo praedicauit inuitus, cum diceret, fortunam nunc penes Saxones eſſe, ut Vitichindus refert

Henricus idem tantis ualet opibus, uti Conradus, Rex, uereatur, ne, uiribus a cetera Germania

Digitized by Google

nia ſeiunctis, ſeparatas habere rationes uelit. Iamque cedit ipſe non Henrico ſolum, ſed etiam Saxonum magnitudini, quorum fortunae, fratri demonſtrat, eſſe cedendum. At Henricus ipſe quanti Regis inſtar praebet operibus, quae facit. Haud princeps, ut uulgo tradunt, urbes in Germania condidit, ac ne in Saxonia quidem, compluribus tamen hanc Toringiamque excoluit, atque muniuit. In re militari multa non ſolum meliora fecit, ſed noua etiam attulit, ludis equeſtribus nobilitatem, ad belli uſum, exercuit, Lotharingiam recepit, Dalemincios in Miſnia, Sorabos apud nos, et aliis *in locis*, oppreſſit, Hungaros compeſcuit, inſigni Germaniam infamia tributi liberauit, et ordinatae reipublicae laudem magnam praecipuamque ſuſcepit. Italiam non adiit, cumque Romam proficiſci extremo tempore ſtatuiſſet, itineri fatum interceſſit. Neque tamen non magnum nomen apud Italos cepit, ex ea maxime re, quod Danos, nemini ante ſubiectos, ſolus ipſe debellauit, tributarioſque fecit, ut Luitprandus ait. Sed patre magno maior eſt Otto, cuius tantam poſteris potentiam Vitichindus prodit, ut eius maieſtatem non modo Germania, Italia, Gallia, ſed ne tota quidem Europa fere, ſuſti-

Digitized by Google

ſuſtinere poſſit. Hic, redactis in ordinem Principibus, qui, Carolinae ſtirpis opinione inflati, rerum ſummam Saxonibus inuiderent, Saxonicam aſſerit dignitatem, Bohemos perdomat, Hunnos ad Lycum ita delet, ut eos poſthac timere Germani deſinant, Lotharingiam Germaniae adiicit, et Alpes tranſit, cum tanta rei geſtae gloria, quantam ex Germanis tulit nemo. Teſtis Italia, teſtis illa, ueteris Imperii ſedes, Roma, quarum utraque potitus, Otto utramque tam arcto cum Germania uinculo coniungit, ut in perpetuum, quicunque a Germanis Rex Germaniae fuerit electus, idem, eodem tempore, et Rex Italiae ſit, et Caeſar Auguſtus. Regnum enim Italiae, ipſumque Imperium, res natura ſua diuerſas, non Carolo M. ut multis uidetur, acceptum referimus, ſed huic Ottoni. Neutrum enim accepimus a Francis, qui tum habuere neutrum, ſed utrumque Germanis, auſpicio Ottonis Saxonis, iure belli partum eſt, utrumque Langobardis ereptum. Nec uero pactio, cum S. P. Q. R. inita, neceſſitatis fuit, quaſi ea demum quaeſitum ſit Imperium, ſed pactionis modo, qua Romani fidem ſuam obſtringerent, huic Imperio praeſtandam. Ergo Imperium hoc [illegible] eſt, ut opinantur multi, a Francis ad Germanos, neque tradi-

Digitized by Google

tum ab Arnulpho Imperatore, poſt quem rerum potiuntur Langobardi, ſed primum ab Ottone, Langobardorum uictore, acquiſitum. Quo quidem glorioſe facto dignitatis apex, non modo inter gentes humaniores, ſed inter ipſos etiam Barbaros, conſequendae, continetur, adeo, ut ad eius ſocietat[redacted]riae nulla gens admittatur, praeter [redacted], qui tanta meriti, tanta nominis, ex[redacted] ſine uanitate gloriantur. Res igitur, quas in Italia geſſit Otto, magnificae ſunt, et admiratione poſterorum dignae. Adducto etiam in Campaniam exercitu, tributa imperauit, Graecos profligauit, Neapolin ipſam obſedit. Apuliam tamen Calabriamque, ab Ottone hoc finibus adiectam, incrementis Imperii dare, ſine antiqua fide non auſim, quanquam id multis placet. At ſcriptor ille Salernitanus, quem Camillus Peregrinus edidit, utramque, memorat, prouinciam ab Ottone Io. Tzimiſci, Byzantino Imperatori, ex pacto relinqui. Exploſa eſt iam pridem fabula Ioannis Sialandici, antiquum Saxoniae regnum ad Danos fuiſſe traductum. Conſtat, e contrario, Daniam Ciſmarinam, quae ponitur in Cherſoneſo Cimbrica, Iutiam dicunt, et quae Saxonibus antehac paruit, Ott[redacted]armis receptam fuiſſe, ipſamque ſimul Dani[redacted] ceteram Ger-

Digitized by Google

Germaniae fiduciario iure deuinctam. Haraldus enim, acie uictus, acceptis conditionibus, Ottoni ſubiicitur, nec regnum modo ab eo, ſed etiam ſacra Chriſtiana ex pacto, ſuſcipit, ipſe autem Otto Regnum Danicum ditione ſua tenere dicitur, in eoque dignitates antiſtitum donare. Haec Adamus Bremenſis, et Albertus Stadenſis, tradunt, et ipſae Ottonis Tabulae, eam in rem, proferuntur. Multis Otto multarum gentium, nec modo Graecorum, ſed etiam Saracenorum, legationibus muneribuſque colitur, magnus cunctis admirabiliſque uiſus. Patris exemplum ſecutus, Otto II, rebus Germaniae compoſitis, Lotharingiam, Francogallis ademptam, Germaniae reſtituit, Danos, qui defecerant, ad officium redire cogit, nec minus patrium ius in Italiam Latiumque, uirtute praeſentiaque ſua, uindicat, in ipſam quoque Calabriam atque Apuliam progreſſus, ingentem Graecis terrorem infert. Quanquam, Romanorum, ac Beneuentanorum, perfidia, in calamitatem incidit, hanc tamen cladem tanta uirtute deinceps ulciſcitur, ut Saracenos, qui Graecos adiuuerant, ad internecionem caedat. Eoſdem prius, comes adhuc paternae militiae, afflixerat, quantuſque Barbarorum terror euaſerit, ex eo quoque cognoſci-

Digitized by Google

tur, quod, teſte Ottone Friſingenſi, Pallida Mors Saracenorum dictus eſt. Quid Reipublicae non promiſerit Otto III, cuius pueritia tantam indolem, tantamque ſapientiam, quae praecurrat aetatem, oſtendit, ut ipſe Mirabilia Mundi uocaretur, quod antiſtes idem Friſingenſis teſtatur. Ac domi quidem magna aequitate ac prudentia res conſtituit, Romam uero profectus, cum lenitate parum proficeret, ea ſeueritate uindicauit auctoritatem ſuam, ut, Vrbe oppugnata captaque, ſeditioſos ſupplicio atque exilio multaret. Hic falſo traditur auguſto Septemuirum Germanicorum Senatui, quem quidem ipſe, ſuaſore Gregorio Pontifice, inſtituerit, ius Imperatores creandi ſanxiſſe. Quem enim fugit, Imperatores, hunc inſecutos Ottonem, non tantum a ſeptem Principibus, magniſque Germaniae Ducibus, ſed, more maiorum, ab aliis ſimul Proceribus, in ſolemni Ordinum omnium concilio, electos fuiſſe. Itaque hoc eligendi ius, quo Septemuiri inter Principes excellunt, multo ſerius eſt, et poſteriore demum ſaeculi tertii decimi aetate, in Annalibus apparet, ab eoque nominantur Electores. Ius tamen auitum, cuius, bello Germanis quaeſiti, Lege perpetua, Otto M. iuratam Romanorum fidem obſequiumque, deuin-

Digitized by Google

deuinxerat, ita redintegrat, ita mirabili rerum omnium ſplendore exornat, ut ſingulari cum magnificentia et Romam ueniat, et inde reuertat in Germaniam, comitatum palatiumque ſuum dignitatibus nouis decoret, aureo ſigillo Tabulas muniat, feſtorum dierum ſolemnia praeſenti ſplendidoque Magnorum Ducum miniſterio celebret, aliaque, inter Romanos potiſſimum, peragat, quibus et uim ſummi imperii oſtendat, et ueterem Romanae maieſtatis ſpeciem reddat. Ditmaro certe uidetur antiquam Romanorum conſuetudinem, ex magna iam parte obſolefactam deletamque, ſuis reſtituere temporibus uoluiſſe

Hic Imperator eſt ille, qui Regem appellat Boleſlaum, Poloniae Ducem, ut ipſi ſcriptores Poloni, magna conſenſione, tradunt, idemque Tabula Monimenti Poſnanienſis, memoriae Boleſlai poſita, confirmat. Vt praeclarum igitur, ut gente dignum generoſiſſima, memoris gratique animi documentum Poloni dant, qui Inſigne Regium, a Caeſare Saxone quondam acceptum, Principi El Saxoniae, Friderico Auguſto, Imperatoribus ac Regibus Saxonicis, ex paterno maternoue genere, oriundo, imponunt.

Digitized by Google

Quantum, uiciſſim, decoris eſt, quod hic Saxo rependit Diademati ſuſcepto, idem ſummis exornans uirtutibus, quibus ſuperat omnes ſuperioris memoriae Reges

Haud praetereundum, puto, Henricum II, qui et Henrici Saxonis, Germaniae Regis, pronepos eſt, et iunctus eidem connubio Cunigundae, natae ex Sigefrido, Saxoniae Palatino. Hic, dignitatem Germanicam fortiter aſſerit, primus etiam Sigillum Maieſtatis imprimit in Tabulis, idemque princeps excogitat, aemulorum Slauorumque in Germania, Boleſlai in Polonia, uictor, Ticini Rex Italiae, Romae Imperator, inauguratus, Italiam tyrannis, Calabriam Apuliamque Saracenis atque Graecis, liberat, atque eam Italiae oram, iure Germanorum clientelari a Graecis tuendam, Normannis, militiae ſociis, concedit, non ſolum fortitudine clarus, ſed tanta etiam laude pietatis, ut Sancti cognomentum ferat. Lotharius Saxo, gentis Supplimburgiae, ſuperatis aemuli, Conradi Sueui, partibus, Obotritos domat, ipſo quoque horum rege, Brebiſlao, ad cultum Chriſti perducto, Romam adit, et Imperii ſuſcipit inſignia, redit in Italiam, et Rogerium, Siciliae Apuliaeque regem, qui fines

Impe-

Digitized by Google

Imperii uiolauerat, fugat, occupataque Apulia, Italiam pacat uniuerſam. Hoc auctore Lothario, Caeſares, ante conſecrationem Romanam, Romanorum Reges ſemper Auguſtos ſe nominant, Hildebrandina factione ſpreta. Haud exiguum maieſtatis ſuae argumentum, luculentumque eius teſtimonium, habet in Magno, Danorum rege, qui, Saxonicis armis perculſus, Lotharium ſupplex ueneratur, eique, ritu clientis, gladium ſub Corona praefert in ſignum Subiectionis, ad decorem Imperialis Reuerentiae, ut loquitur Otto Friſingenſis. Ottoni quarto, Henrici Leonis filio, fortuna potius deeſt, quam animus tutandi iura Imperii, Germanis acquiſita. Hunc certe animum oſtendit, cum Pontifici, a quo contra Philippum intruſus erat, Romae haud aſſentitur. Eo enim ueniens, ut inauguretur a Pontifice, repudiat iurandi formulam, a Pontifice ſibi praeſcriptam, ne quid, indignum maioribus, admittat. Seditioni Romanorum cedere coactus, comparat exercitum, ut ſuas, ac Patriae, iniurias ulciſcatur, ſed, a Principibus, quos, Friderico ſurrogato, Pontifex conciliat, deſtitutus, uires, animo conſilioque pares, non habet

Nec uero fortius Saxones rem Germanicam rexe-

Digitized by Google

rexerunt, quam, cuſtodito eius iure, conſeruare ſtuduerunt. Quod quidem cum alias cognitum, tum, ſub Henrico Sexto Imperatore, perilluſtre, fuit. Hic enim genti ſuae, quam Imperio, melius conſulere uiſus eſt. Vt regno Neapolitano facilius potiretur, Romae, et Pontifici alia, quae fraudi eſſent dignitati Germanicae, conceſſiſſe exiſtimatus eſt, et iſtud patienter tuliſſe, quod eum minime deceret. Coeleſtinus enim, Pontifex, Henrico ante ſe proſtrato, Coronam, quam ei manibus impoſuerat, pedibus percuſſam, ſtatim deiicit rurſus. Hoc, ab Rogerio Houedeno, homine Britanno, memoriae proditum, negant quidam noui, parumque animaduertunt, ſi ea res, indigniſſime ſuſcepta, a ſcriptoribus domeſticis aliter commemoretur, id quidem in hominibus, numine Pontificio captis, haud eſſe mirum. Cur autem non credas hoc, quod ipſe Baronius teſtetur, et, iure factum eſſe, contendat. Itaque in ipſo facto, haud quaquam in eius iure, fidem Baronii ipſe defendit Iſaacus Caſaubonus. Hoc iniurias animo cum perpetiatur Henricus, quid aliud ſpectare uidetur, quam Pontificis gratiam, his temporibus praepotentem, uerens, ne qua huius offenſione, uel in Italia, uel in Germania, impediatur,

Digitized by Google

tur, quo minus amplificet fortunam domus ſuae. Itaque, Tancredo mortuo, Apuliam Siciliamque occupat, et, diſiecto coniurationis globo, ſuperatiſque rerum difficultatibus, regno, quod uxorio Conſtantiae iure uindicat ſibi, potitur. Sperans iam, proniora ſibi cuncta in Germania fore, in electionis priſtinae locum ſanguinis ſucceſſionem ita ſubſtituere, decernit, ut hereditas Imperii ad eum perueniat, qui propinquior Imperatori ſit, ab eaque ne mulieres quidem excludantur, intermortua ſtirpe uirili. Hic autem Caeſar erat difficillima natura, in offenſis uix exorabilis, tantis opibus, tantaque belli fortuna, praeditus, ut cunctis nationibus finitimis eſſet terrori, et Friderici, filii, uixdum bimuli, electionem, qua Patri ſuccederet, ſacramento fidei obligatam, ui metuque Proceribus extorqueret. Quarum quidem rerum nihil Saxonibus non erat cognitum, neque eo ſecius hi, cum paucis, Henrico, regni hereditarii conſilia agitanti, palam reclamant, et, acerrime pro libertate priſtina propugnantes, efficiunt, ut irrita fiant Henrici conata, atque ad nihilum recidant

Iam quanti, ad maieſtatem gentis Saxonicae declarandam, refert id, quod Albertus Crancius

Digitized by Google

cius docet, omnes, qui clauum Germaniae tenuerint, Imperatores, inde ab Henrico II uſque ad Fridericum II, ſanguinis fuiſſe Saxonici, adeo, ut, ob eam rem, Saxones Imperio praefuerint trecentos annos. Saxo eſt ille, quem ſupra praedicauimus, Otto, Dux magnus, qui principatum Germaniae, ultro ſibi delatum, Conrado Franco auctoritate ſua conciliat, Saxo Fridericus Seuerus, Marchio Miſniae, qui, ſua ſponte, Karolo quarto cedit imperio, ſibi tradito, Saxo Fridericus Sapiens, Princeps Elector Saxoniae, qui, rerum ſummae delectus, eius, auctor eſt, ad Carolum V. tranſferendae

De Priſtina Saxonum Maieſtate plura, quam initio conſtitueram, uerba feci, Auditores. Sed, quoniam rei propoſitae dignitas maius quoddam ſtudium poſtulare uidebatur, huius cura longius orationem prouexit. Quantum autem iam reſtat, quod dicendum uideatur, ſi nominis Saxonici magnitudinem famamque cogito, cuius utriuſque imagines, haud obſcurae, in uetuſtis literarum monimentis apparent. Plura nolo, ſi pauca dixero. Quid altius eſt Religione, quid diuinius, ſine qua Maieſtas ipſa, quae Dei perſonam in terris gerit, neque munus ſuum poteſt

Digitized by Google

poteſt exequi, neque ipſum nomen tueri. Atqui Saxonum illuſtria ſunt merita in ſacra Chriſtiana, multis in locis, inter gentes ueri Dei ignaras, propagata. Tradit Adamus Bremenſis paruulam Bremam, opidum Saxoniae, Adalberti, antiſtitis, uirtute ſic illuſtrari, ut altera quaſi Roma fiat, atque, ex omnibus terrarum partibus adita religioſe, ab aquilonaribus maxime populis colatur. ex his Iſlandos, Gronlandos, et Orcadum legatos, uenire, ut uerbi diuini praecones arceſſant. Haec Bremenſium ciuitas, cum tribus aliis expeditionibus in Palaeſtinam Luſitaniamque, clara eſt, tum quarta potiſſimum, per Sundicum fretum ſuſcepta. Namque haec ultima dedit occaſionem Chriſto Liuonos adiungendi, et collocandi in eorum finibus Rigam coloniam, conſtituendique ſimul, ut aliqui tradunt, Ordinem Teutonicum, a quo ſacra inferantur has in oras. Bremae iungenda eſt nobiliſſima quondam Saxonum ciuitas, ut dicitur ab Adamo Bremenſi, quae a denotatione Caſtelli Silueſtris Hammaburg, et Hamburgum, nominatur. Haec, ab Ottone I, aduerſus Slauos, ad Albim fl. condita, ab eiſque, et aliis Chriſti hoſtibus, ſaepe deuaſtata, a ſtudio feros populos religione mitigandi adeo dimoueri non potuit, ut e-

Digitized by Google

ius rei cauſſa, nihil laborum periculorumque recuſarit. Itaque, quanquam Adamus Bremenſis urbis huius, in ſolitudinem redactae, fortunam miſeratur, eius tamen felicitatem praedicat, quae, uelut pia quaedam mater, filiorum, ſibi quotidie, per totam Septentrionis latitudinem, accreſcentium, numero frequentiaque gaudere poſſit. Hac eadem mente Fecundiſſima *Mater* gentium, omnique deuotionis officio ueneranda, uocatur in Tabulis antiquis. Hamburgum autem rei Chriſtianae tantum boni affert, uti, poſt coniunctionem ſui Bremenſiſque Sacerdotii, Archiepiſcopali titulo, ita Diploma *loquitur*, praecellens, multas Septentrionum partes legibus Chriſtianis imbuat, per Anſcharium, dictum uulgo Sueonum Danorumque Apoſtolum, cui ſacra demandatur legatio per omnia Aquilonis regna, per omnes, qui quidem ultra Albim in Boream ſpectent, populos, nec modo per Slauos, Danos, Sueones, ſed alias etiam gentes, latiſſimis ſpatiis diffuſas. Nec uero ſacerdotes modo Saxoniae, ſed ipſi etiam Principes, eo curam operamque contulerunt, ut ſemina doctrinae ſalutaris longius latiuſque ſpargerentur. Hoc egit Henricus primus, Ottonis Magni pater, qui, pro pietate ſua, coloniam Saxonum Sleſuici collocа-

Digitized by Google

locauit, non ſolum, ut, hoc finium munimento atque clauſtro, gentes efferatae reprimerentur, ſed etiam, ut, familiari ſimul conſuetudine Chriſtianorum, Danis uicinis lux ipſa religionis clarius affulgeret, quae his in terris, immutata hominum mobilium uoluntate, uel extincta erat, uel obſcurata certe. Hunc enim declarauit animum, cum Regi eorum, qui Chriſtianum nomen in Dania delere conſtituerat, deuicto, pacem prius dare noluit, quam libertate ſacris Chriſtianis reſtituta. Nihil infeſtius erat religioni Chriſtianae, quam Slaui, per multos Germaniae tractus diſperſi. Henricus ex his, Heuellos, Dalemincios, Obotritos, Milzenos, Redarios, alioſque, bello perſecutus, ſic hoſtium ulciſcitur iniurias, ut eorum ſaluti nihilo minus ſtudeat inſeruire. Concilia ſacris ordinandis inſtituit, feſtos dies exercendae pietati deligit, ut auguſtiora faciat cultus anniuerſarii ſolemnia, iuſtitium edicit, idemque lege ſancit. In primis Otto M. in eam rem mente totus inſiſtit, ut Chriſti gloriam efferat inter nationes, ueri Dei negligentes. Hoc ei curae fuit, in Haraldum Danum profecto, huiuſque regis uictori, ut dictum eſt. Sed illud haud tacendum, ab eodem Ottone, in Dania Ciſmarina, tres Praeſulum ſedes, docendis

Digitized by Google

gentibus, poni, eaſque in fines Antiſtitis Hamburgenſis deſcribi. Danis adiice Ruthenos, quorum pars aliqua myſteriis diuinis initiatur, delegatis eo Adelberto et Libutio, eiſque deinceps alii ſuccedunt. Slauis autem confinibus quanto Imperator idem ſtudio cupit ubique conſultum. Epiſcoporum domicilia conſtituit Brandeburgi, Hauelbergae, Merſeburgi, Cizae, Miſnae, in eis potiſſimum locis, in quibus olim barbari ritus foediſſima ſuperſtitio inueterauerat. Ampliſſimam Antiſtitis ſedem Magdeburgi ſtatuit. In uſum adiumentumque rei Chriſtianae, multa aedificat, multa prouidet, multa largitate donationum piarum, memoriam ſanctitatis ſuae poſteris prodit. Nonnullis tamen ex his arguendus uidetur, qui, profanis ſacra miſcens, non modo Brunonem, fratrem, antiſtitem Colonienſem, creauerit Lotharingiae Ducem, ſed etiam aliis ex ordine ſacro ciuilem poteſtatem dederit, eaque indulgentia ſua omnem Germaniae rempublicam mutauerit. Ingeniis denique, ac ſtudiis, ſcholas complures, e quibus docti ſanctique uiri prodirent, maxime in Veſtphalis Corbeienſem, quae Vitichindum dedit hiſtoricum, in religioſorum clauſtris hominum aluit, quibus in ſcholis, mirere, uirgines etiam eruditas reperiri. Quis enim

Digitized by Google

enim neſcit Parthenonem Ganderſhemenſem, in qua, ipſas inter uirgines ſacras, tantum enituit literarum ſtudium, ut Richardis, ſapientiſſima magiſtra, et Gerberga, a ſapientiſſimis inſtituta, Roſuuidam erudiret, illam, quae, Graece Latineque docta, Comoedias Chriſtianas, imitatione Terentii, ſcripſit, et, praeter alia in proſa uorſaque, adhuc legenda, ipſius Ottonis M. res geſtas Latinis uerſibus mandauit.

Otto ſecundus, ut, exemplo Patris, ſtrenuus eſt aſſertor iuris Germanici, ſic piis eiuſmodi inſtitutis, quibus pater uſus eſt, haud defuiſſet, niſi bellis fuiſſet diſtrictus, e quibus tamen pleriſque ſuperior diſceſſit. Tantam enim pietatis laudem cepit, ut aliis, non minus diuinis, quam humanis, rebus deditus, aliis per omnia Caeſar Chriſtianiſſimus, diceretur. Slauos tamen, ad delendam quaſi Religionem Chriſtianam, compluribus in locis concitatos, per Principes Saxonicos, facta ad Tongeram flumen ingenti caede, compreſſit, Danoſque per Ducem Bernhardum repulit, quos Sueno, ſacrorum deſertor, Chriſtianorum in regno ſuo tortor, in Saxoniam, cum magno rei Chriſtianae periculo, populabundos ducit. Hic, prout literas amabat, eruditos

Digitized by Google

ditos magna complectebatur beneuolentia, Socraticis quoque diſputationibus, quas Gerbertus laudat, rerum ſcientiam oſtendebat, non poterat doctrinae ſtudiis praeſidia non ferre, et curare, ut eis homines, ad omne docendi genus, informarentur. Tali modo inſtitutum diligit Pilegrinum, antiſtitem Auguſtanum, eumque, Hunnorum emendatorem ſanctum, pro fide praeſtita, dignitate Lauriacenſis Archiepiſcopi, et Metropolitano, per Pannoniam ſuperiorem, iure, donat. Quod indicio eſt, ei Religionis, inter gentes rudes promulgandae, ſtudium cordi fuiſſe. Ac ſimilis quidem pietatis ſenſum, et diuinae humanaeque amorem diſciplinae, Ottoni multa cum laude tribuit Gerbertus, ſed uoluntatis, in doctos propenſae, quam Otto in promptu ſemper habet, exemplum dare poteſt ipſe, ab eodem Imperatore antiſtes Rauennae ita conſtitutus, ut deinde, patre mortuo, ab huius filio, Pontifex Romanus crearetur, nomine Silueſtri II notus. Ottoni tertio non animus, qui fuit egregius, non ſtudium, quod magnis rebus ſemper paratum, ſed uita, defuit, ad bene de ſacrorum auctu promerendum. Pannonia documento eſt. Geiſa, rex Hunnorum, eiuſque filius, Stephanus, Chriſtianae diſciplinae ſe dedunt,

Digitized by Google

dunt, ab Adalberto tincti ſalutari fonte. Horum ueſtigia principum Hunni ſenſim perſequuntur. At Stephanus, patri ſuccedens, hoc gentis ſuae negotium conficit. Hac, Otto, re laetus, quam pridem optauerat, Stephanum appellat Regem, ei Giſalam, in matrimonium dat, ſororem Henrici Boii, hoc agit, ut arctius illum coniungat, ſacris aſcitis. Iam Polonia nos ad ſe uocat. Hic, Otto, Gneſnae Archiepiſcopi ſedem conſtituit, eique Gaudentium, S. Adalberti fratrem, praeficit, huic autem Metropoli Praeſules, Cracouienſem, Vratiſlauienſem, atque Colbergenſem, aſſignat. Ad ſummam, ne de ſingulis dicam, tanta pluribus in populis induſtria ſacrorum ordinat ſtatum, ut Ottonem, auum ſuum, uiſus ſit aequiparaſſe ſtudio religionis augendae et ornandae. Vt literis eſt excultus, ſic eas fouet in ſcholis, Halberſtadienſi maxime, atque Hildeſhemenſi, ubi cura iam maior adhibetur, uti bibliothecae antiquis ex uario genere membranis adornentur. Probe uero ſcholis ueteres libri quaeruntur, ut ex eis hauriant magiſtri, quae purius accuratiuſque ſuos doceant, ſacro ciuilique uſui fructuoſa. Bene ab ipſis ſcholis futura utriuſque reipublicae praeſidia expectantur proxima Henrici ſecundi

Digitized by Google

aetate. Qui quidem cum Hildeſhemii literis, una cum aliis plurimis, ſtudet, hi dicuntur honori, et decori, Eccleſiae Chriſti, ſuo tempore profuturi, ut legitur in uita Meinuuerci

Longum eſt, ex hiſtoriarum monimentis alios percenſere Saxones, qui, foris, exterminata gentium inceſta ſuperſtitione, caſta in rempublicam ſacra introduxerint, domi, templis extructis, ſtudium ſanctitatis excitarint, grandem pecuniam, qua pauperum ſubleuaretur inopia, erogarint, grauibus ſanctiſque legibus mores compoſuerint, et piam honeſtamque diſciplinam, quae Chriſtianos deceat, omni ſeueritate conſtituerint, ac pari diligentia conſeruauerint. Harum certe rerum omnium et illuſtria quondam comparuerunt exempla, et multa de his adhuc aetati noſtrae, in multis utriuſque Saxoniae locis, ſuperſunt, eaque cunctis poſteris eſſe documento poſſunt, qui quidem, Religionem ſuam non otiari, ſed ipſis factis exerceri, uelint. Ex illa certe cura Religionis tutandae, ac nouis populorum ſtudiis frequentandae, qua ceteris Otto M. praeluxit, exiſtimari poteſt, ab hoc Imperatore Carolum M. qui Saxones quondam ad ritus Chriſtianos perduxerit,

Digitized by Google

xerit, claris in ſacra meritis non aequari ſolum, ſed etiam ſuperari

Leges domi ſunt cuſtodes maieſtatis, omni corporis cuſtodia, omni praetoria cohorte, uigilantiores, fideliores, ualentiores. Probos in officio continent, improborum libidinem coercent. Peregre uero leges ſunt teſtes reuerentiae erga illos, qui eas, uel ut uictores, uictis impoſuerunt, uel, ut auctores exempli boni, amicis commodarunt. Cur ergo in populis, apud quos uetuſtas Saxonum leges reperias, non agnoſcas, uel potentiam, uictorias, imperia, Saxonum, uel magnam hominum opinionem de Saxonum prudentia, iuſtitia, aequitate. Atqui iuris Saxonici apud exteros populos permulta extant ueſtigia, antiquitus impreſſa, totidemque praeconia gentis eiuſdem. Haec ipſo in Regno ſuo Dani monſtrant, ex quibus teſtatur Arnoldus Huetfildius, ſpectatae uir amplitudinis, Cimbricas, Scanicas, Selandicas, leges, ex fontibus Saxonicis, magnam partem, profluxiſſe. Hoc qui factum ſit, exquirere non uacat. Ea tamen res, quin honori ſit Saxonibus, dubitari non poteſt. Iuris denique illius Saxonum Prouincialis, quod ex ueteri Lege Saxonum et An-

Digitized by Google

glorum nonnulla aſciuit, et Speculum Saxonicum uſurpatur, magnam in toto Septentrione auctoritatem fuiſſe, Godefridus Guilielmus Leibnitius, docet, auctor rerum haud imperitus. At ille, qui de Iure Repraeſentationis ſcribit, a Goldaſto diuulgatus, iure Saxonico, contendit, non modo Germanos, ſed Polonos etiam, Lithuanos, Liuones, Boruſſos, Danos, Noruagos, Suecos, Ruſſos, uſos fuiſſe. Quae quidem ſingula excutere hoc loco, non libet. Quantum in Polonia quondam, quamque diu, ius Saxonicum ualuerit, recordor. Sed cui non dicta uetus illa Polonorum prouocatio Magdeburgum. *Haec* etſi poſt edicto Regio tollitur, adhuc tamen, ut accepimus, ius illud uiget in caſtro Cracouienſi, ubi ſummum tribunal prouocationum a Caſimiro II inſtitutum eſt Apud nos autem ut ſplendidum eſt, ut eximium duci oportet, Lege Karolina, Auream Bullam uocant, in Imperio Germaniae Vicario, interregum munus geminum terminis Saxonici ac Francici iuris ita definiri, uti Germania in duas quaſi partes diuidatur, eaque, pro duplici iure illo, in altera parte Saxonem, in altera Francum, oſtendere uideatur, ut Aeneas Siluius dixit

Magnum,

Digitized by Google

Magnum, atque praeſtans, uitae decorae bonum eſt gentium cultus, ſine quo, efferatis hominum mentibus, fera, horrida, barbara, ſunt omnia, et ipſe ſplendor felicioris indolis facile obſoleſcit, neque res humanae, nec ipſae diuinae, dignitatem, quam ſapiens afferat earum tractatio, obtinere poſſunt. Eſt autem poſitus hic populorum cultus in animi atque morum expolitione, qua mitigatur aſperitas, mollitur duritas, manſuetudo paritur, ut appetitus ratione, impetus iudicio, refrenetur, et, exculto uirtutum ſtudio, hominum conſociatio, conſuetudo, uoluntates, atque actiones, ad recte faciendum, et bene beateque uiuendum, inſtituantur. Hunc uitae cultioris uſum Saxones non ſolum a ſacris accipiunt, ſed etiam a literis, quas tanta docilitate, inter Francos, in ipſa quoque ſchola Caroli M. Palatina, diſcunt, ut Flaccus Albinus Saxonem, diſcipulum ſuum, poſteris narret, ea praeditum eruditione, quae admirationi fuerit huic ipſi magiſtro. Nec uero Saxonibus aliae defuerunt ſcholae, in quibus non modo doctrina coeleſtis traderetur, ſed etiam alia liberalis. Huius inſtitutionis copiam, in Veſtphalia, faciebat Oſnabrugenſis ſchola, maxime Paderbornenſis, quae omnium literarum doctrina florebat, uti

Digitized by Google

Vita Meinuuerci docet. Alias taceo Saxonum ſcholas, uel Monaſticas, uel Epiſcopales, quas, conſtat, fuiſſe non paucas, ſi non pari laude, at, ut tum erant tempora, non indoctas certe. Finitima Saxoniae erat Fulda, literarum ſtudiis, ſub Rabano potiſſimum Mauro, adeo clara, ut eo non modo Germani, ſed Galli etiam, et alii, commearent. Rabanus autem hic inſtitutus erat, ut Fuldenſes ipſi tradunt, in Turonenſi ludo Flacci Albini, eiuſque condiſcipuli quondam fuerant Samuel, Epiſcopus Vormacienſis, et Hatto, Abbas Fuldenſis. Ex quo cognoſci poteſt, Germanos horum temporum in Galliam diſcendi cauſſa commigraſſe, in eiſque Saxones, ut Saxo, Albini auditor, oſtendit, et S. Ludgerus, praeſul Monaſterienſis primus, Friſo ille quidem, ſed Saxonibus gentis ſuae et finibus, et antiqua neceſſitudine, coniunctus, ad ipſamque ciuitatem Saxonicam aſcriptus. Ita uero Saxones diuinas humanaſque literas habuerunt, quarum doctrinis gentes, adhuc rudiores, impertirent. Ergo uitae humanioris cultum, una cum religione, diſſeminare latius potuerunt, itaque fecerunt. Quid olim durius atque aſperius fuit, quid indomitum magis atque effrenatum, quid magis crudum atque inconditum, quam Venedi, ſiue uulgatio-

Digitized by Google

gatiore nomine Slaui, per tot Europae terras diſperſi, rerumque potiti. Hi ex Sarmatia migrarunt in Germaniam, et, cis tranſque Albim incolentes, ampliſſimas poſſeſſiones, inter Albim, et mare Sueuicum, uſque ad Viſtulam fl. habuerunt. Quanquam Germanis erant infenſi, cum eiſque multa bella gerebant, horum tamen commerciis atque hoſpitiis uti ſolebant Saxones, inter eos quoque tam familiariter uerſari, ut gentis ſuae colonias ad eos deducerent, et, rebus contrahendis, mercibus permutandis, amicitiis etiam iungendis, magnum uitae communis haberent uſum. Quo pacto non poterat abeſſe, quin eis linguae ſuae notitiam redderent familiarem, quae ſenſim his in populis adeo increbuit, ut, frequenti plebis ſtudio, longe lateque peruulgaretur. Non potuit igitur, quotidiana uitae, negotiorum, atque ſermonum, communitate, ſacrarum quoque legationum, quae eo mitti ſolebant, opera, his in terris multa Saxonici cultus imitatio non capi. Itaque loquuntur annales illarum gentium domeſtici, cunctas prope Venedorum regiones, Boiohemum, Liuoniam, Pruſſiam, Pomeraniam, Sileſiam, Luſatiam, alias, ipſamque Poloniam, Saxonum moribus, ſacris, legibus,

Digitized by Google

bus, aliiſque inſtitutis, emendatas fuiſſe. Idem, uictoriis, foederibus, pactis, pluribus negotiationum generibus, non minus in his populis, quam in aliis, effici identidem potuiſſe, quis non uidet. Sed longior ſim, ſi tot Slauorum nationes perſequi uelim. Ex his Sorabos attingi, noſtra refert. Namque hi quondam conſederunt in utraque Albis ripa, ſed, a Saxoniae Ducibus, partim ab Henrico Leone, in partibus inferioribus, partim ab Alberto Vrſo, his in locis noſtris, pulſi, relinquunt agros, quibus nitor tantus imponitur, ut in eis nihil fere reſtet priſtinae formae. Ac Slaui quidem, ad inferiorem Albim, poſiti, quibuſcum res eſt Henrico Leoni, in eum locum deducuntur, ut, Helmoldo teſte, omnis Slauorum regio, ab Egidora inter mare Balticum et Albim porrecta, per longiſſimos tractus, uelut in nouam Saxonum coloniam redigatur, ciuitatibus opidiſque aedificatis, templis Chriſtianorum ſacerdotiiſque conſtitutis. At poſſeſſiones, bello uacuefactae, diuiduntur colonis, qui, a Moſa, Rheno, ipſoque Oceano, aduentant, ab Alberto Vrſo arceſſiti. Sic nouis externarum gentium coloniis occupantur hi tractus noſtri, et opidis excoluntur, quae ad hanc diem patria ſeruant nomina, longius tamen,

Digitized by Google

men, quam uulgi fert opinio, patent, uſque ad ipſum ſaltum Boiemicum. At pulchriora ſpecie, uberiora utilitate, fiunt omnia, cum Bernardus Alberto ſuccedit, ſtabilem Ducatus Saxonici, ab Imperatore, Friderico primo, tributi, poſſeſſionem, quae patri defuerat, adeptus. Hic Vitembergae domicilium Aulae, Procerum, et omnis nobilitatis, flore, undique delibato, ornatae, collocat, et ſumma ciues induſtria ad maiorem uitae morumque elegantiam traducit. Inde ſuperior Albis regio, in politiſſimis Germaniae populis, diuturna felicitate gloriaque ſtirpis Aſcaniae floret. Sed huic rerum ornatui quantum ſplendoris adiecerit Gentis Saxouettinenſis cura, in egregium publicum ſemper intenta, eo minus exponendum uidetur, quod haec recentia magnificorum operum exempla in omnium oculis inhaerent. Illud, ſatius eſt, intelligi, quod Helmoldus ait, ab illo, quem nominauimus, Alberto non modo ad Albim, ſed in aliis etiam regionibus, multas Slauorum gentes fuiſſe domitas, et multas a colonis peregrinis ciuitates, aedeſque ſacras, extructas, eoſdemque ciues nouos opibus immenſis creuiſſe. Quod ſignum eſt, tantos tot nationum tractus a Saxonibus ingentem accepiſſe uariumque cultum

Digitized by Google

Viguit diuturnis tot ſaeculorum aetatibus uirtus Saxonum, necdum effeta conſenuit, ſed, inter fatales tot gentium, quondam florentiſſimarum, clades, ſemper reuiruit, ad obtinendam, augendamque, maiorum dignitatem. Domi foriſque ſtetit a Germania, aduerſus iſtos, qui uel conſilia patriae inimica caperent, uel eius fines, ab ortu occaſuque Solis, uiolarent. Quoties ſtrage ſua ſunt experti, cum hoſtes alii potentiſſimi, tum in primis Barbari, quantum Saxones in bello polleant, ad pericula Germaniae fortiter propulſanda, perpetuo animis, armis, uiribus, inſtructi. Inter tot Saxonicae uirtutis inſignia, quae literis annalium celebrantur, aeternae ſemper memoriae commendatus erit Io. Georgius tertius, qui Scythas Thraceſque ab obſidione Vindobonenſi reiecit. Haec res eo tempore periculoſiſſimo gerebatur, quo ciuitas, operibus clauſa, acerrime oppugnata, munimentis nudata fere, ſumma rerum omnium difficultate premebatur, uti nullam, in conſilio auxilioue, uideretur, habere facultatem impetus, quo dies nocteſque urgebatur, diutius ſuſtinendi. Quo quidem magnificentiſſime facto tam bene meritus eſt Saxo, ut non urbem modo nouamque

Digitized by Google

que Romam, quae ſummo imperio domicilium ac ſedem praeberet, ſed etiam Germaniae clauſtrum, a Turcis obſeſſum, ſpeque iam deuoratum, ex ore atque faucibus hoſtis immaniſſimi eriperet, et, magna cum ſalute, incredibili cum laetitia, Chriſtianorum, recte ſentientium, conſeruaret. Nec uero minor eſt in Germania, quam in Pannonia fuit, cuius in ſolo ſita eſt Vindobona. Nam, Patre adhuc uiuo, ad Rhenum Moenumque, legiones in pluribus habet aeſtiuis. Pugnando cum Gallis, ad Mummenhemium maxime ac Sinzhemium, tantam uirtutem praeſtat, ut, eam hoſtis admiratus, Saxonicos milites ſuis imitandos proponat. Cenſuere prudentes, huius iudicio ducis ad Rhenum ſi res adminiſtrata fuiſſet, parum Gallis in Germania iam reliqui fore. At idem Saxo, cum Patri ſucceſſiſſet, qua conſilii celeritate Gallis, Germaniae imminentibus, rurſus occurrit, qua animi magnitudine eiſdem, ne copiae eorum in Franciam Germanicam Sueuiamque influant, reſiſtit, qua denique gloria Maguntiacum recipit, nuper a Gallis occupatum. Vt uictor domum reuertit, nouo terrori caput obiicit, quem Germaniae uicinus hoſtis infert. Satius enim ducit, quoſuis ſubire caſus, quam patriae periclitanti deeſſe.

Digitized by Google

Itaque, ab Auguſto Caeſare nactus imperium militare, nonnullis, propter tenuem eius ualetudinem, ei nouam diſſuadentibus expeditionem Rhenanam, ſe, reſpondet, malle ex acie mortuum efferri, quam ab hoc abeſſe bello. Hac mente contra hoſtem profectus, Rhenum tranſit, fugientes inſequitur, repugnantes pellit, euentus boni ſpem oſtendit, ſed, implicitus in morbum, Tubingae extinguitur, quo delatus erat aeger. Sic incolumitatem patriae pius anteponit ſuae, eoque glorioſius moritur inuictus, quo fidelius atque ſanctius ſpiritum pro patria reddit. Viam, paternis ueſtigiis impreſſam, inſtitit Fridericus Auguſtus, bellique dux a Caeſare delectus, Barbaros fama nominis compreſſit, ac Daciam metu praeſentis, quod hoſtes truculenti minitabantur, periculi liberauit. Breui poſt eodem animo, quo Pannonias reliquerat, illuc redit, adductoque exercitu, reprimit hoſtes, qui conſtituunt, populi Chriſtiani agros incurſionibus, latiſſime factis, uaſtare. At ille tanto furori animoſe intercedit, eumque ut refrenet, obſidione Temeſuariam cingit, acie decernit, peſtifera conſilia diſturbat. Sed tanti Principis uirtutem quibus tandem teſtimoniis melius comprobes, quam Sarmatarum iudicio, publi-

Digitized by Google

publice communiterque facto. Hac enim gente, quid fortius, quid liberius, quid prudentius, dici cogitarique poteſt. Vnum tamen ex omnibus Regem ſibi deligit Principem noſtrum. Sed, quoniam ſibi legere non ſolet, niſi optimum, illum ſibi ſumit, qui ex omnibus altiſſime uideatur eminere. Quod autem praeſtabile Regalis ſapientiae exemplar mente tibi finxeris, quin id cernas, admirere, celebres, in hoc Rege. Viget certe in auguſto Auguſti II animo, inter tot ornamenta dignitatis Regiae, priſca Saxonum maieſtas, et, exſplendeſcens clariſſime, non modo, uel in Germania, quae certatim Saxonem in praecipuis, et communis Patriae amantiſſimis, Imperii Proceribus colit, uel in Sarmatia, quae Paterna floret eius cura, ubique elucet, ſed in omni etiam Europa fulget, oraſque terrarum diſiunctiſſimas, ingenti nominis gloria, peruagatur

Beatos nos, qui, Saxonis auſpicio indulgentiaque, apertos habeamus diuinae atque humanae fontes ſcientiae, quibus integrum ſit, munificentia Saxonis, dignitatem literarum aſſerere, tueri, amplificare, quibus denique, Saxonis praeſidio, liceat ingenia ſolemnibus doctrinae

Digitized by Google

ctrinae praemiis ornare. His exſuſcitatur induſtria, ad ſpatium diſciplinae liberalis decurrendum, his animus, laborando defeſſus, integratur, his conſtantia, ad ſuperandas omnes ſtudiorum difficultates, roboratur. Fuit haec antiqua, fuit perpetua, Vitembergae felicitas, ut ex ea coloniae literatiſſimorum hominum ornatiſſimae deducerentur. Maneat haec eius laus, bonae mentis ingeniique cultui felix, ad poſteros, ac nouis ſemper augeſcat meritis, quibus Reipublicae ſanctiores educentur doctioreſque ciues. Salua ſit, ſoſpite Friderico Auguſto, Saxonia, ſaluum, incolumi Carolo VI, Imperium, ſalui, quietis Europae rebus, omnes, qui, ſaluos eſſe Saxones, uelint

XIIII

Digitized by Google

XIIII

PANEGYRICVS
IN
SACRVM DVPLEX CONNVBIALE
QVOD
DRESENAE ET MONACI
IN VTRAQVE
DOMO AVGVSTA
APPARATVR
FESTO
EIDVVM IVNIARVM
DIE
A. R. S
CIↃ IↃ CCXLVII
PVBLICO
NOMINE
IN
TEMPLO ACADEMICO
DICTVS

Felix hic, quem agimus, laetuſque, Saxonibus eſt annus, Auditores. Quid enim felicius nobis uideri poſſit, quam illud tempus, cum Domus Auguſta excelſius effloreſcit. Quid laetius nobis fuerit, quam Regem Ipſum, Optimum

Digitized by Google

mum Maximumque, Fridericum Auguſtum, multiplici fortuna Domus Suae laetari

Quidni Rex ſingulari nunc uoluptate perfundatur. Eſt enim Ille, quem cunctis Socerum praeoptauerint, et ſuperiore tempore Carolus, Rex, qui adhuc feliciſſime Regno utriuſque Siciliae, cis et trans Pharum, praeeſt, nuptias tum pactus Mariae Amaliae, omni decore Regio ornatiſſimae, et, ineunte hoc anno, Sereniſſimus Franciae Gallicae Delphinus, Ludouicus, ducta in matrimonium Maria Ioſepha, Virginum Regalium flore, Glorioſiſſimo Parente, Ludouico XV, non approbatore ſolum, ſed etiam auctore. Eſt ille, cuius iam Gener, deſponſa ſibi Filia Regia, Maria Anna Sophia, eſſe uelit Sereniſſimus Princeps Elector Boiariae, Maximilianus Ioſephus, coniunctiſſimus iam, in Senatu Nouemuirali, et Imperio Germaniae Vicario, Collega. Eſt Ille, cuius ſe, eodem tempore, Nurum fieri, cum eiuſdem Principis Electoris Potentiſſimi Soror Auguſta, Maria Antonia, gloriatur, idem Rex ipſe ſimul hac Filii ſui, Regii, et Electoralis, Principis, in quo parem nominis ac uirtutis excelſitatem ueneramur, Friderici Chriſtiani, Sponſa, Caroli Septimi, Caeſaris Auguſti,

Digitized by Google

gusti, Filia, eo uehementius gaudet, quo longius eam, omnis uirtutis excellentia, nominis sui altitudinem superare nouit

Ita uero Rex, fato quodam temporum nostrorum singulari, solus in omni Europa, fit Pater communis tot, eminentissimorum in utroque sexu, et carissimorum sibi, Capitum, idque cum tanta uoluntatum mutuarum consensione, ut neque Liberi, quos, pluribus in populis, diuinitus datos, habet, meliorem sibi Patrem optent, neque Liberos Ipse meliores. Reperit ergo complures grauissimasque causas gaudii, nondum semestri unius anni spatio, in penetralibus faustissimis, honorificentissime ac iucundissime, multiplicati, hisque bonis, tam eximiis atque insolitis, merito exhilaratur, admirandum in modum

Sic praesens annus gradus facit pulcherrimos, dum nuptialis laetitiae noua semper instrumenta praebet. Proximus enim Ianuarius eas in Regia Saxonica faces geniales accendit, quarum exempla in multorum monimentis saeculorum frustra quaeras, earumque fulgor, ipsam in Franciam Gallicam penetrans, Versaliam, Lutetiam, totumque Regnum, festis igni-

Digitized by Google

bus repleuit. Nunc Iunius ad nouum ſplendorem reuocat Dreſenenſem Regis Aulam, in qua, ex Prole Regia, eodem die, Frater Sponſus, Sororque Sponſa, duobus, ſed locorum diuerſorum, matrimoniis deſtinantur. Hic autem, etſi, neque Sponſus, Fridericus Chriſtianus, Sponſam ſuam, Mariam Antoniam, neque Sponſa, Maria Anna, Sponſum ſuum, Maximilianum Ioſephum, uident, utriuſque nihilo minus connubium haud minore laetitia celebratur, quam ſi Sponſo Sponſa, et Sponſae Sponſus, detur in manum. Quid enim copulatius eſt, quam animi, mutuo et aequali amore inter ſe *colligati*, qui ſemper ſibi praeſentes ſunt. Ergo, eodem die, re per Procuratores ſplendidiſſimos, Sponſarum Fratres, Dreſenae et Monaci geſta, uterque Sponſus, et utraque Sponſa, non ſecus effuſa laetitia efferuntur, ac ſi coram cernant id, quod, in ſenſibus intimis defixum, tenent. Itaque, quanto maius publicae ſalutis momentum coniugia ſummorum Principum faciunt, tanto dignior hic cenſeatur annus, quem poſthac Faſti Saxonici Nuptialem dicant, atque hoc nomine eum memoriae perpetuae commendent

Quo rectius dies hodiernus Eiduum Iunia-

rum

rum uniuerſae Saxoniae ſacer eſt, quem cuncta Boiaria pari ſimul cultu excipit, eiuſque diei religione, et Sponſorum magnitudo, et obſequii ſanctitas, eis debita, nos obſtringit. Proinde haec ampliſſimorum, ac literatiſſimorum, frequentia hominum, mirifico omnium ordinum gaudio excita, celebrique pompa in publicum egreſſa, in Aedem hanc ſanctiſſimam confluxit, uti Deum Immortalem, tantorum munerum auctorem, ſancte ueneretur, et, ſuſceptis nuncupatiſque uotis, inter choros Muſicos, et uocum neruorumque cantus, piae ac feſtae gratulationis officio perfungatur

Cuius quidem rei cauſſa publice dicendi partes mihi, Academico nomine, ſunt datae. Conſilium autem uerba faciendi ex tempore praeſenti capiam, quod Principum Electorum familias, hodie nuptiis inter ſe iungendas, nobis oſtendit. Dicam ergo de Vtilitate, toti Imperio Romanogermanico ſalutari, eorum connubiorum, quae inter Familias Principum Electorum coniunguntur. Quantum autem, quam iuſtis de cauſſis, uereor ego, qui uiribus meis, in re tam graui, non poſſim non diffidere, ne oneri tanto, quod impoſitum mihi eſt, ſuccum-

Digitized by Google

bam. Quare omnis ueniae ſpes cum in ueſtra, Auditores, humanitate mihi ſita eſt, tum in primis in reuerentia, magnis Principibus praeſtanda, quae, ſi omnes officii numeros habere non poſſit, eo tamen benigne ſolet excuſari, quod obſequii nomen ſtudiumque profeſſa eſt.

Iam mihi, de foederibus coniugiorum, inter Familias Principum Electorum ſanciendis, cogitanti, horum quidem coniugiorum tanta ad animum occurrit Vtilitas, ut ea toti Imperio noſtro Romanogermanico plurimum, ad ſalutem publicam, adiumenti afferre uideatur. Rationibus enim eius rei ſubductis, hanc facio ſummam cogitationum mearum. Principes Electores ſunt Columnae Imperii, eaedemque Imperii columnae mutuis maiorum horum Principum connubiis, et concordia, inde expectanda, firmantur. Principum autem Electorum concordia, mutuis coniugiis deuincta, ceterorum Principum Ordinumque minorum concordia facilius conſtabilitur. Concordia Procerum Imperii conſtituta, ipſa Salus Imperii conſeruatur

Tres uidetis locos, Auditores, quibus, inter ſe nexis, Vtilitas Imperii noſtri ſumma, atque ex Principum Electorum connubiali inter fami-

Digitized by Google

familias ſuas coniunctione ſperanda, contineatur. Ac primum quidem difficile dictu eſt, quantum Reipublicae noſtrae expediat, a Principibus Electoribus, horumque familiis, inter ſe genus ac ſanguinem miſceri. Namque hi Principes maiores reuera Columnae ſunt Imperii, eoque numero ab ipſo Imperio noſtro ducuntur. Sanctio Karolina, cui nomen Aureae Bullae datur, publicam uocem edit, cuius auctoritatem, niſi rerum noſtrarum ignarus, defugerit nemo. Haec enim Lex, quae Septemuiros, creandis Imperatoribus, non inſtituit primum, ſed horum iura, a maioribus accepta, confirmat, ſuiſmet ipſis uerbis Septemuiros illos ſic effert, ut eos, nomine maieſtatis pleno, Solidas Baſes Imperii, et Columnas Immobiles, appellet. Et, quoniam his in primoribus Imperii fundamenta atque firmamenta potiſſimum inſiſtunt, ipſa idcirco haec Lex pragmatica, in ſolemni Procerum conuentu, promulgatur, ut uim habeat, eximia Principum horum ſummorum iura, ſtabilitate perpetua, fundandi. Ipſi uero Imperatores in Legibus, de Electione ac poteſtate ſua latis, quas Capitulationes dicunt, Principes Electores nominant Sacri Romani Imperii membra Praecipua, et Columnas, Imperii molem ſuſti-

Digitized by Google

nentes, ob eamque cauſſam hos ſibi Principes honore ſingulari afficiendos, aiunt, idque ſe in primis decere

Nec uero minus amplitudinis Principibus Electoribus affert munus, quod gerunt, ſplendidiſſimum, ac iuribus praeditum, praecipue datis. Soli enim eligunt Imperatorem, in poſſeſſione ſunt cum electo paciſcendi, eum conſecrant, atque inaugurant. Soli munera ſummae dignitatis hereditaria, in Aula Auguſta, adminiſtrant. Soli, inter Principes, ſub umbella, in ſolemni comitatu Imperatoris, eiuſque deducendi pompa, incedunt. Soli occupant ſubſellia, rubro holoſerico ornata, ſi praeſentes ipſi Comitiis adſint. Soli non modo Conſiliarii Imperatoris Intimi ſunt ac Perpetui, ſed etiam ſummum, et glorioſiſſimum, Sacri Romani Imperii Collegium conſtituunt. Soli, et uiuo, et mortuo, Imperatore, ſumma auctoritate, in Republica pollent. Solis his conſentientibus, Imperator, Imperii Comitia, indicit. Soli cum Imperatore uectigalia inſtituunt. Soli, in rebus arduis, Imperii negotia, praeparatione conſultationum atque diſceptationum adhibita, tractandi ius habent. Soli Regem legunt Romanorum. Horum

Digitized by Google

rum in manus ſolorum, abdicatione facta, poteſtas Imperatoria reſignatur. Ex his ſolis, tempore Interregni, Imperii duo Vicarii publicae ſaluti inuigilant. In Principes Electores, ex Principibus unos, crimen laeſae Maieſtatis admittitur, propter intimam, cum Imperatore Imperioque, coniunctionem, ſanctioremque nexum. Vt alia horum plura, ſingulariaque, iura omittam, hi ſoli ſunt ea conditione, ut neque Caeſarea dignitas ſine Electorali, neque Electoralis ſine Caeſarea, poſſit conſiſtere, quem ad modum Rudolphus II. Caeſar, reſcribit

Horum tantorum Principum dignitati atque auctoritati adde iam uires, tum ſingulorum domeſticas, tum uniuerſorum inter ſe coniunctas, ut, quantum hi apud Proceres alios ualeant, iudicare poſſis. Virium ratio quantum poſſit hoc loco, oſtendit ipſa Sanctio Karolina, quae, ut integritas finium ac principatuum conſeruetur, ipſa cauet hoc praeſcripto ſuo, ne, ut ipſa loquitur, Columnis ruentibus, Baſis totius aedificii collidatur. Nec uero temporibus iſtis tantae Principum Electorum fuerunt opes, quantae noſtris. Sunt enim, qui, orbem Germaniae dimenſi, contendant, horum Principum Electorum

rum terras atque poſſeſſiones tam late porrigi, ut, hac aetate noſtra, eae tres Germaniae quadrantes conficiant. Adiice iam tantae regionum amplitudini uim ſuffragiorum, quae Principes hi, dignitatis tam eminentis, in auguſto Senatu ſuo, ferunt. Boineburgius enim, quis autem, hoc, publici iuris intelligentior, in Tabula ſua ſcripſit, eodem in conſeſſu tum, cum is octo fuerit Collegarum, ſuffragia horum tantundem fuiſſe, quantum dimidia fere pars Ordinum ualere potuerit, in uniuerſo Imperii Senatu. Quid ſentias iam de Nouemuiris illis potentiſſimis, quos aetas noſtra uidet. *Quam quidem* tantorum Principum potentiam ſi pari eorum ſapientia, uirtute, fide, uigilantia, fulcias, ecquae iam moles Imperii tam grauis eſſe poteſt, quae ceruicibus eorum atque humeris, tanquam Columnis totidem firmiſſimis, non ſuſtentetur. Et, quoniam horum, inter ſe diligentium, caritas atque concordia unicum eſt illud uinculum, quo mentes eorum et conſilia, ad communem ſalutem conſpirantia, copulentur, huic quidem rei, tam neceſſariae, quid magis inſeruiat, quam multiplex connubiorum coniunctio, per familias eorum genteſque facta. Connexis enim harum neceſſitudinum uinculis, per conſangui-

Digitized by Google

ſanguinitates atque affinitates, multae exiſtunt amoris mutui cauſſae, quibus arctius, quam rebus aliis, deuinciantur. Habetis, Auditores, quantum Imperii, quod penes Germanos eſt, interſit, Principum Electorum familias, mutuis inter ſe matrimoniis illigatas, teneri

Ea uero re noſtra Reſpublica quid proficiat, iam cognoſcite. Habent omnino ceteri Proceres ſua diuerſorum generum iura, antiqua, per manus tradita, ab Imperatoribus ſancte confirmata, ſemper inuiolate ſeruata, tam praeſtantia denique, ut plurimum dignitatis obtineant, eorumque conſeſſus uarii, atque ampliſſimi, magnum toti Imperio ſplendorem afferant. In Comitiis Imperii plena utuntur ſuffragandi libertate, de belli paciſque negotiis ſimul ſtatuunt, reipublicae, legibus, moribus, et aliis modis, emendandae, curam ſuſcipiunt, et patriae, periculis liberandae, commodis augendae, rebus optimis ornandae, cogitationem nunquam deponunt. In primis autem concordiam ſtudent alere, grauiſſima diſcordiae mala toties experti. Itaque hoc optant maxime, ut et ipſi inter ſe concorditer amanterque uiuant, et, ſublatis diſſidiorum cauſſis, aequali omnes ſtudio aequum

Digitized by Google

rectumque ſemper colant. Vident tamen, Principum illorum potentiorum, de quibus dictum eſt, conſenſione, negotia Imperii maxima geri, eorumque deliberationibus ſalutem populi, pro lege ac ratione ſumma actionum ciuilium, proponi, horum denique auctoritatem atque approbationem praecipua quadam efficiendi facultate muniri. In hos igitur ii ſpectant, qui patriam amant, horum iudiciis conſultiſque plurimum tribuunt, ad horum ſe amicitiam aggregant, horum concordiae ſtudia ſua uoluntateſque adiungunt. Qui quidem Proceres Principibus Electoribus, uel ipſa iam propinquitate generis et affinitate, uel beneuolentia ueteri, ac foederibus plurium generum, uel communibus finium et uiciniae commodis, coniuncti ſunt. Quo facilius, ac libentius, Primoribus illis ſeſe dant, ad eorum rationes accommodant ſuas. Quod ſi ab his, ut in magna Republica, magnaque uoluntatum humanarum uarietate, fit, diſſentiant aliqui, his tamen non deſunt amici, qui, patriae tranquillitatis ſtudio, moderatiora ſuadeant, et Principum Electorum quieta tutioraque conſilia oſtendant, atque hac dubios ratione flectant. Nam facile uenit in mentem, quantis Principes Electores opibus pacem concordiamque

Digitized by Google

amque patriae tutari possint, eoque prouidentius metui cedunt, ac se praebent aequiores, qui periculis exponi nolint. Sic Germanici Proceres libere quidem de rebus, ut dant sese, deliberant, auctoritate tamen Principum Electorum facilius adducuntur, ad ea suffragiis suis comprobanda, quae e republica esse uideantur. Quapropter, cum tantum momenti, ad Principes ceteros in concordia continendos, positum sit in domestica ac familiari coniunctione Principum Electorum, quis dubitet iam, quin haec coniunctio, per matrimonia Familiarum Nouemuiralium mutuo contracta, multum, ad ipsam Imperii Romanogermanici salutem, adiuuare possit

Demus iam Imperio nostro Principum Electorum concordiam, demus, per hanc concordiam, eidem Imperio concordiam ceterorum Procerum, quid aliud Imperio dabimus, quam Salutem ipsam. Etenim concordia est illa ciuium copula, qua hi constringuntur, ut, aliis de rebus facile dissentientes, conseruationis communis studio, in unam mentem sententiamque impellantur, et ita consentiant, ut, consiliis uiribusque collatis, nitantur id, quod publice prosit, tueri, quod obsit, propulsare. Hoc recte

Digitized by Google

qui faciunt, saluti publicae studeant, qui secus, ab his omnium rerum pernicies abesse non potest. Eam rem, uetus Numidiae Rex, filiis suis in utramque partem demonstrans, Concordia, inquit, res paruae crescunt, discordia maximae dilabuntur. Quam quidem uocem, auro excusam, in oculis sibi defixit quondam populus ille, mari praepotens, ut, qua potissimum copulatione uoluntatum in libertatem se uindicasset, opesque suas fundasset, in ea legem sibi figeret Reipublicae conseruandae. Sed, omissa deinde legis eius prudentia, hanc adhuc solam malis suis medicinam reperit, quam concordia, *in patriam* reuocata, daret. Haec quoque concordia maioribus nostris, priscis Germanis, una defuit, sed Romanis, aduersus Germanos, horum discordia praesidio fuit, ut hi praedicent ipsi, urgentibus imperii fatis, a fortuna nihil iam praestari maius, quam hostium discordiam, posse. Sed ipsos postea Romanos discordia rebus fortunisque suis euertit, et fatali Germaniae interregno ipsam, tot annos laceratam, consumpsit fere. Eam certe deleſſet, nisi Rudolphus Habsburgicus, munere diuino datus, eam seruasset. Quid tum calamitatum Germania subierit, haec quidem ipsa profitetur, illa Lege Karolina, quam multa

Digitized by Google

multa ſapientia, pari ſolicitudine, condit, uti futuris interregni malis occurrat, et, confirmata Septemuirum poteſtate, ciuilia de Imperatore creando diſſidia tollat. Diſcordiam enim in primis deteſtatur ipſa coeleſti uoce Seruatoris, Omne Regnum in ſolitudinem redigi, in ſe diuiſum. Culpam mali publici confert in diſcordiam Principum Electorum, qua, periculum fuerit, ne, conuulſis Columnis, totum Imperii aedificium concideret. Medendi conſilium eo refert, ut, concordia Principum Electorum firmis praeſidiis ſepta, arduum Imperatoris legendi opus iudiciis ac ſuffragiis, non ferro armiſque, ut ante, perficiatur. Hac eiuſdem Legis Karolinae prudentia uſi ſunt poſteri uſque ad aetatem noſtram, atque hi, rem Germanicam, cognorunt, concordia Principum Electorum in primis ſtare, eamque rem, fauentibus et adiuuantibus ceterorum Procerum ſtudiis, et domi florere, et ab omni ui externa prohiberi. Itaque, cum harum uoluntatum conſenſus, in commune bonum conflatus, ipſam contineat Imperii incolumitatem, exiſtimari poteſt, quo plus eo conducat Principum Imperii colligatio, per coniugalem Familiarum Nouemuiralium neceſſitudinem facta, eo magis omnibus, patriae amantibus,

tibus, esse laetandum nouis eius necessitudinis exemplis, taliumque frequentiam connubiorum utique optandam

O quam felix igitur, atque auspicatus, non Saxoniae modo ac Boiariae, sed ipsi etiam Germaniae, ipsi Imperio, hodiernus est dies, quo duae Nouemuirales Domus, multo glorioſissimae, duplici matrimoniorum nexu uinciuntur. Quid enim nouae, et antiquae, gloriae plenius est, Domo, uel Saxonica, uel Boica. Vtriusque tanta est magnitudo, ut eam neque mens mea capere possit, neque cuiusquam oratio exaequare. Haec utriusque Domus maiestas, *detracta* omni facultate laudandi, solam mihi relinquit admirationem, solamque pietatem, qua excelsa Gentis utriusque Augustae decora tacitus colam

Fuit quondam tempus, cum Saxones Boiique, foederibus antiquis, bellorum administratione, multis amicitiae officiis, inter se consociati, complures haberent atque graues communis beneuolentiae causas. His accesserunt mutua multorum generum connubia, quibus interdum est effectum, ut ipsae Saxonum Boiorumque terrae, inter se iunctae, uni communiter imperio parerent. Testimonio est, in stirpe Guelfica, Hen-

Digitized by Google

Henricus Niger, Dux Boiariae, qui genti ſuae dat occaſionem, inſigniter creſcendi coniugio VVulfhildis. Haec enim ius affert in hereditatem ampliſſimam, quam pater ei, Magnus, Saxoniae Dux Billinganae gentis ultimus, relinquit. Per matrem igitur Henricus Superbus accipit Saxoniam, Veſtphaliam, Angriam, Holſatiam, eaſque Boiariae regiones adiungit. Ducta deinde Gertrude, Lotharii Imperatoris, et Richenzae, filia atque herede, dotem capit luculentam, Saxoniae Ducatu, inter Albim Viſurgimque, potitus, in terris Brunouicoluneburgicis, uti nunc appellantur. Ipſa uero Boiaria Sponſas Saxoniae lectiſſimas multarum dedit aetatum. Iuditha, Arnolphi Mali, Boici Ducis, filia, nuptum Henrico, Henrici Saxonis, quem noui Aucupem uſurpant, filio, collocatur, Adelheida, Guelfi IIII filia, Conrado, Marchioni Lanſbergi, Sophia Friderico II, Comiti Palatino Saxoniae, Mechtildis, Ludouici Seueri filia, Ottoni Strenuo, Duci Luneburgico, Sophia Henrico, Comiti Vettinenſi, Conradi Pii, Marchionis Miſniae, filio, Sophia alia, Ottonis Maioris filia, Hermanno, Thuringiae Landgrauio, Hildegarda Friderico, Marchioni Miſniae, Mechtildis, Ludouici Boii, Imperatoris Auguſti, filia, Fride-

Digitized by Google

Friderico Seuero, Marchioni Miſniae, Eliſabeta, Alberti III, Boiariae Ducis, filia, Erneſto, Principi Electori Saxoniae, ut alias taceamus. Multa mihi, ut uidetis, properanti, praetermittenda ſunt, Auditores. Sed illius Mechtildis, illius Eliſabetae, quarum modo fecimus mentionem, tantum adhuc in Saxonia, tantum in Germania, omnique Europa, quam gloria Saxonici nominis impleuit, eſt lumen, ut harum Viraginum duarum merita nulla tranſgredi feſtinatione debeamus. Mechtildis enim, quae naſcitur ex Ludouico Boio, Caeſare, et Friderico Seuero, Marchioni Miſniae, ut diximus, nuptum datur, uteri proſperrimi tam ſingulari utitur fortuna, ut totius Saxoniae, quae duplici in progenie Heroum adhuc floret, communis fiat immortaliſque Mater. Digna Mechtildis hoc Friderico, qui, turbidis temporibus, tanta inter omnes Germaniae Principes elucet uirtute, ut ei praeter ceteros Imperii ſumma deferatur, ſed tanta ſimul modeſtia, Saxonum, in exemplis clariſſimis, Friderici Sapientis, illiuſque Ottonis antiquiſſimi, qui Henricum Saxonem progenuit, propria, omnium ſuperat opinionem, ut hunc principatum recuſet, de quo alii inter ſeſe aemuli armis contendunt. Dignus Mechtilde Frideri-

Digitized by Google

dericus hic, quae, probitate, ſapientia, forma, pari corporis atque animi maieſtate, aetate ſua, ſimilem ſui non habet. Gente deinde Saxonica per duos fratres, Erneſtum atque Albertum, Friderici ſecundi, Placidi, filios, in duas diducta propagines, noua rurſus nupta e Boiis adeſt, miramque poſteritatem Domus excelſae fundat. Namque Eliſabeta haec, Alberti III, Ducis Boii, cognomine Probi, filia, quam Erneſtus, Princeps Elector Saxoniae, uxorem duxerat, Erneſtinae ſobolis ſit Parens, eamque, ampliſſimis ornamentis praeditam, uſque ad hanc diem, in Poſteris, propagat. Haec illa eſt Eliſabeta, cuius partus inſignes facit magnitudo liberorum, trium quidem magnorum Principum Electorum, Friderici et Ioannis, Saxonicorum, Albertique Moguntini, et unius Antiſtitis Magdeburgici, Erneſti, ac filiarum duarum, Chriſtinae, Reginae Danicae, ac Margaretae, Duci Brunouicenſi nuptae. Sic fecunditas Boicae gentis inexhauſta, in magnis Saxonicae prolis auctibus, uſque ad memoriam noſtram, uiget. Ipſa uero progenies Saxonica quid uel dignitatis, uel uirtutis, uel ſuauitatis, non habuit, quod, ſiue conſpectum, ſiue fama ſola cognitum, mirabiles ſui amores excitaret. Itaque, fama praeſtantiae

Digitized by Google

ſuae, complurium ſponſos ſaeculorum ex Boiis exciuit, eoſque mirifica connubiorum feliciſſimorum uoluptate compleuit. Num Boios poenituit, uel VVulfhildis illius, uel Gertrudis, de quibus diximus. Ecce tibi Ethelina, Ottonis, Ducis Saxoniae ad Viſurgim filia, quam ducit uxorem Guelfus IIII. Ecce Agnes, Henrici Saxonis, et ultimi Palatini, filia, cum Ottone Illuſtri, Boiorum Duce, nupta, cui Palatinatum Rheni affert. Et quid ſingulas conſector Boiorum, ex Saxonia, coniuges, cum longe plus in una inueniam Amalia, quam in compluribus aliis poſſim. Haec enim Amalia, Friderici II, cui manſuetudo Placidi nomen dat, filia, Ludouico Boio, Diuiti, nupta, gignit Margaretam, quae, Philippi, Septemuiri Palatini, connubio, communis fit Mater omnium Rheni Palatinorum

At uetuſtae illi, quae Saxonibus cum Boiis interceſſit, neceſſitudini quantum lucis hodiernus dies affert, quantum eidem cumulum gloriae adiicit. Huius enim diei ſimilem Saxonia non uidit, quo priſca foederum, inter Saxones Boioſque connubio ictorum, memoria, longo interuallo repetita, renouatur, nouorumque ſimul coniugiorum gemina, inter utramque hanc Domum

Digitized by Google

mum glorioſiſſimam, neceſſitudo ſancitur. Res mira dictu, Sponſos diuerſorum generum duos, nouo quaſi proprietatis iure, inter ſe, ad matrimonia ſua, permutare Sponſas, duas Sorores. Sed ea in re quid aliud agnoſcas, quam occultam uim quandam propitii Numinis, atque praeſentis. Haec enim, quae regnis praeſidet, uidetur id approbare, quod oratione mea Germaniae precatus ſum. Hoc enim agere uidetur, ut duas has Familias, in altiſſimo dignitatis ac fortunae gradu collocatas, mutuo quodam ac mirifico, fratrum quaſi atque ſororum, amore inflammet, eaſque, inter ipſa nuptiarum ſacra, maiore quadam inter ſe religione obſtringat, harum autem earundem arctiſſima, atque ſanctiſſima, colligatione, aliis exemplum, per ſimilem animorum coniunctionem, bene de patria merendi, prodat

Ipſos iam Sponſos ſi cogites, tantus horum eſt ſplendor, tanta magnificentia, tantaque altitudo, ut oculos ad eam ſi extollas, hanc certe non aliter, niſi uultu demiſſo, et admiratione tacita ac uenerabunda, colere poſſis. Quid enim Germaniae, quid Imperio toti, tam ſalutare atque exoptatum fuerit, quod Maximilianus Ioſephus, ex perſona Principis Electoris, pru-

Digitized by Google

dentia, fide, uigilantia, curaque omni, non complexus ſit. Quid enim Reipublicae noſtrae tam magnum eſt, tam neceſſarium, tam optabile, quod poſtero tempore ab eius ſapientia, magnitudine animi, prouidentia, auctoritate, expectari non poſſit. Ex ea re, et aliis tot decoribus ſuis, quibus Auguſtiſſimum Patrem exprimit, et antiquam Maiorum dignitatem inſtaurat, *quantum* gloriae ſuſcipiat, dicere eo minus neceſſe eſt, quo clarius nomen eius in omni Europa exſplendeſcit. Quanquam omnibus bonorum copiis affluit, tamen, ut eſt Sapiens, ueram Principis magnitudinem nulla alia re, quam *uirtute*, metitur. Praeclare enim iudicat, cuncta, quae fortuna dilargiatur, in caſu eſſe poſita, et communia cum multis, omnemque in primis diuitiarum, et formae, gloriam, quam multi appetant, fluxam eſſe atque fragilem, ſed unam uirtutem non reperiri, niſi apud bonos, atque hanc merito tam claram aeternamque haberi, eius ut gradibus homines in coelum uideantur aſcendere. Itaque, ut omne genus uirtutum, quae *meritis* in Rempublicam magnos efficiunt Principes, non excolit modo conſiliis atque factis, ſed ſuo etiam praeſidio tegit, ſic literas in primis, uirtutis alumnas, bonae mentis ſocias, uitae humanae

Digitized by Google

nae magiſtras, adamat, eis perfugium praebet, eas honoribus afficit, praemiis ornat, receptas in amicitiam, habitas familiariter, adhibitas conſiliis, benigniſſime ac munificentiſſime fouet. Has enim, quae recti atque decori, omniumque artium Regiarum, fontes aperiunt, a puero coluit, harum praeceptis animum ingeniumque finxit, his cogitationes ad ampla praeclaraque erexit, his eam ſibi ſtudiorum grauiſſimorum ſcientiam peperit, ut nihil in uaria doctrina tam reconditum eſſet, quod Ille ingenio exhauſiſſe non uideretur. Sciunt docti, memorabunt annales, poſteritas uix credet, id, quod hic, Princeps quondam iuuentutis, non modo domi, inter pluteos librorum, ex omni temporum memoria congeſtorum, in omni diſciplina politiſſima, incredibili cupiditate explorare ſolitus eſt, ſed etiam in publico demonſtrauit. Quis enim aetatis noſtrae tam imperitus eſt, ut neſciat, quis honoris, tempeſtate noſtra literis habiti, tam negligens, ut reminiſci nolit, eundem illum, de quo loquimur, Phyſicis ac Mathematicis de Vniuerſitate rerum diſputationibus, praeſente et audiente adhuc Patre Imperatore, tantam differendi iudicandique facultatem, Francofurti ad uadum Moeni, in frequenti ſummorum Procerum,

Digitized by Google

doctiſſimorumque hominum, conuentu, praeſtitiſſe, ut incertum foret, pluſne admirationis uis ingenii diuini, an exquiſitae ſcientiae copia, audientibus moueret. Sed tanti Principem faſtigii, ſatius eſt, uenerari, quam laudare.

Huius autem quis obſeruantior eſt, quam Fridericus Chriſtianus, Regius Princeps *noſter*. Quis illi, contra, alta indole, politiſſimo ingenii ornatu, mirabili doctrinae lectiſſimae cognitione, carior ac iucundior, quis ergo eidem, amandis, protegendis, cohoneſtandis prouehendiſque, literarum ſtudiis, coniunctior, *ac ſimilior*, quam Princeps idem Regius, praeſidium, et dulce decus, Muſarum. His igitur ipſis Muſis ſi poteſtas fieret, Praeſides ſibi, arbitratu ſuo, deligendi, quos tandem alios illae ſibi ſumerent, quam Hoſce Duos, quibus maxime poſſent confidere. Ac noſtri quidem Principis quis ignorat tam admirabilem in omne praeſtantium ſtudiorum genus amorem, ut nihil priſcae, nihil nouae, ſit elegantiae, nihil tam amplum atque uarium, nihil in ipſo receſſu naturae tam abſtruſum, quod anquirere, quod acie mentis perſpicere, quod, cauſſis cognitis, definire, non gaudeat, acriterque laboret. Quid. Iter eius Italicum

licum nonne plus oſtendit, quam Stephanus Pighius, profectionis comes, in Carolo, Principe Cliuenſi ac Iuliacenſi, quondam miratus eſt. Nihil enim antiqui doctique theſauri, Romae, Florentiae, Venetiis, nihil alia Italiae Muſea, clauſtris ſuis continere potuerunt, nihil antiquitates Neapolitanae uiſendum admirandumque praebere, quod a Peregrinatore noſtro non ubique fuerit cupide quaeſitum, nauiter conſideratum, penitus denique perſpectum. Intellexit enim nunc demum, quanti referat, Italiam, ad ſuperum inferumque mare, perluſtrari, tot in ciuitatibus ampliſſimis, atque ornatiſſimis, domeſticam hominum gloriam, operum magnificentiam, ſpectari, neque uideri ſolum Romam, et tranſiri, ſed etiam ingeniis copioſiſſimis, ſtudiis florentiſſimis, omnium elegantiarum, cum ueterum, tum recentium, artificiis, perpendi, uerſari cum uiris, ſumma prudentia, politiſſima doctrina, praeditis, cum his ſermones conferri, horum iudiciis expoliri, ab his accipi coram inſpicienda, accurate noſcenda, multum admiranda, quae, et in omnibus ingenioſis artibus excellant, et in monimentis praecipue antiquitatis eruditae, par nihil, ſimile nihil, habeant unquam. Ergo literatiſſimos homines ad omne offici-

Digitized by Google

officium, ſibi praeſtandum, habuit paratos, ingeniis eorum mirifice delectatus eſt, eos benigne proſecutus, cum diſcederet, gratiſſimam ſui memoriam, magnumque deſiderium, reliquit. Quid. Princeps noſter, ex quo domum reuertit, nonne eundem in omnes, doctrina eruditos, et liberalis alicuius artis elegantia claros, retinuit animum, quem cunctis Italis, tanta cum ſui admiratione, probauit. Admirantur uero omnes, qui aliquam eius rei notitiam habent, eius gratiam, in eruditos tam effuſam, ut non modo cuiuis horum petenti det aditum, ſed ipſe etiam in publicos hominum doctorum circulos ueniat, eos, uarie commentantes, audiat, et, rerum incognitarum experimenta edentes, non uideat ſolum, ſed ab iis ſimul rationes noui ſpectaculi repoſcat. Haec nos, Muſarum alumni, non tam praedicanda ſaeculo noſtro, ut rara, quam, ea ne qua ſaeculorum memoria excidant, poſteris tradenda, iudicamus. Sed quanta, quaeſo, ſunt iam illa, quae uita Principis, oratio, omniſque actio, oſtendit. Moderatio animi aequabilis, atque conſtantis in utraque fortuna, aequitas in amandis aliorum uirtutibus, iuſti rectique ſtudium, uultus placidus, decor oris cum maieſtate quadam, comitas gra-

Digitized by Google

grauitate temperata, morum dulcedo ſuauitaſque, benignitas cunctis tam expoſita, ut amorem ac delicias humani generis efficere poſſit. Acerrimae mentis ingenium, quantaecunque fortunae capax, maturitas iudicii ſumma, prudentia in aetate iuuenili ſenilis, eloquentia prompta, lecta, ornata, ſed, quae Principem deceat, concinna, Latinae, aliarumque Linguarum, in Aulis florentium, peritia, hiſtoriae, ueteris ac nouae, ciuilis doctrinae, iuris omnis, publici maxime, intelligentia, aliaque plura Principalis eximiique cultus inſtrumenta

Haec etſi magna ſunt omnino, ea tamen, nemini praeſertim ignota, longius hoc loco proſequi, alienum ſit, uixque deceat, ubi cum Sponſis potius, ad Sponſarum uenerationem, properandum uideatur. Atque hae quidem Sponſae duae, quibus praeſtantiores nullus arrhae ullius ſponſalitiae ſplendor, in ſumma quaque fortuna, expectauerit, quantum dignitatis, quantum ſuauitatis, quantum hilaritatis, afferunt nuptiis, magnificentiſſime celebrandis. Tantis enim hae decoribus, quae gloria generis, praeſtantia uirtutis, commendatio formae, tribuerint, omni ex parte ſunt exornatae, ut fortu-

Digitized by Google

na nihil, hoc in genere, habeat, neque excellentius, neque iucundius, quod Sponſis his duobus, omnis memoriae electiſſimis, ac fulgentiſſimis, largiatur. Harum ii conſpectu Voluptatum ſuarum, maxime ſincerarum, paſcent oculos, has incredibili caritate amplectentur, in harum alloquio et conſuetudine iucundiſſima acquieſcent, cum ex his Maximilianus Ioſephus Mariam Annam, ſuam, Fridericus Chriſtianus Mariam Antoniam, ſuam, ſanctiſſimi fide coniugii hodie ſibi coniunxerint, cum eiſque omnis fortunae ſocietatem inierint, nulla re, niſi morte, utinam quam ſeriſſima, ſeiungendi. Tam auſpicata gemini connubii ſacra partim inſpectant Saxones, partim audiunt uidentque Boii, utrique, in gratulationes publicas effuſi, ueteri formula, Feliciter, Feliciter, Feliciter, acclamant, fecundam prolem, proſperam ualetudinem, res omni tempore ſecundiſſimas, certatim precati.

His populorum, inter ſe congratulantium, uocibus, inter omina tot fauſta, noſtram inſerimus pietatem, obſequiumque ſanctiſſimum reuerentia, quanta poſſumus, maxima declaramus. Floreat ſumma quaque felicitate Coniugium utrumque Eminentiſſimum, nullamque rerum ſuarum

Digitized by Google

ſuarum commutationem, niſi in maius meliuſque prouectarum, experiatur. Viuat Maximilianus Ioſephus cum Maria Anna, ſua, uiuat Fridericus Chriſtianus cum Maria Antonia, ſua, uiuant Ambo cum Ambabus, pleni delectatione, pleni gloria, pleni bonis omnibus, quae mortalis haec conditio receperit, uſque ad extremam aetatem. Vterque ſpei ſuae, Vterque optati ſui, fructum quam iucundiſſimum capiat, ex matrimonio, quod religioſiſſime iniit, fortunatiſſimo, cernens ex eo proxime, cernens quam diutiſſime, Pignora, ſibi cariſſima, eorumque uultu expreſſam, uiuam atque ſpirantem, imaginem ſuam. Videant Ambo Progeniem, Parentum Maiorumque, uirtute, quam ſimillimam, qua nihil glorioſius ipſorum nominibus, nihil ciuibus utriuſque gentis exoptatius, eſſe unquam poteſt. Videant, in hac Prole, ſua, Progenitorum, gaudia, Generis ſubſidia, Domus munimenta, Reipublicae praeſidia, totiuſque Imperii noſtri firmamenta. His incrementis Stirpium diuinarum feliciſſimis ſalua laetetur Auguſta Vidua, Maria Amalia, ſaluus Rex, Fridericus Auguſtus, ſalua Regina, Maria Ioſepha, ſalua Vtraque Domus Altiſſima, ſaluum denique id omne, quod Vtrique huic Domui, conſanguini-

Digitized by Google

tate, affinitate, aut alia quadam neceſſitudine, in Germania, Gallia, Hiſpania, Regno utriuſque Siciliae, deuincitur

Quanta iam laetitia te excipiamus, quantis te honoribus exaggeremus, Maria Antonia, deſiderium Boiorum, Lux noua Saxonum, Sponſa ipſis Gratiarum manibus facta. Intra feliciter fines noſtros, Friderico Chriſtiano, tuo, affer domo gaudia, quae Illi decora tua, delicis omnibus, ſed exquiſitis, cumulatiſſima, promittunt. E uirtutibus tuis diuinis, quas fama accepimus, eminet illa dos ingenii, *ob quam* Sapientiſſima atque Eruditiſſima diceris, ingenti cum admiratione ſaeculi noſtri. O quam bene ergo conueniet Tibi cum Marito, Sapientiſſimo atque Eruditiſſimo, quicum aetatem deges, et coniunctiſſime uiues. O quanta inter Vos ſuauitas erit ſermonum atque morum, ubi, utraque ex parte, omnis conſuetudo Veſtra ac familiaritas eruditionis, humanitatis, leporis, elegantiae omnis, ſale condietur. Legimus Nuptias Philologiae et Mercurii, quarum imagine artium liberalium ſtudia iucunde traduntur, tanti quondam aeſtimatas, ut hae in ſcholis explicari ſolerent, neque doctus haberetur quiſquam, qui eas me-

Digitized by Google

memoria non teneret. Has Nuptias ingenioſe finxit Sapiens Madaurenſis, ſed ueras huius generis Nuptias, multoque plus, reperiet, cui fas erit audire colloquia Veſtra. Felices ergo doctos, quibus apud Vos portus atque refugium non eſſe non poſſit. Quidni iam hi, temporum hilaritate excitati, exultent. Cur, Gratia Veſtra confiſi, gaudio non triumphent. Cur, abiecta ſolicitudine, non ſperent optime, cum, noua Literis ſolatia, ex Veſtro in Literas amore mirifico, naſci, uideant. Quo quidem nos ardentius omnes exoptamus, ut, quam dulce amoenumque Veſtrum eſt Coniugium, tam ferax idem ſit Prolis, cuius Sapientia, a Parentibus accepta, cum ipſo quaſi ſanguine, ad omnes poſteros traducatur

Tu denique, Maria Anna, amor, honor, decorque, Saxonum, quae tanto reuerentius Parentes Auguſtos amaſti, quanto uehementius ab iis ſemper amata es, quo tandem eris animo, cum ab iis tibi fuerit diſcedendum. Videmur enim nobis iam uidere tempus illud. Das pietati id, quod optimam filiam decet. Lacrymas enim profundis, quas tibi pietas exprimit, cum, inter mille oſcula, Parentes e ſuo te ſinu

Digitized by Google

tunt, lacrymas, inquam, tam uberes, ut eas, alloquio ſuo, Parentes abſtergere uix poſſint. At uide, pro ſapientia tua, hi quam bene tibi conſulant, qui te in amplexus dent Mariti, quo nihil, in ipſo aetatis flore, amabilius, nihil in amore ſanctius, nihil in fide conſtantius, optare poſſis. Huius igitur in complexum laeta ueni, huic te totam trade, qui totum ſe tibi tradit, huic fecunditate tua magnum ſtirpis incrementum, immortalem tibi gloriam, para

XV

Digitized by Google

XV

PANEGYRICVS IN SOLEMNE NVPTIALE SERENISSIMI FRANCIAE DELPHINI ET MARIAE IOSEPHAE EX AVGVSTA SAXONVM STIRPE IN AVLA DRESENAE REGIA IIII EID. IANVARIAS A. R. S CIↃ IↃ CC XLVII SPLENDIDISSIME FACTVM PVBLICO NOMINE IN ARCIS AEDE DICTVS XVIII CAL. IANVARIAS A. R. G CIↃ IↃ CC XLVII

Si quid unquam nobile, ſplendidum, illuſtre, in Saxonia apparuit, Auditores, id omne profecto proxime, quarto Eidus Ianuarias, in Regia Dreſenenſi, ita enituit, ut, cum Aula Sarmatico-

Digitized by Google

maticoſaxonica nulli totius Europae, ulla un, quam magnificentia, ceſſerit, haec ipſa iam ſe. apparatu magnificentiſſimo, ſuperaſſe uideatur. Hic enim dies ille fuit, qualem nulla Saxoniae memoria literis prodidit, quo Francia Gallorum Saxoniae noſtrati, ſuperiorem Saxoniam dicunt, nuptiali foedere, ſe iunxit, et, quod habet cariſſimum, quod in oculis fert, quod in mentibus ac ſenſibus intimis alte defixum tenet, hoc, arctiſſimo uinculo, eaque mente, deuinxit Saxoniae huic noſtrae, ut ipſa ſibi, hoc ex flore Saxonico Virginum Regalium, pigneraretur, quod ſpei expectationique ſuae fructuoſiſſimum putaret. Quid enim Franciae amabilius eſt, Sereniſſimo Galliarum Delphino, qui, unico ſui aſpectu, complectitur omnes omnium Francorum caritates. Quid Ludouico, uiduo, Francia uehementius optat, quam uiuum ſpiranſque luctus ſui ſolatium, tantamque noui coniugii fecunditatem, ut inde regno magna ſtirpis uirilis acceſſio fiat. Quid ipſi huic Principi tanto, quantum Solis, in Francia Orientis, nullus unquam fulgor oſtenderit, optatius, atque expectatius, eſt, aduentu atque conſpectu Mariae Ioſephae, Saxonicae, cuius amore flagrat tam incredibili, ut eius deſiderium ferre non poſſit. Hanc ergo, nuper,

Digitized by Google

nuper, in comitatu Paterno, profectam in Sarmatiam, legatione ſplendidiſſima Varſouiam proſequitur, ut eam ſibi ſponſam feſto ritu paciſcatur. Sed eandem, reuertentem in Saxoniam, alia legatione ſummi ſplendoris ita colit peramanter, ut eam ſibi, ipſa connubii religione, coniungat. Quae quidem res Dreſenae dum geritur, omnis in illam Francia Gallorum, una cum Regio Principe ſuo, animum intendit

Haec, et alia, quae caerimonia ſolemni, ſpectaculis apparatiſſimis, iam peracta ſunt, etſi ſerius ad nos perferuntur, haud minuunt tamen reuerentiam, Clementiſſimo patriae Patri, eiuſque Domui Auguſtae, debitam, quae tempore non finitur, ſed officii perpetuitate ſibi conſtat. Itaque, cum dies hodiernus gratiis, Diuino Numini pie ſancteque agendis, publice decretus ſit, hic quidem dies nobis in memoriam Nuptiale in primis Sacrum, proxime factum Dreſenae, ita redigit, ut ipſum ſimul illud Sacrum ante oculos, quaſi praeſens, conſtituere uideatur. Hac recordatione religionis excitati, omnes totius ciuitatis noſtrae Ordines in ſanctiſſimum hoc Templum confluxerunt, ut in eo precationibus Dei immortalis, uotis, bonis ominibus, omni

Digitized by Google

denique gratulatione, quam tempus auſpicatiſſimum poſtulet, inter ſe certent

Eius pietatis, qua mentes omnium implentur, oratione ſolemni declarandae, partes mihi ex auctoritate Senatus Academici ſunt impoſitae, quas pro dignitate tantae rei ſi minus ſuſtinuero, obſequio certe, quod praeſtare debui, me tuebor. Illud autem mihi iam magno eſt leuamento, quod argumentum dicendi non alte repetendum uidetur, ſed ex ipſo ſumendum uultu ueſtro, Auditores, qui hilaritatis, neſcio cuius, inſolitae plenus eſt. Proinde, *uobis ipſis* laetitiae monitoribus tam manifeſtis, dicam De communi Saxoniae Gaudio, quo Connubii foedus, inter Francogallos Saxoneſque laetiſſime iunctum, celebratur

Principio quid Saxoniae poteſt exoptatius accidere, praeſenti tempore, cum neceſſitudo perantiqua redintegratur, quae olim inter Francos Galliae, atque Saxones, interceſſit. Veterem enim ſanguinis coniunctionem, quae fuerit inter hos populos, ipſi Francogalli de maioribus praedicant Hugonis Capeti. Ex his enim eſt Robertus ille, qui Fortis nomen a uirtute capit, Marchio, et Comes Andegauenſis, Habet duos filios, Odo-

Odonem, et Robertum, utrumque electum Franciae Regem, nepotem, ex Roberto, Hugonem Magnum, Ducem Franciae, qui procreat Hugonem Capetum. Robertum igitur, cognomento Fortem, Aimoinus Saxonici generis uirum dicit, ubi miracula D. Benedicti exponit, is ipſe, qui Francicam hiſtoriam condit, non ſaeculo ille quidem Chriſti nono, ut multi autumant, ſed proximo tamen decimo, ſub Hugonis atque Roberti principatu. Pari modo iſte, qui ſaeculo duodecimo Aimoinum hiſtoricum continuat, eundem Robertum Saxonici generis uirum appellat. Hoc ſuperior, Iuo, qui, ſaeculo undecimo, ſacris Carnutenſibus praeeſt, hunc Robertum, eadem Saxonicae originis appellatione, commemorat, talemque ex ipſis Francorum Geſtis laudat, nominatis item duobus eius filiis, Odone, et Roberto. Albericus autem, qui ſaeculo tertio decimo uetera ſtudioſe conquirit, inſignius eum Nobili genere Saxonum uocat. Duo Roberti huius filii, Odo, et Robertus, De genere Saxonum extracti memorantur, hoc eſt, prognati. Nihil opus eſt citerioris memoriae teſtimoniis, quae ne ualeant quidem, niſi uetuſtiorum fide. Conradus autem Vrſpergenſis, qui ſaeculo tertio decimo uiuit, Robertum hunc

Digitized by Google

Fortem Vitekindi Saxonis filium dicit, itemque alii plures. Et, quoniam Capetinos aliqui Carolidarum ſtirpi, tanquam ſurculos, inſerere quondam ſtudebant, huic rei ne qua fides haberetur, alii, contra, ſeparatam, quae illi ſtirpi ſuccederet, Saxonicamque, conſtituebant familiam, Carolina remota. Hinc illud Vilelmi Nangii, qui ſcribit ſaeculo tertio decimo, *Hugo*, rex, fuit filius magni Hugonis, Comitis Pariſienſis, nec fuit de progenie Karoli, ſed de Saxonum genere proceſſit. Haec illè, quae ex Cod. Chriſt. Reg. laudantur. Franciſcus denique Balduinus, ſingularis, non minus *in hiſtoria*, quam iuris diſciplina, iudicii, Reges Capetinos, fidenter pronuntiat, ſtirpe Saxonica generari, atque hanc conſtantiſſimam eſſe opinionem, omniumque e Francia doctorum maxime communem. Franciſcus autem Mezeraeus, qui Francicam hiſtoriam tanta cura prudentiaque contexit, diuerſis de Capetinae gentis ortu ſententiis nauiter perpenſis, hac ſeſe, demonſtrat, opinionum diſcrepantia nihil retardari, quo minus accedat eis, qui, Capetinos a Saxoniae Ducibus repetendos, putent. Hanc in mentem ſeſe, docet, non multitudine ſcriptorum Francicorum, externorumue, qui una omnes

hoc

Digitized by Google

hoc loco consentiant, impelli, sed amore ueritatis, cuius ea in re, tam uetusta nimirum, scintillas omnino cernat. ea se de caussa animum inducere, ut credat, Robertum illum Fortem ab eo progigni Vitekindo, Saxonum Duce, qui tam diu, tam fortiter, cum Carolo M. bellauerit. Hic ergo sibi proponit auctores, in diuersum rem trahentes, eosque confert inter sese, ac diligenter expendit. Animaduertit autem, multos magnosque uiros Capetinae familiae Saxonicos dare natales. Neque eo magis horum uel frequentia, uel auctoritate, mouetur, ut eorum in numerum se aggreget, sed, ueri studio id sibi, ducit, amplectendum, quod maius pondus habere uideatur. Ipse iam Robertus ille Fortis quem ad modum in Francia ad occasum inueniatur, non uno modo tradunt. Sunt enim, quibus hic natus uideatur ex eis, quos Carolus M. in Francogalliam, religionis apud nouos Christianos firmandae caussa, e Saxonia transtulerit, attribuens eis agros atque possessiones, pro dignitate cuiusuis. Sunt, qui eum, uirtutis ac bellicae gloriae fama clarum, ex Saxonica, et antiqua inclytaque Vitekindi gente, a Carolo Caluo, existiment, arcessitum, ut Franciae, dissidiis bellisque fraternis districtae, ad-

Digitized by Google

uersus Britones atque Normannos, praesidio foret. factum igitur Comitem Andium, et regionibus, quae iacent inter Sequanam ac Ligerim, praefuisse. Qua quidem de re quanquam, ut fit in originum uetustate, inter homines, uarie affectos, dissentitur, praeter Mezeraeum tamen, cuius supra meminimus, summi Franciae Gallicae uiri, Iacobus Augustus Thuanus, Hieronymus Bignonius, Ioannes Serranus, Stephanus Pasquierius, tot alii, multo sane consensu, tertiae Regum suorum Genti ortum Saxonicum assignant. Ipsi quidem Sammarthani, fratres elegantissimi, in retexenda Capetinae gentis origine, ut curiosis rerum perueſtigatoribus interdum accidit, minus sibi constant, ex antiquis tamen commentariis Tabularii Turonensis ipsi referunt, a Carolo Caluo Abbatiam Diui Martini Roberto, Comiti Andegauensi, tuendam committi, huncque Robertum stirpi Saxonicae ascribi. Vident quoque iidem, atque hoc ipsi narrant, in annalibus D. Victoris, hunc, quem modo nominaui, Robertum, eoque natum, Odonem regem, originis Saxonicae perhiberi. Dionysius porro Petauius, magnus auctor in primis, cui quem iudicio praeferam, non habeo, Franciae regnum a Caroli M. progenie, ad nouam

Digitized by Google

uam Saxonicae originis familiam, per Hugonem Capetum, deuenire, oſtendit, grauiter iſtos refellens, qui maternum Capeti genus ad Carolinam ſtirpem reuocent, Mathildem, rati, Henrici Aucupis uxorem, Ottonis primi matrem, Ludouico, Arnulphi filio, Carolomanni nepote, genitam, qua ex Mathilde tali nata ſit Henrico Haouida, Hugonis Capeti mater. Sed, id eſſe falſum, in eo hiſtoriae loco, ubi Capetinae gentis monſtranda erant incunabula, aperte praedicat, ueterum nixus auctoritate, qui, Mathildem Theodorici Saxonis fuiſſe filiam, illoque oriundam Vitekindo, quicum Carolus Magnus bello contenderit, confirment. Atque haec quidem hactenus de progenitoribus Capetinae gentis, qui, ex utroque ſexu, ad Saxonicam originem quondam referebantur

Quod ſi iam ipſum Hugonem Capetum, eiuſque poſteros, intueamur propius, hanc in eis propinquitatem reperimus, qua nulla uel exploratior, uel coniunctior, uel praeſtabilior, eſſe poſſit. Quid enim, in omni Regum fortuna, glorioſius atque excelſius eſt, Stirpe Capetina. At uero haec, quantacunque eſt, a Saxonico ſanguine tota defluxit. Namque Henrici illius, qui regi-

Digitized by Google

regium Germanorum nomen in Saxonum gentem primus intulit, filia Heduigis, Haouidem alii dicunt, Hugoni Magno, Comiti Pariſiorum, nupta, Hugonem Capetum genuit, ab hoc deinde et proſeminata, et dicta, eſt progenies Capetina, cuius lumen poſtea clariſſimum Borbonia fuit. Illud autem ad ſplendorem ſtirpis Saxonicae, eiuſque firmiorem cum Francia Gallica coniunctionem, pertinet, cum Henricus idem Saxo duas ex Mathilde natas, ſuſceperit, Gerbergam, et Heduigin, de his alteram Ludouico IIII, Francorum Regi, Tranſmarino, alteram Hugoni Magno, Pariſiorum Comiti, gentis Capetinae parenti, nuptum collocatam fuiſſe

Sed, iacente Carolidarum uirtute, Regnum Franciae, ſimul labens, Capetina gens excepit, idemque ſic erexit, ut hoc, ad ſummam denuo gloriam floreſcens, non ſolum dignitatem priſtinam recuperaret, ſed eam etiam, rebus magnificentiſſime geſtis auctam, mirabiliter illuſtraret. Quantum igitur eſt, ex Heduige Saxonica Hugoni Magno naſci Hugonem Capetum, de filiis quatuor natu maximum, a quo deinde, regnum Franciae adepto, Robertus, ceterique Reges Fran-

Digitized by Google

Franciae, longam generis ſucceſſionem trahunt. At uero ſtirps haec Capetina, quae diu non interruptum ſuccedendi ordinem, uſque ad Carolum quartum, cognomine Pulchrum, direxerat, fato, cum uirilis ubertas exareſceret, in conſanguineum latus inflexa, progreſſu temporis in duas ſeſe propagines, Valeſiam Borboniamque, diffudit. Ac Valeſia quidem familia, cuius caput eſt Carolus, Comes Valeſius, Philippi tertii Regis filius, in Philippo ſexto ſe extulit, cumque ea, Henrici tertii caſu, interiſſet, Borbonia mox, in Henrico Quarto, Magno, eluxit. Quam quidem, ab Roberto, Comite Claraemontano, Ludouici Noni Regis filio, exortam, poſterorum uirtus in faſtigium prouexit, tam excelſum quidem, ut eius iam magnitudo totum in ſe terrarum conuertat Orbem. Quid enim Regalis ulla omnium populorum fortuna, uel potentius, uel florentius, uel altius, tulit, Borbonia Gente. Haec autem ipſa Gens eſt illa, robore maieſtatis ſuae ne pluribus quidem impar, quae, in praeſentia, cum Saxonica, per recens connubii foedus, coaleſcit. Saxoniae igitur quid, hac priſtinae conſociationis inſtauratione, honorificentius, quid laetius, quid optatius, poteſt euenire

Digitized by Google

At, quo maior ampliorque foederis huius Nuptialis cauſſa eſt, hoc praeſtabilius etiam foedus ipſum iudicetur. Quid autem praeſtantius eſſe poſſit, amore Ludouici, Sereniſſimi Galliarum Delphini. Hic enim Mariam Ioſepham, Saxonicam, amat, admirandum in modum. Videt, principes Europae familias, tot inſignium, formoſiſſimarum, laudatiſſimarumque, Virginum ſummis omnium generum decoribus, exſplendeſcere, ut difficile dictu ſit, quaenam potiſſimum ex illis excellant. Animaduertit curioſam famae licentiam, quae, ut arcanis coniugiorum conſiliis ingerere ſeſe, dextraſque dextris deſpondere, ſoleat, ſic alias, atque alias, pluribus e terris, lectiſſimas ſibi ſponſas audeat aſſignare. Et, quid tandem eſt conditionum pulcherrimarum, quod Principi, in ſpem tanti Regni ſuſcepto, et Maieſtati Regiae proximo, non pateat ubique, cui uel ſola loci altitudo, maximorumque ornamentorum admiratio, dederit optionem, eligendi ex purpuratis Principum Gynaeceis, quod emineat, quod placeat, uſquam. Sed omni, quam nouit hic idem, excellentiae floris Virginalis unam praeoptat Mariam Ioſepham, Saxonicam, hanc unice diligit, hanc nuptiis appetit, huius deſiderio lan-

Digitized by Google

languet. Quis autem hic tandem, et qualis, amor eſt, quibus nutrimentis altus, quo tanto feruens aeſtu. Scit enim Ludouicus, et ponderat illa, quae audita, quae certis auctoribus cognita, habet, de Mariae Ioſephae mira totius corporis pulchritudine, ſed animo longe pulchriore, qui prudentia, uerecundia, modeſtia, comitate, quam tamen rerum temporumque ratio decora ſeueritate temperet, aliiſque uirtutibus exquiſitiſſimis, ornetur. Has ille ſibi delicias quaerit, quippe, cum amet ſapienter, non impetu, ut multi, ſed iudicio, ut pauci

Hunc amorem Filii cariſſimi quidni Maximus Parens comprobet, Ludouicus decimus quintus, qui ſapientiam eius non modo ceteris in rebus ſpectet, ſed in hoc etiam amore, cui, in deligenda uitae et omnis fortunae ſocia, non appetitus, ſed ratio, praeſit. Nam Mariae Ioſephae uirtutes multarum gentium praedicatio magnas fecit, ſed maiores eorum admiratio, qui coram eas inſpexerunt. Fortunatus ergo amor, qui Francos Saxoneſque uinculo tam arcto conſtringit, quanto Saxoniae ſit honori, nemo non uidet. Itaque quis eo non gaudeat amore, idque tanto uehementius,

Digitized by Google

quanto magis inſperatum eſt connubium, hac uoluntatum conſenſione contractum

Sed alium ſibi Saxones honorem, nec minorem certe, noua etiam ac mirifica uoluptate quadam iucundiorem, cogitatione praecipiunt, ex ſpe non tenui ubertatis illius, quam, in Francia, intelligunt, ſumma omnium cupiditate expeti. Franciae enim, nullum eſt felicitatis genus, quod deeſſe uideatur. Abundat haec opibus, claſſibus, uiris prudentiſſimis, legionibus fortiſſimis, ingeniis praeſtantiſſimis, artibus politiſſimis, cultu totius nationis elegantiſſimo, operum magnificentia, omni togae bellique gloria, fortunis denique omnibus, quibus beatae ſolent reſpublicae cenſeri. Omnium autem horum tot bonorum, quibus nihil praeclarius inuenias, caput eſt Ludouicus XV, cui nihil aeque cordi ſolet eſſe, ac felicitas publica, nihil felicitatis huius in mentem uenire, quod is ſapientia ſua non perficiat, tanta idcirco conſiliorum factorumque ſuorum cumulatus gloria, ut, quantus Patriae Pater, tantus optimi ſtatus auctor, una ciuium ſuorum uoce, celebretur. Vnum ergo illud optat a Deo Francia, uti Rex, quo meliorem ne uoto quidem conceperit, uitam quam longiſſime

Digitized by Google

me producat. Sed in ſtirpe eius uirili plura deſiderat ſubſidia generis regii, praeſidia ſucceſſionis, munimenta Domus, tot populorum dominae, quibus inſiſtat ipſa, fortunamque regni ſuſtentet. Cum enim regalis haec, inquiunt Franci, triumphaliſque, Domus aeterna debeat eſſe, quid nobis aliud, quid magis, in optatis ſit, quam Domus eius ſtabilitatem firmamentis plurimis fulciri. Et certe Titus praeclare Veſpaſiano, non legiones, oſtendit, non claſſes, perinde firma imperii munimenta fore, quam numerum liberorum. Ea uero res ſtat quidem arbitrio Dei, quo regna ſtant ipſa. At, ſi fecunditate generis Saxonici iudicandum eſt, quantum, quaeſo, ſpe ad ſobolem augendam, in hoc eodem genere tam fauſto ſitum eſſe, credas, quod, praeter ſex filias, glorietur quinque filiis, excelſae indolis, inſignis formae, tantis uirtutibus, ut eos Orbi terrae, in exemplum floris domeſtici, repraeſentare poſſit. Sic nullum prolis maſculae periculum eſt apud Saxones, nullus orbitatis metus, quae auitae ſucceſſionis ordinem turbet. Quid ergo ſimilis ubertatis Maria Ioſepha promittere non uideatur, quid haec, ea re, maius atque optabilius Domui Regiae, Borboniae, toti Franciae, poſſit afferre. In hanc Saxonia

Digitized by Google

expectationem partuum Heroicorum, quos Franciae Saxonica parens edat, adducta, ea ſpe perinde delectatur, ac ſi oculis iam cernat paruulum quendam Ludouicum, in matris Saxonicae gremio recumbentem, et genitrici, ubera praebenti, cum dulci quodam riſu alludentem atque blandientem. Quo fit, ut magnae ſibi gloriae ducat, optima dote fertilitatis ſuae, Regni Francici ſucceſſionem propagari atque firmari

Habetis, Auditores, momenta quaedam potiora communis Gaudii, quo Saxoniam effert connubium, inter Francos ac Saxones recens auſpicatoque iunctum. Gaudeamus ergo mirabili temporis hùius euentu, quo praeter opinionem, in finibus noſtris, media et aſperrima hieme, Lilia Francica, in Rutae Saxonicae connubio, effloreſcunt. Suſcipiamus uota, non ad ſuperſtitioſa Deum puluinaria, ſed ad aras huius Aedis religioſiſſimas, uti Par hoc ſine pari, longeque excelſiſſimum, in matrimonii ſocietate, proxime inita, ea proſequatur felicitas, quae, animorum coniunctione, ualetudinis proſperitate, inexhauſta praeſertim fecunditate Sobolis Heroae, cum Regi Francorum Glorioſiſſimo,

Digitized by Google

simo, tum cunctae Franciae, cunctae Saxoniae, multam praebeat, atque ampliſſimam, laetandi, congratulandique, facultatem. Precemur Parentibus Regiis, horumque uniuerſae Domui Regiae, uti triplex coniugii uinculum, cuius primus proxime nodus peroptato connexus eſt, pari fortuna tribus in ſtirpibus, omnis memoriae eminentiſſimis, colligetur, tamque firmis aſtringatur nexibus, ut eos nulla temporum uiciſſitudo reſoluat

Tu uero, Maria Ioſepha, Francica coniugii excelſitate, Delphina, Franciae expectatiſſima, Saxoniae ſemper colenda, felix proficiſcere uia recta, in quam te iam dediſti, fata, quibus ad magna rerum incrementa duceris, alacris ſequere, confecto denique feliciter itinere, in amplexus Ludouici tui amantiſſimi ſalua, ſoſpes, hilaris, ex animi ſententia, ueni

Huius in complexu Mariti, multo ſuauiſſimi, eos Amoris caſtiſſimi, ac ſecundiſſimi, fructus cape, toti Franciae ſalutares, Saxoniae exoptatiſſimos, uti, quam inſignis exempli Vxor, tam felicis uteri Mater, ad poſteros, et ubique, praediceris

XVI

Digitized by Google

XVI

IN OBITVM IO. GOTHOFREDI BERGERI A. CIↃ IↃ CC XXXVI XV KAL. NOVEMBRES

DE STATIONE RECTORIS ACADEMICI CVM DECEDERETVR

Saepe, ac multum, optaui, Auditores, *ut hic* mihi dies laetus illuceſceret, quem mihi, ſperabam, eo iucundiorem fore, quo moleſtiores fuiſſent curae eius Academici conſulatus, quem, inter multas graueſque ſolicitudines, adhuc geſſi. Nunc enim demum, cum magiſtratu abirem, futurum, arbitrabar, ut ego mihi redderer, uacarem, uiuerem, cum laboribus, quos mihi procuratio Reipublicae noſtrae impoſuiſſet, perfunctus eſſem. Ita, quaſi recuperata iam libertate conſuetudinis priſtinae, praegeſtiebat animus, ad eas ſe literas recipere, quibus ali reficique conſueuerit, et interuallo quodam repetere curriculum ſuperioris induſtriae,

Digitized by Google

ſtriae, noua, atque delecta, exercitationum liberalium uarietate elaborandum

Sed, o ſpes hominum fallaces, gaudium, quod ego mente mihi informaueram, deceſſus fratris amantiſſimi, mihique cariſſimi, Ioannis Gothofredi praeripit inopinatus, meque, repentino caſu perculſum, dolore tam graui debilitat, ut animo conſiſtere uix poſſim. Si, pro coniunctione ſanguinis, pro caritate nobis in noſtros inſita, acerbum eſt, orbari fratre, quid tandem ad moerorem acerbius accidere poteſt, quam orbari patre. Namque in crimen ingrati merito incurram, niſi praedicem, quicquid a patre poſſit in filium proficiſci, ab hoc fratre in me profectum fuiſſe. Huic adoleſcens curae fui, huic iuuenis, ea potiſſimum aetate, quae maxime conſilii eget. Idem ille, ex quo honoribus inſeruire coepi, fortunae meae rationem habuit, nec minus, quam ſuae. Idem me meoſque conſtanter amauit, ac iuuit, quibus potuit, rebus. Cum hoc ſane res ſecundas aduerſaſque communes habui, ac uixi tam fraterne, uti, quod me ſolicitum haberet, ei fidenter aperirem. Itaque eo tam amanter cupideque utebar, ut illum mihi diem ualde putarem inſua-

Digitized by Google

uem, quo eum non uiderem, eiuſque unius conſuetudinem circulis amicorum, neſcio quibus, anteferrem. Erat enim uir rectus, atque antiquus, cui maximam habere fidem tuto poſſem, abhorrenti ab omni fuco, quo ſimulandi diſſimulandique calliditas illini ſolet. Huius denique ſermonibus tantum ego delectabar, quantum ex his proficiebam, quem, ſcirem, tam longo uitae haud inertis ſpatio, tam diuturno praeſtantis doctrinae ſtudio, tam bene ſubducta ad diſcendum ratione peregrinandi, qua ueteres aemulabatur, eam ſibi ſcientiam exquiſitiorum peperiſſe rerum, ut ſaepenumero in libris fruſtra requirerem, quod ex eo, ſapienter diſſerente, magna cum animi uoluptate coram audire poſſem. Taceo comitatem, ſemper obuiam, qua me ſolebat excipere, humanitatem ſingularem, qua mecum colloqui, patientiam haud uulgarem, qua me, diutius percontantem, ferre. Quantam autem dicam oris ſuauitatem, qua mihi, forte ſubtriſti, aegritudinem omnem abſtergebat, animi praeſentiam, qua languentem excitabat, conſtantiam, qua labantem confirmabat

Hunc talem igitur fratrem nunc amitto, Auditores, qui totum me poſſedit, huius de complexu

plexu auellor, qui me pro filio dilexit, huius aſpectu priuor, in quo ſemper acquieui, ab huius intima familiaritate abſtrahor, quicum ego, homo perpaucorum hominum, coniunctiſſime uixi. Satis iam detrimenti, paucis ante annis, uidebar feciſſe fratris maioris exceſſu, Ioannis Henrici, quo ſimiliter non tam fratrem perdideram, quam patrem. Hunc equidem defunctum, ut aliquam darem memoris animi ſignificationem, ex hoc ipſo loco tum laudaui, ſed tanto cum animi angore, ut parum abeſſet, quin, lacrymis prope confectus, ipſe mihi funus pararem. At nuper admodum nouo percuti fulmine uidebar, cum funeſtiſſimae literae afferrentur de exitu Mariae Eliſabetae, ſororis deſideratiſſimae, quam matrem ſi dixero, dixero pro dignitate plurimorum in me meritorum. Tantis, in quas incidi, miſeriis nunc accedit noua calamitas, quae ultimum uitae ſolatium interuertit mihi, ab eo fratre, quem ſemper in oculis tuliſſem, ita diſtracto, ut longinquus inter nos digreſſus diſceſſuſque ſit. Sic ego ſolus omni ſum germanitati meae ſuperſtes, ſed ea re miſer ualde, quod a meis omnibus ſum derelictus, deſertuſque, ac nudus. Quot ergo quantaſque plagas, quot uulnera, quamque grauia, paucorum

Digitized by Google

interuallo annorum, acceperim, ita ſentio, uti uim moeſtitiae, in uiſceribus medulliſque meis incluſae, ſuſtinere non poſſim. Cicatrices enim, uix obductas, recens acerbitas erepti fratris ita refricat, ut ego, malis obſeſſus, non habeam, quo euadam

Videor tamen mihi uidere, decumbentem in lectulo, fratrem, et, fractis quidem corporis uiribus, proſtratum, agentemque, ſpiritu aegre ducto, animam, non ita multo poſt efflandam, ſed animo tam erectum, conſtantia uocis atque uultus tam mirabilem, ſpe potiundi ſummi illius ſempiternique boni, ac, gaudio quodam inuſitato, tam elatum, ut fatalis illius horae, qua, corporis ſolutus uinculis, ad beatarum mentium poſſit diuinum proficiſci concilium, deſiderium uix ferre uideatur. Videor audire mihi ſupremas illius uoces, quas alto fortique animo mittit, in religione, ac fide heroica, Abrahami innixus. Fide, inquam, Abrahami illa, quam iactat quidem Iudaica temporum noſtrorum colluuio, ſed eam nullo modo capit, quam Chriſtus etiam in Iudaeis deſiderat aetatis ſuae, ſed ita comprobat, ut in ea conſtituat exemplum recte faciendi. Hanc frater fidem attente contemplatur,

Digitized by Google

platur, hanc plurimum admiratur, hanc cupide amplectitur, adeoque tenet, ut, ea demum se, praedicet, refici atque sustentari. Eandem enim, testatur, hanc esse fidem, qua ipse omnem mortis metum repellat, qua uitam sine termino, uoluptatem sine molestia, certo speret, qua mori iam uelit, ac mortem potius, et omnes aerumnosae huius uitae calamitates, superare. Cui quidem rei, ad exsuscitandum confirmandumque animum aptae, cum egomet ipse interfuerim, eius profecto recordatione usque eo commoueor, ut haud procul sit, quin me suppudeat omnium, quas modo mea mihi pietas erga fratrem expressérat, querimoniarum, omnisque luctus, hoc tempore a me susceptí, atque declarati. Magis enim, quod nunc demum intelligo, conueniebat, ut, quae uideram audieramue in ualetudine fratris nouissima, nunc ea reminiscens, nunc eis me consolans, illius, pie fortiterque morientis, imaginem, gestus, dicta, mente, oculis, auribus, tenerem, atque ad haec rationem officii, memoriae eius honorique persoluendi, conformarem. Animum igitur induxi, ut dicam de fraterna professione fidei, priscam Abrahami fidem aemulantis. Quam pium iudico hoc institutum, quam meditatione omnium creberrima

Digitized by Google

dignum, quam religioſam ad imitationem ſalubre, tam, idem, confido, ueſtra, Auditores, pietate probatum, ueſtro ſtudio exceptum, ueſtraque beneuolentia ſubleuatum, iri

Formula fidei, quam edebat frater noſter, in lecto iacens, haec erat fere. Intelligo uim morbi, quo teneor, neque ignoro uires medicinae, quae morbo huic adhibenda ſit. Sed, quoniam hoc malum adeo ingraueſcit, ut remedia, quamlibet acria, [illegible]pellat, mihi quidem, uideo, moriendum. Nec uero mortem, quae mihi nunc obeunda ſit, recuſo. An cenſetis uos, qui me languentem conſpicitis, ullo me mortis terrore permoueri. Minime uero. Spei fuerit expers, ut Paullus docet, qui putet, hic lugendum. Nemini deſperandum, nemini timendum, qui ſpem ſuam ea ſuſtineat fide, qua ſe, ut clypeo, munit Abrahamus. Huic apparet Deus, eique ſtirpem promittit, centum paene annos nato, uxore autem non ſterili modo, uerum etiam natu tam grandi, ut ei riſum moueat filius, ſenectuti ſuae, ex utero frigente, ſperandus. Deus tamen Abrahamo progeniem, quam de pie credentibus exponit Apoſtolus, ſpondet tam numeroſam, ut haec multitudine ſtellas, arenaſque maris,

Digitized by Google

maris, aequiparet, eam potiſſimum ſtirpem, qua Salus ipſa gentium gignatur, hoc eſt, Meſſias. Quanquam conditio mortalis nihil, ad procreandum, reliqui Abrahamo fecit, neque in ſe, iam ſenectute confecto, neque in coniuge aetatis iam exactae, ille tamen, cauſſis effetae naturae poſthabitis, quas optime pro ſapientia ſua perſpexerat, fidem Dei promiſſis habet. Credit igitur Deo, atque hoc, ut ſacris literis proditum eſt, hoc, inquam, piae fidei obſequium, non opus aliud ullius humanae ſanctitatis, ei ponitur in iuſtitiae loco. Fert ſuae fiduciae ac ſpei fructum. Nam Deus ei filium, quem toties pollicitus erat, Iſaacum largitur. At uero, hunc ipſum, iam adultiorem, praecipit mox patri, nihil tale uerenti, ut manu ſua iugulet, nouique uictimam generis offerat ſibi. Ille, Deo ſine mora obtemperans, ſacrificio ligna ſcindit, haec nato ex ſe geſtanda tradit. Struit poſt aras, in his ligna, a filio apportata, diſponit, ipſum filium uincit, uinctumque in aras imponit. Arripit cultrum, quo natum percutiat mactandum. Tollit manum, quam puero, iugulum danti, inferat. Dirigit ictum mucronis, quo fauces pallentis, ac trementis, hoſtiae rumpat. Ecce ſubito clamor coeleſtis, quo dextra cohi-

Digitized by Google

cohibetur, caedes auertitur. Vim neſcias amoris paterni, ſi perſuadeas tibi, pietatem patris, tam ſancti, tam amantis, poſſe ulla ratione adduci, ut filium, praeſertim unicum, ac uehementer exoptatum, trucidet, uiſcera ſua cremet, niſi idem ille in Dei ueritate, bonitate, potentia, ſingularem fiduciam reponat. Credit enim, certumque habet, id, quod poſtero tempore Chriſtus pronuntiauit, poſſe Deum liberos Abrahamo, uel ipſis ex lapidibus, excitare. Hanc re factoque fidem demonſtrat Abrahamus, ac, Numini, quod eius fidem tentauerat, probatus, gratiam apud illud praecipuam init. Nam *Deus ei*, dato iureiurando, cum aliam ſtirpis, in immenſum augendae, amplificationem ſpondet, tum illud potiſſimum Semen, quo ſalus ipſa cunctis Orbis terrae gentibus naſcatur. Videtis Abrahami fidem heroicam, eiuſque fidei coeleſte praemium uidetis. Haec fides ſola Dei gratia, quae mentes, diuinae uoluntati deditas, reſpicit, conſtat, non ulla mercede, humanae uirtuti debita. Eſt uirtus quidem omnis colenda, eſt probitate experimentum fidei edendum, ſed fide, fide, inquam, ſola, in Verbo Diuino defixa, ad ſalutem perueniendum. Haec nobis fides, qua fulcitur Abrahamus, ad imitandum proponitur a Deo Patre,

Digitized by Google

tre, haec item a Deo Filio, Iesu Christo, haec denique a Spiritu Sancto, cuius afflatu scribunt uiri sacri, a tota igitur Sacrosancta Triade. In eadem ego fide Abrahami innixus, et gratiam Dei, cunctis, quos admissae culpae serio poeniteat, diuina misericordia confisis, promissam, et meritum Seruatoris mei, pro me mortui, amplector, firmiterque teneo, in ea insisto tota mente, ab ea nusquam dimoueri uolo, atque ita demum, me saluum fore, certo, certo, inquam, spero. Christus, morte pro nobis affectus, in uitamque nostra caussa reuocatus, nostra est iustitia, quae Deum sola nobis placat. Quid enim aliud dicamus omnem iustitiam nostram, nisi uestem, menstruis muliebribus infectam, qua nihil foedius est. Plura sentio mecum, eisque erigor, quam eloqui possim. Animaduertitis enim, moribunda me loqui uoce. Repueraſcamus cum infantibus, ut Christus imperat, si uelimus intra fines regni coelestis ingredi. Cum his orantes, dicamus, Christi sanguinem ac iustitiam esse nostram uestem illam, quae seruiat honori, pulcherrimam, eaque nos adeo ornatum iri, ut Deo placeamus, coelo recepti. Haec fundamenta sunt Religionis incorruptae, quae ponuntur in ipsa rupe salutis altissima, haec ornamenta maxima,

Digitized by Google

quibus exculti, uenire debeamus in conſpectum Dei. Felicem Abrahamum, cuius ſemini ſponſus eſt Meſſias. Felices quoque nos, qui, per Abrahami fidem, ſemen eius facti, Meſſiam ita colamus, ut in eo omnem ſpem, cogitationem, totamque mentem, figamus. Antiquam ego Abrahami fidem mihi proponere ſoleo, eaque recreatus, Meſſiam, quem uidit idem ille, hoc aſpectu laetus, hunc, hunc, inquam, Meſſiam, ſed maieſtatis coeleſtis plena luce circumfuſum, me breui uiſurum, ſpero. Hic Lazaro, ab Angelis deportato, Abrahami ſinum aperuit, hic eundem mihi ſinum, cum exceſſero, pro miſericordia ſua infinita, aperiet, hic Abrahami conuiuium, quo mentes beatae reficiantur, nobis ipſe promiſit. Quo quidem me quoque, per me quamlibet indignum, ſed Abrahami fide ſtantem, Chriſtus ut dignetur, ſupplex eum, infimiſque precibus oro. Haec frater noſter, Auditores, paucis ante horis, quam extingueretur

Ego uero, qui tum audirem illa coram, collaudabam quidem tam praeclaram fidei heroicae profeſſionem, in eaque ut perſiſteretur, quoad poteram, hortabar. Sed ea, quae tum, miſero conſpectu perturbatus, ut exiſtimari de fratre poteſt,

Digitized by Google

poteſt, exceperam, mihi, mente, magis iam compoſita, repetenti, paulloque attentius mecum pertractanti, tantam ſui animaduerſionem excitant, ut eis praecipua ſalutis noſtrae capita comprehendi uideantur. Sola enim fide, quae in Chriſti iuſtitia, nobis donata, reponitur, omni crimine ſic abſoluimur, uti pro iuſtis habeamur. Sola fide, qua, diuinum Chriſti meritum amplexi, iuſtitiam eius, nobis muneri datam, capeſſimus, ad ſalutem peruenimus. Hoc Tabulis diuinis utriuſque Foederis promulgatur, hoc omnis antiquitas, quae dirigitur norma coeleſtis doctrinae, profitetur, hoc noſtrorum ſanctitas librorum Symbolicorum, e fontibus ſacris hauſta, tradit, eoque ueritatis aeternae telo ſe tuetur. Id ipſum ille Elias alter, cuius, a latere aſtantis, inſtar, quaſi ſpirans, cernitis, Martinus Lutherus, hac in Aede ſanctiſſima, ex hoc ſuggeſto, quod altius extructum conſpicitis, magno ardore animi docuit, incredibili conſtantia defendit. Namque, expulſa, quae inueteraverat, de meritis homines in coelum uocantibus opinione, fidem ſalutarem, quae ſeſe totam in Chriſto, eiuſque iuſtitia, collocaret, in mentes hominum reducere ſumme contendit, et Sola Fide, Solo Verbo, quod hanc fidem

explicaret, ſummam ſalutis contineri, luculente grauiterque demonſtrauit. Itaque Fidei, de integro aſſertae, cauſſa Vitembergae tam acriter eſt acta, ut Fides haec Salutaris, hoc in auguſto loco, ubi iam dico, maximo Dei immortalis beneficio, ſummo in omnes mortales merito, renata quaſi, atque hinc demum, recuperata dignitate priſtina, quam operum humanorum inſolentia, atque oſtentatio abſtulerat, in Orbem terrae, meliora nunc edoctum, denuo ſparſa, lateque diſſeminata, uideatur. Quod ſi ex tot tantiſque promeritis, quae Vitemberga in diuinam humanamque ſapientiam contulit, nullum ciuitatis huius aliud extaret, quam officium fidei Salutaris, ex tanta tot ſaeculorum caligine in lucem reuocatae, hoc unum ſane, hoc, inquam, unum tanti foret, ut, quanto Fides, in argumento Salutis conſequendae, operibus hominum, ſibi praefidentium, antiſtat, tanto Vitemberga, huius Fidei uindex, omnibus uniuerſae Europae Academiis uideatur anteponenda

Caput igitur rei eſt, Fidem mente concipi retinerique, ſed illam religioſam atque caſtam, illam item firmam atque ſtabilem, quam oſtendit Abrahamus, Deoque praeſtat ac probat, admiran-

Digitized by Google

mirandum in modum. Namque ea uiri ſanctiſſimi fides diuinis monimentis ita mandatur, ita celebratur, ut omnis poſteritas habeat, quod ab ea diſcat. Ac Moyſes quidem fidem, Deo habitam, in eo locat gradu, ut, ea, dicat, Abrahamo iuſtitiam pari, qua ueniat hic in numerum iuſtorum. Chriſtus autem Iudaeos, huius fiduciae, quam reperit in Abrahamo, ſenſu uacuos, magni probri inſimulat, eoſque, ut degeneres, a communitate ſeminis Abrahamitici diſiungit. Quid igitur ipſe Seruator hominum in Dei populo, et polluta huius religione, maxime deſiderat. Abrahami fidem. Quid in iuſtitia Romanorum Paullus. Abrahami fidem. Quid idem in cultu Galatarum, qui Legem cum Euangelio confundunt. Abrahami fidem. Quid in fide multorum, hiſtorica duntaxat, neque comprobata recte factis, Iacobus. Abrahami fidem. Fides Abrahamum tantis exaggerat honoribus, ut hic, diuinis praeconiis, dicatur Pater Deo fidentium, Amicus Dei, Sator denique ſtirpis, qua Meſſias ipſe generatur. Eadem fides tantum ualet, ut Deus ipſe nominari uelit Deus Abrahami, tanquam uerus Deus, eoque inſigni a numinibus commentitiis diſcerni, ut Chriſtus Abrahami gremio tranquillitatem atque ſecuritatem aeternam,

Digitized by Google

nam, et eiuſdem conuiuio fructum gaudii ſempiterni beatiſſimum, adumbret. Hac fide beata militat Eccleſia, hac triumphabit

Quae quidem cum magna ſint, ſed a fide tamen proficiſcantur cuncta, quantum iam momenti, arbitremur, in fide ab ipſo Deo poni. Plurimum certe. Nam fides dirigitur in unicum illud ſalutis humanae ſubſidium, quod in ſacroſancto aeternoque totius Diuinitatis conſilio decretum eſt, quod mortalibus, perfidia ſua peritis, uoce coeleſti, ad ſpem deſperatorum redintegrandam, promulgatum, quod piis *omnium* aetatum in oculis habitum, in mente defixum, memoriaque perpetua cultum. Fides enim haec ſpectat in Chriſtum, ſine quo intercluſus eſt omnis ad Deum aditus, nulla gratiae diuinae conciliatio, nulla coniunctio cum Deo, nulla denique ſpes humana. Haec autem fides quaerenda eſt, non in ſimplici, ac mera, hiſtoriae notitia, ut Chriſtum nihilo magis, quam ceteras res, ſcientia dignas, habeamus cognitum, ſed, praeter hanc notitiam, in ea potiſſimum animi religioſi affectione, quae, aſſenſione pia atque certa, in promiſſa feratur, hominibus ſeruandis diuinitus facta, atque in horum ueritate firmiter con-

Digitized by Google

constanterque insistat, tanquam in fundamento, quod nulla ratione labefactari euertique possit. Habet ergo fides fiduciam, omni ex parte assentientem promissioni, qua Deus spondet confirmatque, propter Christum se mortalibus iri placatum. Quis enim est, qui uelit usque eo obsurdescere, ut gentium Doctorem nolit audire, non Romanis modo, sed etiam cunctis, acclamantem, Ergo, inquit, per fidem id fit, ut sit gratuitum, quo rata sit promissio omni posteritati. Haec ille. Huius autem fidei tanta est dignitas, ut ea homines cum Deo, a quo distracti erant, rursus copulet, tanta necessitas, ut sine ea salus humana iaceat, tanta iucunditas, ut homines, dum adhuc in terris uersantur, cogitatione euectos, in mediis beatarum mentium choris collocare uideatur. Habet enim, quo confugiat, quo gaudeat, quo se, inter acerbissimos uitae casus, sulciat, illud praesidium, quod ei misericordia Dei, propter Christum promissa, proponit, firmum utique, et consolationis maximae plenum. Haec enim misericordia, Christum, et sacrosanctum eius Meritum, respiciens, Deum mouet, eoque adducit, ut mortales omni culpa poenaque soluat, quam Christus morte sua luit, eosque, sententia sua absolutos, perinde iusto-

rum

rum ducat numero, ac ſi nulli unquam culpae fuiſſent affines. Illud autem admirabile eſt in fide ſalutari, quod ſola nos expiare, uindicare, ſeruare, poteſt, ubi nihil omnino ualent opera quantacunque mortalia, in quocunque uirtutum genere edita, quocunque tandem nomine cenſeantur, quocunque externo rerum admirabilium fulgore colluceant. Haec enim cuncta Lex illa ſeueriſſima, diuina, aeterna, quae recta, perfecta, abſoluta, imperat, prohibetque contraria, impuritatis arguit iſtius, quam omnis hominum uita ſuſcipiat, nihil eius relinquens dignitatis priſtinae, quam ortus rerum parentibus humani generis dederit, noſque conditori noſtro praepotenti probare ulla ex parte poſſimus. Itaque ſolus nobis Chriſtus ſupereſt, qui nos, a morte aeterna redemptos, ſupplicio ſuo conſeruet, ſolaque fides, quae, Chriſtum diuinumque eius Meritum amplexa, nos, et flagitiis contaminatos, Chriſti ſanguine perpurget, et iniquitatis noſtrae conſcientia perditos, ab omni metu iudicii extremi uſque eo liberet, nullum ut damnationis periculum extimeſcamus. Haec autem fides tanto ſtabilius eſt ſubſidium incolumitatis humanae, quanto luculentioribus, firmioribuſque, promiſſis Verbi Diuini fundatur, ubi

uox

Digitized by Google

uox Euangelii ſalutem mortalibus nuntiat. Euangelium enim beatum illud optatiſſimumque eſt inſtrumentum, quo fides in nobis fit, excitata, et roborata, ui Spiritus Sancti, qui Verbo Coeleſti efficax eſt, et mentem uoluntatemque noſtram, ad agnoſcendam, atque accipiendam, quae nobis offertur, gratiam, impellit. Qua ex re, tanquam ex fonte quodam ſalubri, tum alia ſalutis adiumenta manant, tum caput horum, reconciliatio gratiae diuinae, qua, ex pacto Dei, iuſti pronuntiamur, et iuſtitiam Chriſti induimus, ut ueſtem noſtram, eaque ornati, a Deo bene clementerque accipimur. Haec autem reconciliatio, quae longe maius quiddam poſtulat, excludit omne adminiculum humanae uel actionis, uel dignitatis, uel uirtutis, et, ratione unius Chriſti habita, efficitur, quia unice propter Chriſtum promiſſa eſt. Sed, quoniam diuinum promiſſionis huius ſalutaris beneficium aliter, ac uera fide, accipi non poteſt, haec quidem fides eſt illa dextra, qua iuſtitiam Chriſti prehendimus, ut eius nos uirtute totos inuoluamus. Quo fit, ut noſter cum Deo in gratiam reditus non poſſit non conſequi ex fide, quae ui Spiritus Sancti commota corroborataque ſit. Iam, Deo tibi reconciliato, quid eſt, quod in eius gratia non ha-

Digitized by Google

beas, aut quid maius ac melius optare possis, eo, quod iam nactus es. Ingens bonum est rectae mentis conscientia, ex eaque tranquillitas animi, quam omnes cupide anquirunt, pauci inueniunt. Sed huius boni fructum fides parit, quae, placans Deum, placido eius uultu tacitum conscientiae gaudium excitat, atque hac gratiae diuinae fiducia omnes omnium rerum, uel asperrimarum, terrores superat. Nihil porro sanctius est ad officii religionem, nihil munitius ad uitae conseruationem, nihil ualentius ad omnium aegritudinum leuationem, quam Deum sancte inuocare, eumque ex animo amare, cum spe non dubia constantique auxilii diuinitus impetrandi. Vtrumque dat fides, in Christo innixa, quae cum Deo nos in gratiam reducit. Quis enim hunc non inuocet, quis hunc non amet, ac tota mente colat, cuius benignitati exploratissimae, et semper in calamitosos propensae, nunquam ad largiendum restrictae, semper inexhaustae, confidere possit, in omni rerum difficultate. Hunc denique, qui Numen habeat propitium, quis fructu priuet uitae ipsius sempiternae. Tantum est bonorum, certissimorum utique et maximorum, stabilium atque fixorum, praesentium ac futurorum, quae fides illa salutaris affert eis, quorum

in

Digitized by Google

in mentibus tam firmiter insidet, nullo ut euelli modo possit. Multo plus igitur complectitur haec fides, quam, ei cognata, spes, liberationem futuram expectans. Huius enim spei ipsam continet caussam, quam clementia praebet Dei, hominum propter Christum miserentis. Repudiat autem, ut omnem fucum, sic omnem fidei simulationem, Deo maxime inuisam, a qua penitus abhorret. Repellit desperationem, quam a uoluntate Dei recuperata alieniſſimam, in eam quoque ipsam maxime iniurioſam, putat. Comprimit omnem formidinis impiae sensum, quia Deum non, ut iratum iudicem, pertimescit, sed, ut cariſſimum patrem, diligit. Sic fides haec sincera, atque perseuerans, magnum, ac mirabile, Dei munus est, ac necessarium omnino ad salutem miseris mortalibus dandam, quos quidem ipsa promiſſio salutis, propter Christum facta, nihil iuuaret, nisi hi assentirentur ei, huic autem aliter, nisi fide, assentiri non possunt. In primis haec fides, quae tota pendet ex ope coelesti, longe abest a licentia Arbitrii Liberi, quod temeraria finxit confusio diuinarum humanarumque rerum. Quid enim fidei sanctae cum hoc Arbitrio, tam profano libidinoſoque, negotii possit esse. Hoc, cui libertas mentis, iam du-

Digitized by Google

dum perdita, affingitur, uiribus confidit humanae naturae. Haec autem, quam labes originis miſere deprauauit, nullam, in diuinis, praebet facultatem ea uel intelligendi, uel eligendi, quae ſint optima, ſalutemque periclitantibus ferre poſſint. Vagatur enim incertis, ac perniciosis, tum intellectus, tum uoluntatis, erroribus. Cum res agitur, in diſcrimenque uenitur, tum, praeſentia tantum, quae ante oculos obuerſantur, conſiderans, futura non proſpiciens, animo facile cadit. Nam, quia nititur imbecillitate mortali, hanc, qua fidit, in repentino magnoque animi cruciatu, languere penitus, ſentit, nihil afferentem auxilii, neque praeſentis, neque futuri. Ita, qui rei, tam fatuae, tam inermi fallacique, ſe credunt, ſuis in delictis, quorum expiatione carent, deſperantes, pereunt, contempto auxilii robore, certiſſimoque ſolatio, quod in numine, ac bonitate, Seruatoris unici paratiſſimum ſemper inuenirent. At fides, altiora ſpectans, infirmae naturae uiribus, in arduo ſalutis opere, nihil tribuit, ſed Dei gratiae, qua oritur, ſuſtentatur, gubernaturque, totam ſe committit. Eſt enim dos uiſque diuina, quam Spiritus Sanctus per Verbum Coeleſte impertit, qua regit idem firmatque mentes, Verbi huius ſacroſancti luce collu-

ſtra-

Digitized by Google

ſtratas. Haec fides Chriſtum oculis intentis, nec uſquam ab hoc deiectis, intuetur, atque in eo, ſibi ſemper et ubique praeſenti, ſe ſuaque reponit, qui rebus aduerſis conflictantes, calamitatibus oppreſſos, iamque diſpereuntes, ex ipſo teterrimae peſtis ore, ex ipſis inferorum faucibus, eripere et uelit omni tempore, et poſſit. Itaque periculum inſtans uidet quidem illa, ſed una Chriſtum, omni rerum diſcrimine longe potentiorem, uidet, huiuſque auxilio freta, ſpem nunquam abiicit e malis ſe feliciter emergendi. Arrepto ſic praeſidio Chriſti, cuius in uulnera ſe abdit, eoque propugnaculo terroribus cunctis oppoſito, euadit incolumis. Experiuntur iam, qui Chriſtianis piae fidei armis contra hoſtes contendunt, eoſque profligant, ipſo felici rerum euentu, ſola nos fide ſaluos fieri, quae nobis ſola conſolationi ſit aduerſus peccatum, mortem, aeternamque perniciem. Eſt autem duplex haec, de qua diſputamus, fides, una acris, ualens, robuſta, altera remiſſior, debilior, infirmior. Vtrumque genus ergo uiribus diſpar eſt, neutrum tamen ingratum Deo. Quantum fidei robur in Noacho uiget, cum in Arcam, iuſſu diuino, ingreditur, ex eluuione fatali, qua demergendus eſt Orbis terrae, ſolus, cum familia

Digitized by Google

ſua, ſeruandus. Quantum, in Iacobo, luctante cum Angelo, uſque ad primam lucem. Quantum, in Iona, Ceti per triduum inquilino. Quantum, in Syrophoeniſſa, ipſi Chriſto mirabili. At fides diſcipulorum ut fluctuat in naui, praeſente tamen magiſtro. Vt fides Petri iactatur, titubante per aquam inceſſu, porrecta demum Chriſti dextra excipiendi. Vt denuo fides diſcipulorum fame quaſi conſumitur, panes non habentium, eiuſque inopiae cura anxiorum. Ac multa quidem, uideas, paſſim, recte explicata, de fide lactante, luctante, triumphante, ipſaque heroica, atque hac in primis admirationem *in hiſtoria* ſacra, et cruciatu conſtantiaque Martyrum, legentibus moueri. Sed, repetita omnis aetatis memoria, nullum heroicae fidei documentum reperias, fidei comparandum Mariae, Matris illius diuinae. Quantum enim a naturae legibus, et omni ratione, abhorret, uirginem, integra uirginitate, parere. Quam ignotum eſt omni rationi, coeleſti ſcientia non informatae, humanum fetum, uirtute inumbrandi altiſſima, nullo ſtirpis patre, procreari. Vt finitum, haud capax infiniti, repugnat, quo minus Deum, carne tectum, uterus maternus edat. Maria nihilo minus, ſanctae fiduciae plena, habet certum id, quod ei Angelus

Digitized by Google

gelus nuntiat, Dei Filium se genituram. Hanc illius fidem Elisabeta discit ab ipso Spiritu Sancto, quo repleta est, eiusque magnitudinem admirans, ipsam Mariam praedicat beatam, quae crediderit, euentura sibi, quae diuinitus promissa sint. Itaque fides Mariae singularis erat, in opere plane singulari, quo fungi debebat, ad hoc lecta diuino consilio, coelestis uerbi recordatione ac meditatione confirmata. Cum autem uera fides tantum momenti ad salutem habeat, assidue precandus est Deus, ut fide quam maxima nos instruat, quae tamen si qua laboret imbecillitate conditionis mortalis, hoc nimirum solatio nobis fuerit, a Deo ne infirmiorem quidem fidem repudiari. In oculis habenda nobis est cum aliorum prisca sanctaque fides, tum Abrahami illius, spei contra spem, ut Paullus Romanos docet, insistentis, quem res, ut uidentur, desperatae, non frangunt, sed eum spes, in Deo fixa, sic erigit, sic firmat, ut, nihil a Deo sibi, credat, adimi, quin idem sibi ab eodem abunde cumulateque restitui possit.

Quae sit, qualisque, Fides illa, salutis capax, eiusque ministra, summatim dictum est. Sed ad fidem meam, pia quadam accommodatione exer-

Digitized by Google

exercendam, et conſiderandam perinde, ac ſi ea cauſſam ſalutis apud Deum agat, animum nunc inſtituo. Vt Deus homines doceat, qualis ipſe ſit, et quo affectus erga eos, impios etiam ac maleficos, ſit animo, ſuas, negat, cogitationes eſſe tales, quales hominum eſſe ſoleant. Id Eſaias ille, tam altus, tam luculentus, diuinae mentis interpres non commemorat modo, ſed ipſum etiam Deum facit quaſi loquentem, et coram cum homine agentem. Haec, inquit, Vox eſt Iehouae. Deus ergo, ut, quid ſentiat de mortalium ſalute, apertius declaret, atque hoc altius in mentibus infigat, quantum, oſtendit, coelum, terra, ſit altius, tantum uias ſuas altiores eſſe, uiis humanis, et cogitationes ſuas, cogitationibus humanis. Hominem autem, uelut ad ſe aduocatum, in medio ſtatuit, ei non arcem forte editam, non turrim excelſiorem, non montem aliquem excelſiſſimum, monſtrat, ſed ipſum coelum, quo nihil celſius ſub aſpectum cadere poteſt. Huc digitum intendit, ut illum redigat in hominis memoriam, qui coelum terramque ex nihilo, et quidem uno ſoloque Verbo ſuo, condiderit, qui homines bonis coeleſtibus ornauerit, qui hominis uitam adhuc munificentia ſua tueatur, eamque omnium rerum

Digitized by Google

rum copiis inſtruat, quem nihilo ſecius homo deſerat, ingratus, perfidus, contumax. Terram ſimul homini monſtrat, ut eum commonefaciat humi, unde ſit excitatus a Deo, ubi ſit ab ſe collocatus ad ſuum numen celebrandum, ubi beneficio ſuo ſpiret, moueatur, uigeat, ut eum humilitatis ſuae admoneat, et ſui erga Deum, conditorem conſeruatoremque, officii, quod tamen iſte ſcelerata quadam audacia, nefaria pertinacia, effrenata pereundi libidine, uiolarit. Deus igitur homini, coeli altitudinem contemplanti, terrae a coelo diſtantiam uidenti, et, quantum ipſe in terra peccauerit, recogitanti, horrenti idcirco, ac iuſtam Dei in ſe iram, quam ipſe commeruerit, ponderanti, praeter hominis opinionem, Quantum, inquit, coelum eminet ſupra terras, tantum uiae, et cogitationes, meae excedunt cogitationes ueſtras. Ante uero, quam hoc dicat, hortatur impium, uti uias ſuas, improbum, uti cogitationes ſuas, relinquat, et recipiat ſe ad Dominum, qui miſereatur eius, ad Deum, qui tam exorabilis ſit in offenſis. Dominum ſe dicit, ut ſuum in omnes res conditas, in hominem maxime, cultui ſuo dicatum, dominatum oſtendat, ut doceat, quantum ſit, ab hoc praepotenti beneficoque Domino, non

Digitized by Google

ob ullam imperii acerbitatem, ſed ſola prauitate animi et cupiditate rerum nouarum, deficere, atque ab eo, uelut a furioſo domino, profugere, ut ſignificet, quanta merito poena ſceleris, ea re admiſſi, ſeditioſis, ac fugitiuis, pendenda ſit, ut palam faciat, quam nihilo minus ipſe ſit facilis in accipienda ſatiſfactione, ad officium cum redeatur. Deum ſe nominat, ut notet, nullius humani mali contagionem ad ſe pertinere, ut aperiat, Numinis, quod ubique praeſens ſit, effugiendi nullam dari facultatem, ut doceat, facinoroſis nihilo ſecius, qui quidem emendari cupiant, cum Deo in gratiam reditum patere, ut intimum denique ſenſum diuinitatis ipſius in ſe demonſtret, non tam perfectae cuiuſque uirtutis plenum, quam ipſum bonitatis omnis, uberrimumque, fontem. Hic igitur diuinitatis erga homines ſenſus, quo lenior eſt atque mitior, eo maiorem eis beneficentiam promittit, quo amantior hominum, eo minus eorum peruicacia offendendus eſt, quo promptior ad condonandum, eo magis gratia Dei quaerenda, accipienda, colenda. Ad ſummam, ne, tanta de re multum dicendo, parum dicam, Deus hic, ſe Deum eſſe, oſtendit, non hominem, ſicut apud Oſeam loquitur, uti manca, tenuia, mediocria,

Digitized by Google

diocria, cuncta, quae ſint humanae ſortis, a faſtigio atque ab immenſitate excellentiae ſuae, omnium rerum praeſtantia ſummae, penitus excludat. Primum ergo declarat, quantum ab hominum exitio abhorreat, eoſque uelit eſſe ſaluos, eos, ſuis ipſorum conſiliis deuios, in uiam rectam, unde deceſſerint, reuocans, danſque ſalutem redeuntibus ad ſe. Teſtatur deinde, ab ſe non modo facta hominum, externis morum notis impreſſa, conſiderari, ſed ipſas etiam cogitionum latebras excuti. Tum, eis, confirmat, qui reuertantur ad ſanitatem, non iudicis rigidi atque inexorabilis terrorem, ſed certam paratae ueniae ſpem, proponi. Denique demonſtrat, quem ad modum ipſe ſit animatus erga homines, uera malefactorum ſuorum poenitentia ductos, tam bene uidelicet, ut, in conſilio ac ſtudio gratiae faciendae, longe promptior ſit ad dandum, quam homines ad accipiendum. Hoc ſe loco totum aperit, ipſumque pectus ſuum, quod miſerationis, caritatis, benignitatis, eſt plenum, et ſalutis humanae deſiderio flagrat. Itaque nihil de Dei in humanum genus amore cogitari poteſt, quin altiſſimum ſit, nihil praedicari, quod plene informari mente poſſit

Digitized by Google

Quantum enim inter diuinas humanaſque cogitationes intereſt, ſi quidem tantae differentiae umbram duntaxat aliquam conſectemur, eamque conſideremus. Hominum iudicia, proborum etiam, ita ferunt, his eſſe fauendum, ac benigne faciendum, quos uirtus beneficiis dignos praeſtet, habendos odio, repellendos, plectendos, qui tali ſe uirtute non praebeant, et, identidem praeſertim moniti, de ſententia ſua non deſiſtant, moreſque haud mutent. Iſtos quoque, recte dictitant, ipſa morte multandos, qui atrocium facinorum capitaliumque damnentur. haec, aiunt, amputanda ciuitatis *membra*, ne reliquis noceant partibus corporis eiuſdem. Cenſent enim rationi conſentaneum, uirtutibus recteque factis praemia, uitiis ſceleribuſque poenas, decerni. Hoc in legibus, quae ex rationis principiis feruntur, arbitrantur, eo rectius fieri, quod hominibus natura det facultatem, leges, in ciuitate conſtitutas, ſi uelint ii, operamque dent, ſeruandi. Leges autem in moribus factiſque hominum, res eas reſpiciunt, quae manu teneri poſſint, in oculos incurrant, externis manifeſtiſque indiciis, ueſtigiis, notis, patefiant. Aſtutias, quae ita mente premuntur atque abduntur, ut dolum malum ſignis manifeſtis non pro-

Digitized by Google

prodant, philoſophis relinquunt, ratione et intelligentia tollendas, ut Tullius Marcum ſuum docet. At uero Deus, qui introſpicit in mentes, earumque receſſus intimos pertentat, corruptam uidet hominum naturam, quae factis ſuis tantum uirtutis adhibere non poſſit, quantum eius Deo probetur, conſeruanda Lege illa, quam non modo actionibus hominum ſanxit, uerum ipſis etiam cogitatis. Ergo, iuſtitiam ſuam, animaduertit, poſtulare, ut, ſi iure ſit agendum, mortales, in communem prolapſi culpam, communi poena afficiantur, parique omnes iudicio funditus deleantur. Huius eum calamitatis humanae, cui nullae mederi uires humanae poſſint, miſeret eo magis, quo minus uelit, homines ad imaginem ſui fruſtra conditos eſſe. Init ergo rationem ſalutis humanae mirabili conſilio expediendae, ſalua iuſtitia ſua. Vt iram miſericordia temperare ſolet, ita mortalibus dat Filium ſuum, cum eoque omnia ſua largitur. At filium dat, non ſuaſionibus demum huic rei, quantumuis calamitoſae, conciliandum, ſed ipſum iam, ad miſeris ſuccurrendum, uoluntate ſua excitum, atque alacrem. Qua uero mente dat illum. Vt, hominum ſubiens locum, hic ipſe, qui Deus eſt, fiat item homo, ac naturae diui-

Digitized by Google

nae iungat humanam. Hac enim duarum copulatione naturarum facultatem nanciſcitur complendi ſummam Legis, quam uetuſtiſſimi mortalium totam neglexerant, et expiandae iuſtitiae diuinae, cuius iidem ruperant omne fas. Ergo Deus, ſui quaſi oblitus, Filium unicum, et unice dilectum, in ſupplicium tradit, ut hic, poenas hominum capite ſuo expendens, eos ab interitu retrahat. Habes admirabilem Dei bonitatem, quae, excelſitate ſua infinita, omnes hominum cogitationes ſuperat, tantoque abſolutior eſt, quanto magis omnes ſanctitatis, ſapientiae, aliuſue uirtutis perfectae, numeros habet, ipſamque originem ultimam continet excellentiſſimorum, omniumque, bonorum. At, quicquid hominum mentibus informatum, anticipatum, excultum, eſt, hoc quidem certe, cum emendatiſſimum atque optimum cenſueris, per infirmitatem tamen conditionis mortalis, ſaepe multum occultae prauitatis, inſcientiae, aliuſue labis, admixtum gerit, ut, ſi plene bonum, uerum, ſincerumque, in eo quaeras, multa ſit opus emendatione, neque eo magis altiſſimus excellentiae gradus in eo teneri poſſit. Vides igitur ſummam Dei benignitatem, effuſamque eius in homines caritatem, qui quidem ex uero Deo, mirum dictu, Θεάνθρωπον efficiat,

Digitized by Google

ficiat, ea ratione, ut duae naturae, diuina humanaque, in una perſona, ſocientur, et, participata inter ſe proprietatum ſuarum communicatione, arctiſſime inter ſe uinciantur. Hoc autem propterea fit, uti Deus, qui cuncta numine ſuo replet, nihilo ſecius humana tectus carne, uerus homo fiat, et humano corpore, diuina uirtute, poenam hominum luat, eoſque tutos ſua morte reddat. Adeo longe iudicium diuinum ab humano diſtat, in actionibus hominum conſiderandis. Illam autem, quam dixi, Deus beneficentiam, cum nulla dum ratione reconciliatus eſſet, neque ulla hominum expiatione reconciliari poſſet, deſertoribus nihilo minus ſuis atque hoſtibus impertit, adamans eos, quos odiſſe, ac perdere, meritiſſimo potuiſſet. Qualis autem iam, cedo, hominum inter ſe amor. Simulatus plerumque, fucatus egregie, malitioſis officiorum blanditiis ornatus, multa commendatus ſuauitate oris atque uocis, raro ingenuus, raro uerus. O quoties certos quoque amicos deſideres, in re incerta. Homines enim florentibus ſe uenditant, afflictos deſpiciunt, ut nunquam cognitos, ac penitus ignotos. At uide tibi, rebus ſecundis, multitudinem aſſentatorum undique affluentem, inferentem ſe in domum tuam, in tuam ſe conſue-

Digitized by Google

ſuetudinem temporariis obſequiis immergentem, uno ore laudantem fortunas tuas, tecum, tanquam cum ſapientiſſimo ac beatiſſimo, magna cum admiratione omnium dictorum factorumque tuorum, conuiuantem, te, quocunque iueris, proſequentem, tecum pernoctantem, tecum peregrinantem. Abundas amicis, ſtipatus horum choris, munitus horum comitatu, horum defatigatus officiis. Qui fit autem mox, ut, rebus aduerſis, ſolitudini relinquare, deſertus ab amicis, nudus ab ipſis quoque propinquis. Nimirum ſolent fortunae magis, quam homines, amari. Plurimum enim diliguntur, a quibus plurimum ſperatur. Nondum autem inter homines de ipſa amicitiae cauſſa conuenit. Hanc ſapientiores in uirtute ponunt. Hos enim amare ſolemus, in quibus aliquam uirtutis indolem cernimus. Qui uero ſibi uidentur ſapientiſſimi; ſolique Sapientes, hi quidem uirtutem bonitatemque perfectam requirunt, quam tamen ipſi ſola tenent opinione ſua. Talem autem bonitatem cum inter homines reperire non poſſis, in his ne ipſam quidem amicitiam inueneris. Pleriſque amicitiam ita gignit imbecillitas atque indigentia, ut hi quaerant amicos, quorum indigeant ad uſum uitae degendae.

Ita-

Digitized by Google

Itaque utilitatem potius ſequuntur, quam honeſtatem. Quo fit, ut, uel imminuta, uel ſublata, ſpe utilitatis, amicitia ipſa uel refrigeſcat, uel extinguatur. Plutarchus, ab amicorum multitudine dehortans, turbam, docet, aſſentantium amicorum, adempto quaeſtu, diutius haud manere, quam muſcas in culinis, eſca dempta. O quam difficilis ergo inuentu eſt amicitia uera, amorque uerus, illi iunctus. M. quidem Cicero, cum de amicitia ſcribit, repetita omnium aetatum memoria, ex omnibus ſaeculis uix tria, aut quatuor, paria reperit amicorum. Idemque, aliis locis, Damonem, et Phintiam, Pythagoreos, commemorat, hoc animo inter ſe fuiſſe, ut alter uoluerit pro altero mori. Sed hine reuera tales amici fuerint, ſi quaeras, Ferunt, inquit. Perinde, ac ſi haereat in re, nondum expedita, cuius famam potius illius, quam fidem, praeſtare poſſit. Poſterioris quidem aetatis alii hanc eorundem amicitiam admirantur, at Plutarchus item, ubi eoſdem in quinque illis amicorum paribus, quae reperire poſſit in tot ſaeculis, commemorat, Hos tales amicos narrari, oſtendit, nihil amplius. Quaſi non admodum facto confidat huius amicitiae, paullo ante eximie collaudat illum Menandri adoleſcentem, qui, ſe, dicat, ualde mirari, ſi cui bono detur amici uel umbra.

Digitized by Google

Fuerit in amicis fides perſaepe ſolutior, at in fratribus tamen tanto aſtrictior erit, quanto arctiori hi inter ſe uinculo ſanguinis continentur. Vtinam uero hic naturae ius ualeret. Neque enim hoc in Caino, fratrum omnium primo, Abel experitur, neque in Eſauo Iacobus, neque in fratribus pleriſque Ioſephus. Ioramus, qui Ioſaphato ſuccedit, omnes fratres ſuos, quos pater locupletauerat, ferro trucidat. Quid loquar alios, ueri Dei ignaros. Atreus, Mycenarum, ac Peloponneſi, rex, Thyeſtae, fratri, ipſos filios apponit epulandos. Hanc imaginem dubiae inter fratres fidei ingenio ſolertiae ſuae *pingunt* Poetae, communis uitae et curioſi ualde, et conſulti in primis. Quid hiſtorici, mores hominum, illuſtrium maxime, in conſiliis factiſque contemplantes. Sino, in ipſis Romae primordiis, Romulum et Remum, de quibus ille, muri cauſſa pietati et humanitati praelata, fratrem interimit, quod ei uidetur utilius, ſolum ſe, quam cum altero, regnare. In Sicilia Dionyſius fratres interficit, tyrannidem in ſuos prius, quam in exteros, auſpicatus. Phraates, in Parthia, fratres triginta obtruncat, cum patre, et adulto filio, ne eſſet, qui nominari Rex poſſet. Taceo bella fraterna, in Perſis, Cyri cum Artaxerxe, qui cominus ipſi manum conſerunt, in Cappa-

Digitized by Google

Cappadocibus Orofernis cum Ariarathe, in Parthis, Mithridatis cum Orode, qui, fratrem in conſpectu ſuo trucidari, iubet, in ipſa quoque recentioris memoriae Saxonia, inter Fridericum II Placidum, et Vilelmum. Plurimum lucis huic loco Plutarchus affert, Familias Regum, teſtatus in Demetrio, ſucceſſorum Alexandri M paene omnes, frequenti liberum, matrum, uxorum, caede, cruentari. fratrum enim parricidia, ut poſtulata Geometrae ſumant, ſic olim conceſſa atque habita fuiſſe, tanquam commune quoddam poſtulatum, ac Regium, ad ſecuritatem. Hoc etiam nunc in Turcis habere locum, ignorat nemo. Quid plura. Vnus ille Philippus, Macedonum rex, germanitatis, inter fratres deſideratae, teſtis citetur paternus, eoque locupletior. Hic, amicis coram, praeſentibus duobus filiis, Perſeo ac Demetrio, qui contendunt inter ſe de regni ſpe, Sedeo, inquit, miſerrimus pater, iudex inter duos filios, accuſatorem parricidii, et reum. Quoties ego, audientibus uobis, deteſtatus exemplа diſcordiarum fraternarum, horrendos euentus eorum retuli, quibus ſe, ſtirpem ſuam, domos, regna, funditus euertiſſent. Viuo, exclamat, et ſpirante, me, hereditatem meam ambo, et ſpe, et cupiditate, im-

Digitized by Google

proba creuiſtis. Nec fratrem, nec patrem, poteſtis pati. Nihil cari, nihil ſancti, eſt. Haec ille apud Liuium, ira furens. At filio tamen pater ſanguine coniunctior eſt, quam frater, ob eamque rem filio carior eſt pater, quam frater, poſtulante natura, probante iudicio optimi cuiuſque. Recte uero. Quantum enim debes ei, a quo uitam accepiſti, ſine quo ne eſſes quidem. O quam amabile igitur patris nomen eſt, quam ſanctum etiam, quod ipſe ſibi Deus a populo ſuo depoſcit, quod Dei Filius formulae precandi dat illi, quam ipſe, ad Numen coeleſte mortalibus placandum, praeſcribit, cuius reuerentiam nominis tanta cura exigit, ut eo praemuniat ipſas preces. Ac Deus quidem ipſe, apud Ieremiam, appellatione patris adeo delectatur, huius ut nominis cultui res ſecundas promittat. Dico, inquit, Pater mi, inuocato me. Sed, Iſraelitas, mox queritur, officii oblitos, ab ſe deſciuiſſe, perfide ſecum egiſſe. Et, Malachia queſtum ad contemptores nominis ſui miſſo, Si ego Pater, inquit, ubinam eſt honor meus. Tantum dignitatis in paterno nomine conſtituit. Sed quoties, quantumque, liberorum in parentes amor friget. Chamus, unus ex tribus Noae filiis, merſis

Digitized by Google

merſis eluuione terris, mirabili beneficio Dei ſeruatus, tantum quod ex arca exierat, cum patri nudato illuſit, eiuſque ſtirps diris paternis deuouetur. Cui non dictus Abſolon, ſed Dauidi deſideratior, quam ulli poſteritati, quae tantae in patrem impietatis memoriam perhorreſcit. Quid Artaxerxes, rex Perſarum, qualem benignitatis ſuae fructum a Dario, filio, tulit, cum eum, uiuus adhuc, contra morem gentis ſuae, regem feciſſet. Hic, paterni ſingularis beneficii negligens, patris interimendi conſilium capit, coniuratione quinquaginta fratrum facta, quibus tam uile eſt paternum nomen, ut ex eis reperiatur nemo, quem aut paterna maieſtas, aut ueneratio ſenis, aut indulgentia patris, ab immanitate tanta reuocaret. Itaque Darius, indicio deprehenſus, poenas parricidii dat pariter cum ſociis, quorum coniuges quoque omnium cum liberis, ne quod ueſtigium tanti ſceleris extaret, caeduntur. Quid. In Aegypto quod pietatis munus obit Ptolemaeus. Hic enim, patre et matre interfectis, regnum occupat, et, ex facinoris crimine Philopatoris cognomen capit. Illud autem ipſum Io. Valenti, homini docto, mirationem facit, atque etiam incredibile uidetur, quod uete-

Digitized by Google

ra quoque Aegypti Numiſmata hoc Philopatoris nomine inſigniantur, ut difficile ad fidem ſit, ipſum Ptolemaeum in ſui infamiam numos cudiſſe. Quaſi uero Rex, tam flagitioſus, ac perditus, qui, Eurydice quoque uxore, eademque ſorore ſua, occiſa, noctes ſtupris, dies conuiuiis, exigens, ipſum magiſtrum nequitiae agens, omnem magnitudinem nominis ac maieſtatis oblitus, non regiam modo, ſed totum etiam regnum, infamauerat, ab ulla ſibi infamia timeret, nec ſua potius licentia gloriaretur. Quis igitur, haec intuens, aes Aegypti, multis dubitationibus obſcurum, praeferat antiquo claroque Trogi Pompeii teſtimonio, quod Iuſtinus exponit. Quid. Cum Romae a triumuiris tabulae proſcriptionis proponuntur, quis tum maiorem erga ſe fidelitatem ſperauerit, quam parentes filiorum. At Velleius Paterculus, qui temporis huius miſerias ſatis deflere non poteſt, illud notandum, putat, fuiſſe in proſcriptos uxorum fidem ſummam, libertorum mediam, ſeruorum aliquam, filiorum nullam. Ne cauſſam amoris, quem natura uidebatur ingeneraſſe, nefarie oppreſſi, neſcias, idem, Adeo, inquit, difficilis eſt hominibus, utcunque conceptae, ſpei mora. Vt multa externarum gentium, magnis quondam in regnis, in patres

Digitized by Google

patres indigniſſime admiſſa, praeteream, quis ignorat fortunam Ludouici Pii, a filiis exagitati, capti, regno pulſi, uix liberati cuſtodia, uix in regnum reſtituti. Sed horret in primis animus, meminiſſe temporum, quibus Henricus quartus, Imperator, ab Henrico quinto, filio, aſperrime et crudeliſſime tractatur. Legatio Procerum ſeditioſorum, quam tres Germaniae antiſtites, Moguntinus, Colonienſis, Vormatienſis, gerunt, Hilgelliſhemium, ut ſcribit Helmoldus, miſſa, ab Henrico coronam, annulum, purpuram, ceteraque imperii inſignia, repoſcit, ut haec filio eius tradat. Magnis eum criminibus compellat, quae tamen, ipſa legatorum confeſſione, repente confutat. Senectuti ſuae, petit, gloriae item ſuae, parcatur. Detur ſibi conuentus gentis, dicantur in hoc ſententiae, ut, eae ſi conſentiant in filium, inſigne huic Regium ipſe manu ſua imponat. Cum precibus nihil proficit, et, pertinaciae legatorum, qui, militibus ſtipati, acceſſerant, cedendum, uidet, tum uero, ſumpto ornatu Regali, confidens in ſede Regia, maieſtatis ſuae ſanctitatem, diuinitus ſibi tributam, demonſtrat, iuratam praeterea Principum fidem, nefas filii, in patrem concitati, detracta denique ſibi induciarum remedia, quae ne hoſtibus quidem

Digitized by Google

dem denegentur. Deum legatis iisdem proponit ultorem, honestatis reuerentiam, qua moueri debeant homines, praesertim sacerdotes magnae dignitatis, alienationem denique mentis incredibilem, quam animaduertat in tribus Pontificibus, et in qua non possit non exhorrescere. At isti, quorum surdis haec auribus canuntur, Regem adorti, immane dictu, coronam de capite eius diripiunt, ipsum de sella deturbant, purpura eum, ac reliquo cultu Regio, exuunt. Sub haec Imperator despicatissimus, Tantas, ait, iniurias ignominiae patior, quantas ante me Regum nemo. Haec rescisit filius, Henricus, haec *qui fe*cerant, ad se admittit, ab his insignia regni, sibi delata, accipit. Patrem fugientem bello persequitur, uictum proelio, despoliat regno, omni honore, cunctis opibus, usque eo, ut ille Leodii, quo confugerat, uitam miserrimam degat, despectus, abiectus, omnibus rebus egens, usque ad supremum diem. Viuus ocreas, ut annales loquuntur, pro pane exponit, moriens, cum gladium filio legat, Si mihi plus, inquit, dimisisses, plus tibi misissem. Multa praeterea referrem scelera, a filiis in parentes suscepta, si, hoc uno, solquicquam uidisset indignius. Quod si frequens fuerit haec filiorum aduersus patres, in magna praesertim fortuna, impietas, gaudete uos, multorum

Digitized by Google

filiorum parentes, ſi nullus ex eis, ueſtram, ut Q. Metelli, ſpem fallit, nolite, contra, uos, qui uel complures habuiſtis natos, uel nullos, moerore orbitatis ueſtrae confici, quoties Henrici quarti calamitatem recordamini. Quod ſi caritas mutua, quae maxime feruere deberet, in fraterna neceſſitudine, in ipſa etiam filiorum aduerſus parentes pietate, adeo facile refrigeſcit, ut, ſenſu naturae depoſito, fratres exuant fratres, filii filios, illud quidem certe iam uidetur ſupereſſe, ut, a parentum erga liberos amore, integerrimae, atque optimae, mentis officium, eiuſque conſtantiam, expectemus. Hoc omnino uis ipſa naturae promiſerit, hoc, uinculum coniunctionis intimae, quo neque arctius, neque ſanctius, eſſe poſſit. Nam liberi ſanguis parentum ſunt, ipſaque uiſcera, in quae, amens ſit, ſaeuire qui uelit. Parentes tamen ſunt homines, ab hominibus autem quis humana cuncta ponat aliena. Ita uero fert communis fragilitas, uti nemo ſe tantum in poteſtate ſua ſemper teneat, quin, pluribus de cauſſis, improuiſo quodam animi motu impellatur, quo, re poſterius agitata, nolit. Iam malorum quid eſt, quod parentibus non immineat, in cura multorum generum domeſtica, in diſcordia ſobolis, numeroſae praeſertim,

Digitized by Google

sertim, familiari, in ualetudinis uarietate, in aetatis imbecillitate, rebusque tot aliis, quibus, nemo tam compositae mentis est, quin possit saepe multumque perturbari. Itaque, cum parentes sui modum semper non habeant, patrum in filios iniuriae, et eaedem graues, saepius memorantur. Hoc in scena fit, uitae ciuilis imagine, hoc in historia, interprete morum factorumque, quibus usi sunt clari uiri. Earum uero utraque, has parentum iniurias, probe iudicat, ferendas esse. Nec uero dissentit iuris prudentia, custos illa seueriſſima paternae sanctitatis, atque maiestatis. Cogitur tamen, ne quid improbi atque inhumani admittat, inofficiosi testamenti tabulas inspicere, atque aduersus has inofficiosi querelam dare. Ait autem Vlpianus, frequentes esse inofficiosi querelas, easque non minus liberis, quam parentibus, concedit. Et Marcianus in eiusmodi testamento officium pietatis desiderat, adiecto etiam colore actionis instituendae, quasi tales testatores haud sanae mentis fuerint. Marcellus autem inofficiosi testamenti hanc interserit causſam, quod plerumque accidat, ut falso parentes instimulati, liberos suos uel exheredent, uel praetereant. Gaius denique apertius conqueritur de parentibus, hisque, negat, consentiendum,

Digitized by Google

dum, qui iniuriam aduerſus liberos teſtamento inducant. Id, docet, plerumque fieri ab eis, qui maligne circa ſanguinem ſuum inferant iudicium ſuum, nouercalibus delinimentis inſtigationibuſue corrupti. Atque hi quidem ſunt iſti nouercales ſtimuli, haec odia nouercalia, quae tam male audiunt, antiquis literis monimentiſque, cum ſingulari ſcelerum omnium turpitudine, notata. Generatim ſanctus gentium Doctor admonet Epheſios, ne patres irritent natos, quos potius, conueniat, in Domini diſciplina, ac monitis, educari. Idemque Coloſſenſes monet, ne liberos timore aſperitatis ſuae alienent ab ſe, et animos deſpondere cogant. Qua quidem commonefactione gemina, tamque graui, declarat haud obſcure, his temporibus omnino fuiſſe parentes, officii ſui minus obſeruantes, quorum moroſitate, acerbitate, ſaeuis imperiis, in tanta praeſertim poteſtate patria, quae ius uitae ac necis habuerit, liberi ſint adeo duriter habiti, ut hi, una cum ſpe aequitatis domi impetrandae, ipſam, ut in miſeris rebus, obedientiam abiecerint, atque ad deſperationem fortunae melioris adducti ſint. Apparet igitur, quid patres in filios et peccare poſſint, et ſoleant, uel ſuo quodam uitio, uel aliena fraude inſtincti.

Digitized by Google

Sed Gaius ille, de quo mentionem fecimus, hoc loco nouercam in primis criminatur, ubi quidem pietatem nouae matris haec ſpondere uideatur, quae in lectum genialem a patre uiduo ſic eſſet recepta, ut cum eo familiae, pari fide tuendae, ſocietatem iniret. Hunc talem certe amorem foedus ſacrum poſtulat, huius neceſſitatem nulla nouerca non ultro agnoſcit, ſancteque profitetur. At iuriſconſulti tamen prudenter ſolent ex hiſtoria leges ſancire, cum iiſque Gaius facile, multis clariſque annalium exemplis, animadueꝛſionem ſuam tuetur. Succlamant Germani adagio ſuo, Nouercam habens, habet et uitricum. Quid enim aliud Lyſimachi ſtirpem regnumque euertit, quam Arſinoe nouerca, uirum reddens tam immanem, ut hic ueneno interficiat Agathoclem, filium, in ſucceſſionem regni iam ordinatum, ac bene de patre meritum, multis bellis proſpere geſtis. Quid aliud Pruſiam, Bithyniae regem, tanta plaga percellit, ut non ſolum regno, ſed etiam uita, ſpolietur a Nicomede, filio, quam huius nouerca. Hac enim ſtimulante, cum Pruſias conſilium capit Nicomedis interimendi, hic, patris crudelitate prouocatus, occupat inſidias, et in auctorem retorquet ſcelus. Quid aliud in Ludouicum Pium filios concitat, quam importunitas nouercae,

Digitized by Google

Iudithae. Huius enim, Ludouicus, blanditiis obsessus, Carolo Caluo, quem ex ea susceperat, attribuit regnorum partem, ceterorum filiorum portionibus detractam. At hi patri, in custodiam dato, imperium abrogant, nouercam in claustrum religiosum condunt. Rursus filii, eiusdem nouercae, quae Carolo suo Ludouicum aduersus priuignos deuinxerat, iniurias questi, patrem, bello captum, regno pellunt. Vt alia paterni erroris genera omittam, quam nihil paternae caritatis naturalis habet ista M. Reguli auaritia, qui filium emancipat, ut heres matris existat. Emancipatum foeda, et insolita parentibus, indulgentiae simulatione captat. Amissum luget insane. Mannulos eius, canes, luscinias, psittacos, merulas, circa rogum filii trucidat. Illum, in officinis omnibus, coloribus, cera, aere, argento, auro, ebore, marmore, effingit. Nuptias lugentis, nuptias senis, molitur, hereditate filii laetus. Ex illustrioribus recentis memoriae progenitoribus cernimus, quod miremur, in Cosmo primo, Florentiae magno Duce. Hic Garsiam filium, qui Ioannem, natu maiorem, in uenatione occiderat, domi, remotis arbitris, ad proiectum nudatumque fratris cadauer, adducit, eumque, de caede confessum, eodem

Digitized by Google

pugione confodit, quo fratrem hic confecerat. Sunt, qui patris huius iuſtitiam ſeueritatemque laudent. Sed pietatem omittunt, quae ultionis impetum non nihil cohibeat, ratione iudicium mitiget, hoc certe differat ad eum finem, quoad maturiore conſilio res exigatur. Iram principis huius impotentem commemorant, qua incenſus, homines aliquot manu ſua occiderit, ob cauſſas, quas ignorari uoluerit. Sed eius iracundiae, ad quam ille procliuis fuit, rationem perinde, ac par erat, habent nullam, in uindicando huius interitu filii, quem praecipue amabat. Filios Coſmi pueros dicunt, de quibus maior ſextum decimum annum uix compleuerit. Hos fratres, aiunt, inter ſe uehementer obtrectaſſe, et inimicitias ueteres, ac graues, geſſiſſe. inter uenandum a ſociis per deuia digreſſos, ut alter in alterum forte inciderit, primum pulſando ſe inuicem, tum, ferro ſtricto, confixiſſe. uenatione iam peracta, caeſi Ioannis corpus, quod domeſtici, per ſiluam diſcurrentes, diu ueſtigauerint, ueſperaſcente demum coelo, inter uepreta repertum, ac patris denique abſentis iuſſu clam in urbem illatum. Hic autem pater, ſi ſummas illas, inueterataſque, fratrum ſimultates non potuit neſcire, cur eos uenatum

in

in ſolitudinem, latebraſque ferarum, educit. Cur eis cuſtodes, qui curam propiorem gerant, non apponit. Cur eis poteſtatem, ſine comitatu in ſiluis uagandi, facit. Num pueritiae, per ſaltus ſine comitibus erranti, et fortuito conflictu aeſtuque efferueſcenti, nihil indulget. Num, paternam dextram, neceſſe habet, cruore filii imbuere, ubi neque manus alienae deſunt, nec poenae aliae, quibus afficiatur filius, ipſa etiam morte grauiores. Ipſe quidem pater filii, ab ſe percuſſi necatique, odium, ac memoriam, uidetur horrere, celans diligenter facinus, edens in uulgus, utrumque filium morbo populari, qui tum ciuitatem inuaſerat, conſumptum, tantum quoque deſiderium ſimulans Garſiae ſui, ut, ſupremis exequiarum honoribus utrique filio magna pompa decretis, Garſiam tamen in primis oratione publica laudari, uelit. Sic incommodum, ac grauitatem, famae timet, neque nullam facti ſui poenitentiam prodit. Sed patris, quam diri, notam ſibi inurit Manaſſes, rex Iudaeorum, filium ſuum ſuperſtitione nefaria comburens, et omnis humanitatis ſenſum ex animo euellens, ignique parricidali delens. Hoc, ſi cogitemus, quantum ſit, non habemus certe, quod ultra furorem, non dicam patrium, ſed humanum, quaeramus uſquam.

Digitized by Google

uſquam. Adeo mores hominum ſaepe, in ipſa amoris profeſſione, delinquunt, et uel umbra uirtutum uitia diſſimulata contegunt, uel manifeſtis flagitiis cogitationum ſuarum prauitatem patefaciunt. Quid ergo iam reſtat uoluntatis ſecundae, quid amoris, ab hoſtibus quod expectes. Parum certe, ac potius nihil, ſi morem acerbitatis humanae ſpectes. Contra ea, Chriſtus grauiter praecipit, amandos inimicos, bene precandum eis, qui nobis diras imprecentur, benigne faciendum maleuolis. Hos, oſtendit, id qui faciant, filios Patris Coeleſtis fore. Audias tamen ex ipſis Chriſtianis, melioribus etiam, *multos*, qui difficilius nihil ducant, quam hoſtes amari. Videtur enim naturae, quae nos ad noſtri conſeruationem inſtigat, ſenſus admonere, uidetur ipſa prudentia poſtulare, ut ab iſtis, quam poſſimus, longiſſime recedamus, qui nocere nobis uel poſſint, uel uelint certe. Quid ergo fit. Quem quiſque odit, periſſe expetit, ait Ennius ille, Sapiens Romanus, humanam mentem iudicans ex ſua. Itaque Chriſti uocem uenerantur quidem illam omnes boni, ſed obſequendi difficultatem in ſe tantam ſentiunt, ut ſaepenumero cogantur ſecum luctari. At melius, credo, agitur cum uoluntate hominum, quae nuper offen-

ſa

Digitized by Google

sa fuerat, iam reconciliata. Quidni, si quidem rectum teneatur. Restitutam enim gratiam firmat lex obliuionis, quae omnem memoriam rerum delet anteactarum. Sic fieri quidem conueniebat. Reclamat autem id, uulgo quod dici solet ad cautionem uitae, Hosti reconciliato non fidendum. Hoc natum creditur ex simulatione fidei, quae multos fefellerit, expressum fraude uoluntatis reconciliatae, quae securis multum calamitatis importauerit, confirmatum crebris luctuosisque documentis, quae historia, uetustatis nuntia, praebeat. Sic enim se res habet. Qui ex inimicitiis grauibus in gratiam redeunt, his saepe res exiles, fortuitae etiam, suspicionem praebent, uel amicitiae simulatae, uel uoluntatis denuo mutatae. Itaque uniuersa, quae tali modo displicent, tanquam deliberata, et male cogitata, referuntur ad odium pristinum. Hoc Dio Cassius exemplo Caesaris et Antonii discit, et prudenter, ut multa, legentibus exponit

Atque hae quidem sunt fere cogitationes hominum, e moribus eorum cognitae, quae multum labis, multum infirmitatis, habent admixtum, lateque manant. Vt disparia iam, ut

Digitized by Google

diuerſa, in Deo ſunt omnia, ſuperiora illa humanaque, de quibus diximus, ſi cum diuinis iſta contendantur. Simplex eſt Dei natura, ſimplex animus, ſimplex in homines amor. Deus, e contrario, nihil habet admixtum, nihil admittit, quod multiplex tortuoſumque ſit, nihil recipit, quod fictum, ulloue modo aſſimulatum. Quo integrior eſt atque ſanctior Dei amor in genus humanum, quo certior idem ac ſtabilior, quo perfectior omni ex parte, quo denique admirabilior in hoc potiſſimum, quod homines, ſuos adhuc hoſtes, uſque eo diligit, ut, pro ſeruandis mortalibus, Filium ſuum aeternum ad ſupplicium dedat, ducendum ad ipſam necem. Ea de re, ſi fas eſſet, iudicare ex ſenſu naturae noſtrae, diceremus ſane, homines amore a Deo ipſi Filio ſuo praelatos. Quicquid autem huius, quod, admiratione obſtupefactos, nos tenet, Deus inſtituit, hoc eo fit, quod haec eius uoluntas eſt aeterna, ut homines ſint in perpetuum ſalui, ſi quidem ei uelint obtemperare, ea ratione, quam eis praeceperit. Ecquae uero haec ratio, hominum cauſſa a Deo ſuſcepta. Fidem Deus proponit hominibus, ut ea Chriſtum, quem unicum eis Seruatorem largitus eſt, complectantur, eiuſque innocentia, eius praepotenti Merito, confiſi,

Digitized by Google

fisi, repurgentur ab omnibus peccatorum sordibus, ac perpurgati, in antiquam gratiam, per eamque gratiam in coelum, recipiantur, ubi, in tuto collocati, sempiterna laetitia, ac felicitate, perfruantur. Haec Numinis Diuini cogitata sunt de restituenda re humana, hae eiusdem uiae, in quibus insistit, atque ingreditur, ad tantam rem gerendam. Hic stupet Ratio, humanae sapientiae praeses atque magistra, et, quae, naturalibus in rebus, acie mentis perspiciendis, multum ualet, ac nihil sibi non arrogat, hoc quidem loco obtusa languet, perculsa iacet, et, inuestigans omnia perscrutansque, nihil omnino exquirit, confusa denique, penitus obmutescit. At Fides, haec intuens, quanta erga Deum reuerentia commouetur, tanto gaudio effertur, et, tantorum immensorumque bonorum contemplatione excitata, cum Paullo, O altam, exclamat, sapientiae cognitionisque Dei opulentiam. Quam penitus recondita eius iudicia, quam abstrusae sunt eius uiae. Consultis igitur suis mirabilibus Deus mirabilem adiungit modum, ea, quibus hominum saluti prospicit, benefice ac mirifice perficiendi

Et, quoniam Fides necessarium tantae rei,

Digitized by Google

qua ſalus hominum procuratur, adminiſtrandae, inſtrumentum eſſe debet, magnis haec a *Deo* uiribus inſtruitur, magna poteſtate, magna etiam dignitate. Tanta ualet apud Deum gratia, tanta utitur libertate, ut, quoties uelit, in coelum, ſibi ſemper apertum, euolare poſſit, Deum adire, cum eo coram agere, ei hominum cauſſam, prout res poſtulet, commendare, petens ueniam delictorum, flagitans in periculis auxilium, orans omnium moderationem, ac liberationem, malorum. Quo magis hominum calamitates ingraueſcunt, quo ſincerior eſt haec Fides, eo liberius atque acrius ei licet inſtare Deo, obteſtari *eum* atque obſecrare, ut hic adeo, quanquam cunctandi cauſſam habeat, precibus tamen uictus, opem, quae tam cupide imploratur, differre non poſſit. Nec uero mortalia ſolum bona huius uitae, quam degimus, Fidei huic, fas eſt, expetere, ſed in primis etiam immortalia, quae in coelo demum expectantur, ipſumque coeli regnum, et omnem eius gloriam, quam piis diuinitus eſſe promiſſam, eoque certo dandam, ita nouit, ut, ea de re qui dubitet, nihil eius, quod efflagitet, nec accipere poſſit, nec ſperare

Hoc animo, tam bono, atque fidenti, ut eſſe poſ-

Digitized by Google

possit Fides, Deus ei monstrat Christum, certum illum diuinumque salutis humanae Restitutorem, cuius unius ratione habita, ipse propitius esse hominibus uelit, quem respiciens, hominibus parcere, eosdem seruare. Ad hunc delegat Fidem, ut ad eum se applicet, ad eum se conuertat omni tempore, ad eumque cogitationes suas dirigat, tanquam ad Scopum Salutis, quo consignatae utriusque Foederis, antiqui ac noui, Tabulae collineent, omnesque promissiones diuinae, his utrisque in tabulis perscriptae. Quo fit, ut ipsa Scriptura Sacra nihil aliud sit, nisi coelestis quidam commentarius uoluntatis huius beneficae, qua Deus humanae saluti prouidit. Sed, ut sordida infantum, qui recens nati sunt, corpora aqua solent ablui, ut parentibus puri mundique placeant, sic hominum, qui labem communis originis a parentibus trahunt, animi sunt repurgandi, ut, quasi denuo generati atque detersi, munditie sancta nitescant, et probari Deo possint. Homo gignitur impurus, Baptismate fit purus, quia Christianus, sed homo tamen esse non desinit, neque expers est fragilitatis humanae. Itaque, per imbecillitatem humanam, non potest non peccare, potest factis, dictis, ipsisque cogitatis, Numen uiolare,

Digitized by Google

in eius iram incurrere, eius gratia excidere. Hoc cum euenerit, actum erit de homine, nisi aliter huic rei subueniatur. Ille uero ne desperet atque dispereat, dat ei Deus spatium resipiscendi, facit ei potestatem quaerendae, et accipiendae, gratiae, rogatusque, ei condonat omne crimen. Dat enim, per Filium suum, Potestatem Clauium, huic autem adiungit ius, in terris soluendi atque ligandi, aperiendi claudendique regnum coelorum. Hos enim, quos male factorum poenitet, recipientes se ad bonam frugem, per uoluntatis suae ministros, uinculis delictorum soluit, istos autem, qui, saepius admoniti, ad sanitatem flecti nolunt, arctius maleficiorum suorum uinculis astringi sinit, a coetu conspectuque suo repulsos. At pii peraeque non habent idem fidei robur, et, qui habent magnum, ii, accidere potest, ut uel repentinis animi perturbationibus debilitentur, uel magnis diuturnisque malis frangantur. Ergo Deus homines, ad Christum conuersos, non solum salutari eius morte consolatur, sed eius etiam sacrosancto corpore ac sanguine pascit, eiusdem memoria, quae hoc in Sacramento commendatur, eos reficit, ut illorum in Christum fides confirmetur, studium pietatis renouetur, spes hereditatis coelestis sustineatur.

Haec

Digitized by Google

Haec Deus ſacra, quae iuuandis hominibus tuendiſque inſtituit, Fidei proponit, ut haec ea, religione animi, celebret, eis utatur, ad uitam fortunamque hominum muniendam, emendandam, conſecrandam, multiſque malis leuandam

Tot tantaque ſalutis praeſidia, quibus homines ſepit Deus, tam altos habent receſſus, ut eos nulla poſſit ingenii facultas perueſtigare, tantamque neceſſitatem, ut ſine eis ad ſalutem perueniri non poſſit. Itaque, ut haec cuncta et recte cognoſcantur, et certa habeantur, eis ſui uim Verbi, aeterni atque praepotentis, addit. Hoc per ipſum Filium, qui ſedet in Paterno ſinu, terris promulgat, hoc literis mandat, hoc aſſidua uoce legatorum, praeconumque ſuorum, mortalibus inculcat. In hoc enim ueritatis ſuae theſauro Canonem illum ſtabilit, quo ſalutis ordo dirigatur, illud lumen accendit, quo mentis humanae caligo diſpellatur, illam facem praefert, quae ducem itineris, tuti et expediti, praebeat, ut, inter tot hoſtium multorum inſidias, ad ſempiternam beatiſſimamque uitam, ſine periculi metu, pergatur. Videt enim, quantae, coeleſtibus in rebus, tenebrae mortalibus offundantur, quanta ſit animi humani, ad libidinem propen-

ſi,

Digitized by Google

ſi, leuitas ac mobilitas, quanta Draconis Antiqui malitia, qui uerſutia ſua mortales ex immortalibus effecerit, quam multae praeterea res aliae, quibus homines, in errorem inducti, ſalutis, gratia ſua recuperatae, detrimentum facere poſſint, ſi cupiditatum ſuarum ferantur impetu, nec habeant ueri rectique normam, quam ſecuti, in uia uitae ſuae, tam lubrica, ſine caſu, aut prolapſione, ingrediantur. Videt in primis Rationis, hominum uitio corruptae, proiectam eminentemque audaciam, quae, plus, quam ualeat, conari ſolita, tantam ſibi ſumat arrogantiam, uti diuina miſceat humanis, omnemque modum tranſiens, atque in myſteria inuadens, illud credulis perſuadeat, quicquid uſquam ueri rectique ſit, hoc praeſcripto ſuo pendendum, hoc ſua ſcientia definiendum, hoc ſuo diſceptandum iudicio, et recte ſentire de bonorum malorumque finibus, nihil aliud eſſe, niſi ſuis duci ratiocinationibus, et ſibi uni, cunctis in rebus, ſeruiri. Tali modo, gloriatur, euadere ſapientes, bene beateque uiui, quicquid autem ſibi repugnet, hoc neque ſentiendum, neque faciendum. At Deus falſam hanc ſapientiam conuertit in ſtultitiam, atque hoc eam nomine explodit, recondita aperiens ſapientiae ſuae adyta, quo nullus in-

Digitized by Google

telligentiae, diuinitus non illuſtratae, pateat aditus. Suorum autem myſteriorum interpretem, atque cuſtodem, uerumque myſtagogum, dat Codicem illum auguſtum, quo mentis diuinae ſummam, et cuncta ſalutis humanae ſubſidia, complectitur, ut ex eo omnis doctrina ſalutaris diſcatur, omnibuſque poſteris tradatur, et indidem certa ſumatur perpetuaque regula, ad quam omnis credendi, uiuendi, iudicandique, ſanctitas exigatur

Cunctis his muneribus, quae Deus mortalibus dilargitur, Spiritus Sanctus praeeſt, ut eius numine mentes hominum conſecrentur, ut in eas Verbi Coeleſtis uis exerceatur, ut in animis quoque expiatis Sacroſanctae Triados domicilium conſtituatur, eaque hoſpitum coeleſtium praeſentia et habitatione ipſum quaſi coelum, cum eoque omnia eius bona, in terras ad homines tranſferantur. Ea, tam mira, domicilii ſui collocatione in humana mente, hanc Deus mentem ipſi Coelo praefert. Nuſquam enim, ſe, dicit, habitare in coelo, ſed, coelum eſſe ſedile ſuum, terram autem ſcabellum. Ergo longe plus honoris menti Chriſtianae habet, quam coelo, illam geſtiens incolere, quae quidem Chriſtum, perpetientem morien-

Digitized by Google

temque, amet, atque colat. Diligens huius rei cogitatio, qua nulla mortalibus laetior esse debet, satis ostendit, quanta status Christiani, in tantis eius miseriis, felicitas sit, quanta, in tanta sui apud improbos despicientia, dignitas, quanta, in iudicio ipsius Dei, amplitudo, nullae ut ei Orbis terrarum fortunae, nulla praestantia dignitatis, nulla hominum magnificentia comparari possit. Hoc autem, quantumcunque est, totum est Spiritus Sancti, qui mentem Christianam parat, exornat, conseruat, eius studium ad considerandam Christi caritatem instigans, eius amorem in Christum inclinans, in sensu eius intimo Christi memoriam defigens, ut Christus in eius medullis haereat, eaque adeo mens non tam sibi, quam Christo, uiuat

Sed habemus obtrectatorem nominis Christiani, inuidum nostrae gloriae, salutis nostrae insidiatorem, inter credulos mendacem, inter superbos factiosum, inter auaros glorioſum, inter uoluptarios blandum. Hic miseros homines, eius imprudentes artium, falso et inani splendore rerum praestringit externarum, suarum cupiditatum quasi fluctibus iactatos, huc et illuc rapit, neque, eos tranquillo unquam animo consistere,

Digitized by Google

ſiſtere, ſinit. Quantum enim poteſt, impedit, ne mortales altitudinem Chriſtiani ſtatus, in humili eius ſpecie, intelligant, ac, tot tantiſque opibus, quas Chriſtus in eos ex inexhauſtis diuinitatis ſuae theſauris, una cum ſanguine ſuo, effudit, erecti, et praeſentem quamque fortunam aequo animo ferant, et incredibiliter iam atque immortaliter gaudeant ſpe perfectae, ac perpetuae, felicitatis. Qui quidem, ſi bona ſua tum parta, tum breui obtinenda, noſſent, abeſſe non poſſet, quin, exaggeratione animi, quam altiſſima ac iuſtiſſima, ducti, eis gloriarentur, et praedicatione eorum ſeſe efferrent, iſta, quae eximia pleriſque et praeclara uidentur, parua ducentes, humanaque cuncta contemnentes, et pro nihilo putantes. Hoc autem ne fiat, ueterator iſte magnus, ſenſibus hominum illudens, has eis res obiicit, quae ſolae in uita quidem illae quam plurimis, ad opes, ad copias, ad omne ſuauitatum genus, expetendae uidentur, ſed, libidinum flagitioſiſſimarum laqueis irretitos, in maximam aeternamque calamitatem trahant. At uero tantis mortalium malis unus intercedit Spiritus Sanctus, hiſque ſolus medetur, omni ex parte. Rerum enim exitioſarum cupiditate excaecatis oculos mentis aperit, errantes in uiam reducit, la-

Digitized by Google

bentes fulcit, iacentes extollit, ſtantes roborat, et mentes hominum uitamque omnem ſolus ille ſanctimonia, omnium ſtudio uirtutum, quiete ac tranquillitate uera, ſpe denique, haud fallaci, excellentiſſimorum immortaliumque bonorum, complet. Sic optimam regni Paterni hereditatem, quam Chriſtus nobis tradidit, ſuo nobis numine conſeruat. Hic idem cura et benignitate ſua efficit, ut patrimonium, nobis in coelo conſtitutum, quod omnibus omnino longe praeſtantius eſt, cum exceſſerimus, accipere poſſimus. Spirantes enim nos ubique gubernat, exſpirantes, inter diuina ſuſpiria, ſtabili *in Chriſtum* fiducia confirmat, ad hunc nos ipſum, per Genios coeleſtes, adducit, ut in optatiſſimum eius complexum ueniamus, et amorem eius, in terris hominum generi praeſtitum, perpetua laude triumphalis Agni, celebremus

Fides igitur Spiritui Sancto totam ſe, ductu imperioque eius gubernandam, tradit, adoptione in nomen familiamque Chriſti, quae Baptiſmate fit, ſpem hereditatis glorioſae, una cum Chriſto cernendae, capeſſit, Epulo Sacrae Synaxeos uires eo magis reficit, quo firmius tanti myſterii religionem fructumque tenet, oraculis Ver-

Digitized by Google

Verbi Diuini adeo afficitur, adeo adhaereſcit, ut nunquam poſſit ab eis diuelli, nunquam a promiſſionibus beneficis ac laetiſſimis, quas Euangelium cuſtodit, dimoueri. Dialogiſmis autem nihil tribuit, quibus, ipſa ſcit ex commentariis ſacris, primos antiſtites generis humani, per fatales ſuaſiones Anguis ueteratorii, a uero flexos, in perniciem incurriſſe, et memoriae priſcae ſapientes, ratiocinationum ſuarum fallaciis deluſos, eo dementiae proceſſiſſe, ut, in cognitione potiſſimum Dei, cum ratione inſaniuerint, quod pluribus Paullina ad Romanos Epiſtola docet. Nam, ſi Pythagoram, qui nihil diuini non iactat, Socratem, qui ſapientiam de cœlo deuocare, in uitamque hominum introducere, uiſus eſt, Platonem, quicum errare mauult Tullius, quam cum aliis uerum dicere, Ariſtotelem, qui nihil ignorare creditus eſt, cogites, et omnes excutias Philoſophorum familias, hos, reperies, uniuerſos, fallacibus ſuis de Deo iudiciis, in plurimos, et exitioſos, errores praecipitaſſe. Quid aliud praeterea, ex ipſis quidem Chriſtianis, peperit Haereticos, niſi opinionum peſtiferarum licentia, quae, diſcedens ab oraculis diuinis, rueret in omne nefas. Haec Fides deuia ſtudio ſummo deuitat, neque unquam de uia, in ſacris moni-

mentis ſibi monſtrata, decedit, neque aliter faciendum, decernit. Sic iudicans illa, ſic faciens, praeclare cauet humanae ſaluti, in re tam graui, ut eius negligentia, ſicut oſtendimus, ſapientes omnis aetatis infatuet, omnemque hominum uitam, praeſertim illam, quae magna floret ſapientiae fama, falſa opinione ingenii ac prudentiae, peruertat, ipſamque religionem labefactet. Ariſtoteles in primis inueſtigator ueri perſpicax eſt habitus, ac ſibi in Acroaticis, quae dixit, longe magis placuit, quam in Exotericis, ſed in his de Deo ſemper melius diſſerit, quam in illis, propterea, quod in Exotericis ſenſum communem ſequitur, in Acroaticis ſuum, ingenio intemperanter indulgens. Academici omnium maxime ſibi uidentur ſapere, ſed cordatioribus eo magis deſipiunt, quod, de omnibus contra omnia diſputantes, naturam Deorum ſuorum ita uerſant in utramque partem, ut, inter ancipites cogitandi curas ſuſpenſi, argutias ſuas naturae lumini, quod ipſis reliquum erat, anteponant, atque hoc ſua iudicandi libidine penitus opprimant. Sic iſti, recto deerrantes cum Tullio et Sexto Empirico, non ſe modo corrumpunt, ſed alios etiam, auctoritate ſua permotos, atque a cognitione Dei, tam neceſſaria, quam longiſſime recedunt.

Quid

Digitized by Google

Quid aliud uirus peſtiferum Mahometi per Aſiam, Africam, ipſamque Europam, ſparſit quondam, niſi praepoſterus Rationis uſus, quo populi tot florentiſſimi prolabuntur eo temeritatis, ut, natura duce, unum omnino colendum Deum, contendant illi quidem, atque hoc cupide et ſeuere faciant, ſed, cum ſanctitate eiuſdem Dei, quam ſummam praedicant, conuenire, exiſtiment, poſſe, ut ab eo accipiant uiuendi legem, quae libertatem det uitam cupiditatibus turpiſſimis inquinandi. Legit Mahometus Legem Moſaicam, legit Euangelium, a Chriſto promulgatum, in utroque diuinum quiddam reperit, ex utroque plura diſciplinae ſuae decerpſit, ut bona, ut ſuis praecipienda. Sed Legi Moſaicae aliam, eamque ſuam, adiunxit, quam naturae corruptae minus oppoſitam, cenſuit. Euangelio autem diuinitatem Chriſti detraxit, cum eaque robur omne ſalutis humanae. Nec uero hodieque eius aſſeclae Chriſtum contemnunt, nedum ei male dicant, ſi Pittonem Tournefortium audias, ita uerſatum nuper inter Turcos, uti res eorum moreſque nauiter excuſſerit. Longas hic literas, quas ex Turcia in Galliam, ad uirum illuſtrem, ſcribit, melius finiri, negat, poſſe, quam commemoratione honoris, Chriſto ſoliti a Turcis haberi.

Re-

Digitized by Google

Refellit autem iſtos peregrinatores, *ut* mendaces, qui Turcos dicant maledicos Chriſti conuiciatores, eos, docet e contrario, Chriſtum reuereri, pro magno Dei amico, magnoque deprecatore apud Deum. Inter eos, ut idem teſtatur, conuenit, Chriſtum a Deo miſſum, ut apportet Legem, gratiae plenam. Si quando Turci Chriſtianos appellent Infideles, hoc, affirmat, haud fieri ob eam cauſſam, quod ii fidant Chriſto, ſed quia nolint credere, Mahometum, poſt Chriſtum, ueniſſe, ut aliam promulget Legem, naturae hominum corruptae magis accommodatam. Ita honorificentius quidem, ac *multis* perſuaſum eſt, de Chriſto exiſtimari uidetur, ſed, diuinitate Chriſti ſublata, fundamentum ſalutis humanae, quod nititur Chriſto, diſſicitur. Mahumetanae autem doctrinae peſtis ex Arianis lacunis hauritur, eoque fit, ut auctoritas Oraculorum diuinorum opprimatur, rationis deprauatae ludibriis obruta. Haec, et alia huiuſmodi, praecipitia ſunt Rationis tumultuantis, quae, cum in diuinis ingenioſe nequam eſſe uelit, temeritate ſua hoc efficit, ut de ipſo dignitatis, quam adhuc obtinet, gradu deiiciatur. At Fides, ſi quas uiae, diuino praecepto initae, difficultates reperit, eis curſum ſuum haud retardat, ſed omnibus

Digitized by Google

bus dubitationibus ac deliberationibus praefert obſequium, quod Chriſto debet. Huius contemplatur ueritatem aeternam, miſericordiam immenſam, potentiam infinitam, tanquam tres columnas illas, in quibus innitatur ipſa. Huic ſeſe dedens, ſatius ducit cum Paullo, amare Chriſtum, quam nihil non ſcire. Hac ſcientia, quam cum lacte materno Eccleſiae ſugit, hoc animo, quem Spiritus Sanctus erigit, hac fiducia, quam in Chriſto ponit, omne iudicium diuinae iuſtitiae ueneratur illud quidem, ut ſanctiſſimum, ſed a nullo ſibi timet. Sperat, e contrario, a Deo omnis culpae ueniam ſibi datum iri, eoque cupidius ad eum properat rogandum, eo confidentius in eius conſpectu aſtat ſupplicans, eo facilius eum placat, non oſtentans ſordidum iſtum, Deoque faſtiditum, uirtutis humanae cultum, ſed alba innocentiae ac iuſtitiae toga, qua eam Chriſtus induit, ueſtita, ſpinam, quam detraxit ex cruento eiuſdem capite, tanquam oleam, manu geſtans. Quoties autem de ſeueritate iudicis ultoris cogitat, huic quoque, ne quam obſequentiae partem diffidentia pertinaciaue ſua uiolet, ſe ultro ſubiicit, ſed unum demiſſiſſime atque ſubiectiſſime orat illud, ut, quae damnationis tabula contra ſe de-

Digitized by Google

tur, haec ſanguine Chriſti, in Cruce exclamantis, ac morientis, ſcribatur, ac tum denique ipſa, ut ſcelerum omnium conuicta, quolibet crimine, qualibet inſigni nota et ignominia, ad cruciatus perpetuos, condemnetur. Mirum eſt, quam audax praefidenſque ſit haec Fides, uerum in ea re Chriſto, non ſolum deprecatori, paret, ſed etiam hortatori, etiam atque etiam confirmanti, quaecunque a Patre ſuo, per ſuum nomen, petita fuerint, illum haec daturum. Sed, quoniam Filius, et Pater, unum ſunt, utriuſque, hoc loco, ſententia atque uoluntas perinde congruit, ac ſi uox Patris ipſius ex Filio audiatur. Ergo Fides dicto, quod excipit ex ore diuino, Deum capit, eum ſanctitate ueritatis ſuae deuinctum tenet, eum amore Chriſti in ſe placatum, diuino ſe iudicio abſoluentem, in ſuamque ſe recipientem gratiam, uſque eo experitur, ut ipſe iam Deus huic ſupplici illam, praepotentem ac beneficam, quam poenitentibus delictorum totos dies tendere ſolet, dextram porrigat, eamque, comiter acceptam, cunctis donet magniſque rebus, quas fidelibus Chriſti ſeruis pollicitus eſt. Itaque Fides, periculis defuncta maliſque omnibus, exultat laetitia, triumphat gaudio, Deo gratias agens, Deum mente et ore celebrans,

Digitized by Google

brans, Deum recte factis, quorum facultatem Spiritus Sanctus dederit, colere ſtudens, quantum poteſt. Denique Fides, cum moriendi tempus inſtat, confugit ad Chriſtum, in eius ſe uulnera abdit, ex eiſque haurit ſanguinem, quo feſſos recreet, timidos confirmet, impuros abluat. Morientibus oſtendit Chriſtum, ut eum, miſeros aduocantem, arripiant, ipſi quoque Chriſto eos tradit, laterique eius, hominum cauſſa ſaucio, adiungit. Qui quidem eos, hilare acceptos, uoce, quam in terris promiſerat, optatiſſima affatur, Adeſte, beati Patris mei, poſſidete Regnum, uobis ab Orbe condito paratum. Ingredimini in Domini ueſtri uoluptatem. Intromiſſi igitur, exceptique triumphalibus Coelitum choris, nouo atque admirabili rerum inſolitarum aſpectu attoniti, percipiunt iam id, diu multumque deſideratum, quod nullius oculis uſurpatum eſt, nullius auribus acceptum, nulla cuiuſquam mente informatum, ſed a Deo praeparatum amatoribus ſuis. Intelligunt iam hoc, quod Paullus praedicauerat, ea, quae in ſuperiore uita perpetienda fuerint, haudquaquam eſſe paria gloriae, qua pii ſint poſt obitum afficiendi. Sic experiuntur id, quod Chriſtus, in coelo futurum, praedixerat

Digitized by Google

in terris. Pater, uelim, quos dediſti mihi, hos ibi mecum una eſſe, ubi ſim ego, ut ii meam uideant gloriam, quam tu mihi dediſti. O beatos, hanc immenſam Chriſti gloriam, hanc ſempiternam, qui uideant, uiſurique ſint

Hanc gloriae magnificentiam contuetur Abrahami fides, in Chriſto quondam defixa, hanc contuentur omnes, qui cum Abrahamo conuiuantur, hanc tu quoque miraris, frater deſideratiſſime, qui particeps eorundem coeleſtium tot bonorum factus es

Beatum te, qui, fide ſtans Abrahami, Deo te, quoad uixiſti, totum tradidiſti. Tu, fide munitus Abrahami, res omnes aduerſas, ipſamque mortem, inuicto animo ſubiiſti. Tu, fide laetus Abrahami, ad Deum exceſſiſti, nec uitam cum morte, ſed mortem, qualis eſt uita haec miſera, cum uita, quae ſola eſt uita, cum illa noua, illa perfecta, ſempiternaque, commutaſti. Dicere ſolebas, et amicis, memoriae cauſſa, in Philothecis, tibi exhibitis, ſcribere, Vanitas uanitatum, et omnia uanitas, praeter timere Deum, et illi ſoli confidere. Nunc, gaudio coeleſti perfuſus, Felicitas, ais, felicitatum, et omnia felicitas, ubi aſpectu Dei beatiſſimo perfruimur, eoque ſempiterno re-

cre-

Digitized by Google

creamur. Tu enim, qui manſiſti in pia fide Abrahami, a geniis coeleſtibus in ſinum Abrahami deportatus es. Tu, in epulis coeleſtibus, quas Agnus, ab aeterno noſtra cauſſa mactatus, iuſtruit, conuiuaris cum Abrahamo, et omni reficeris ſuauitate. Tu, in diuino beatarum mentium choro, uides Chriſtum, quem hoſpitem uiderat Abrahamus in terris, ſed uides illum, in coeleſti ſolio, coeleſti maieſtate exſplendeſcentem, uides ſimul laureatas coelitum myriadas, quarum coetui inſertus ſanctiſſimo, percipis iam, atque demiraris, illud, illud, inquam, quod nullus uidit oculus, nulla audiuit auris, nulla mens explorauit

Num uero me deſeris, frater coniunctiſſime, et rerum noſtrarum uanitati relinquis, quam contemnere ſolebas, qua iam liberatus es. Quanquam te proripis hinc ex oculis noſtris, me tamen non tam relinquis, quam animo, quo tibi ſemper iunctus fui, in coelum, quo euolas, tecum rapis. Videor enim mihi uidere te, in triumphali coeleſtium coetu, albo ueſtitu cultum, corona iuſtitiae, quam Chriſtus tribuit, palmiſque ornatum, et diuina quadam luce colluſtratum, coeleſtique gaudio triumphantem

Digitized by Google

Noli ergo a me lacrymas expectare, quas denuo pietas expreſſerit, quibus exceſſum tuum proſequar, quibus tumulum tuum, hic ante oculos poſitum, imbuam. Gaudeo felicitate tua, quoniam nullo tangeris noſtrorum malorum ſenſu. Gaudeo felicitate tua, quoniam frueris ſummo illo perfectiſſimoque bono, cuius tantum ſpe ducimur nos, atque delectamur. Gaudeo felicitate tua, quae uoluptate ſincera completur, neque ullas rerum uiciſſitudines extimeſcit, quibus nos, ubi feliciores aliquanto nobis uidemur, urgemur ſubito miſeri atque iactamur. O laetum illum optatiſſimumque diem, quo, his calamitoſae uitae ergaſtulis liberati, in coeleſtem patriam diuinitus euocabimur, ut, tecum, coeleſti exultantes laetitia, in conſociatione puriſſimarum mentium iucundiſſima, Triſagion illud canamus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, eſt Dominus, Deus noſter

Pietatis igitur, qua fratri tenebar, officio functus, abeo Magiſtratu Academico, quem, mihi concreditum, adhuc geſſi. Sed, cum ſoli Deo immortali acceptum ſit referendum, quicquid hoc ſemeſtri, proſpere ceſſit immortales ei gratiae ſunt agendae, qui diuino nos praeſidio texit,

Digitized by Google

texit, multiſque nos bonis cumulauit, moerorem etiam animi, quem caſus humani attulerunt, diuina conſolatione temperauit. Hunc oro, ut Academiae uulnera, quae acerbae Patrum duorum mortes inflixerunt, pari ſucceſſorum uirtute ſanet, et omnes, qui hic, uel docendi uel diſcendi cauſſa, uerſantur, quam florentiſſimos praeſtet

Venio nunc ad Virum ſumme Reuerendum, Ampliſſimum, atque Excellentiſſimum, Ioannem Caſparem Haferungium, S. S. Theologiae Doctorem, eiuſdemque Profeſſorem Publicum multo celeberrimum, Beneficiariorum Regioelectoralium Ephorum grauiſſimum. Noſti, Vir Summe Reuerende, hoc meritis tuis, multo ſpectatiſſimis, fuiſſe datum, ut Senatus Academicus te, cunctis Patrum ſententiis, deligeret, cui Magiſtratus dignitatem, apud nos ſummam, deferret. Vides etiam, omnes Patrum Ciuiumque oculos in te coniici, illudque abs te quam cupidiſſime expectari, ut gubernacula capeſſas reipublicae huius literatae, hancque auctoritate, prudentia, uigilantiaque tua, regas

Tranſdo igitur Sceptra, quorum conſpectus ut grauitatem auctoritatemque tibi aſſerit, ſic

Digitized by Google

sic Ciuibus Academicis reuerentiae obsequium, quod hi debeant tibi, commendans.

Accipe Codicem Statutorum, quo omnes agendique disciplina, legibus iudicia, continetur. Ad hanc iudicia, pro [illegible] ges, ad hanc Ciues probitatem [illegible] amque component.

Addo Sigillum, quo publica fides Academiae munitur, ubicunque rerum [illegible] ritur, auctoritatisque pondus [illegible]

Ecce tibi Claues Tabularii, Collegiorum, atque aliorum, quae Academiae sunt, *aedificio*rum. Haec enim curam tuam, qua conseruentur sarta tecta, expectant, haec seueritatem etiam, ubi libido, licentius se iactans, [illegible] menda

Exuo Purpuram, cum eaque [illegible] citudinum curarumque sensum. Hac [illegible] noque humeros tuos, qua [illegible] fortunae cultum insigniri. [illegible] pura uirtus tua, eadem splende[illegible] sic, ut ipsi Academiae plurim[illegible] accedat

Digitized by Google

Cape Pileum, qui, cum ad caput ſpectet, hoc capite, cui imponendus eſt, ipſius Academiae caput contineri, oſtendit. Habet etiam pileus libertatis notam, qua monitus intelligis, abs te id expectari, ut, ubi iure agendum eſt, ſua cunctis iura ſerues libera, quo ſuum cuique tribuatur

Quod igitur felix, fauſtum, fortunatumque ſit, ſalue Magnifice Academiae Rector, ter et amplius ſalue. Quo quidem te nomine ego cum primus appellem, Deum comprecor immortalem, ut uirtuti tuae, omnibus cognitae, et multis magniſque rebus ſpectatae, fortuna reſpondeat, ut eadem fortuna publice, conſiliorum laborumque tuorum euentu ſemper proſperrimo, et nouis ac perpetuis totius Academiae incrementis, emineat, ut eadem denique priuatim, te una cum tuis incolumi, ac florentibus ampliſſimae familiae rebus, ſemper et ubique creſcat

Digitized by Google

XVII
DE
LATERE
CHRISTI
APERTO

Triſtiſſimus poſt hominum memoriam hodiernus eſt dies, Auditores. Quid enim triſtius eſſe poteſt, quam ſanctiſſimum, optimum, mitiſſimum, humano generi amiciſſimum, tanta hominum immanitate excipi, ut omni contumeliarum acerbitate laceretur, ſumma quaque *iniuria* exagitetur, ſublatuſque in Crucem, ignominioſiſſime, ac multo crudeliſſime, interimatur. Hunc turbae ſceleratiſſimae furorem et noſtis, Auditores, et horreſcitis, ac, rei tam immanis cogitatione attoniti, et indoletis, et ingemiſcitis, neque ego prae lacrymis plura iam loqui poſſum

In hoc tamen grauiſſimo omnium rerum luctu incredibilis Dei miſericordia ſe oſtendit, ex qua magnum in miſeros deſperatoſque mortales ſolatium redundat. Hodierno enim die amor immenſus ille, quo Deus in genus humanum fertur, patefit, hoc aeternum arcanumque Sacro-

Digitized by Google

ſanctae Triados decretum, ut Filius Dei, qui ſponte ſe obtulit, pro ſeruandis hominibus dedatur ad necem, exequendo perficitur, hoc denique die hominum perditorum culpa, morte Chriſti innocentiſſima, expiatur, ipſique homines, execratione Legis liberati, in gratiam Dei reducuntur.

Ex tanta igitur Solatii diuini magnitudine unum uenerabundus arripiam momentum, idemque mecum reputabo, quod Latus Chriſti apertum mihi praebet, meque totum in ſe conuertit. Mortuo iam in Cruce Chriſto, latus eius, furioſi militis lancea, foditur, ſed latronum, qui, ex utraque parte ſuſpenſi, adhuc uiuunt, crura confringuntur. Sic enim Oraculis diuinis cautum erat, ne qua uis talis cruribus adhiberetur Chriſti, iam extincti. Contra ea, latus Chriſti lancea militis hauritur, ex quo Sanguis, et Aqua, ſeparatim, ſeruata utriuſque rei ſimplicitate atque forma, non permixto confuſoque profluuio, mirabiliter manant. Hoc Phyſicis nonnullis, ac Medicis, praefidentis ingenii, naturales quoque cauſſas habere uiſum eſt. Voluerunt enim, ut licentia ſaeculi eſt, ipſis in myſteriis ſanctiſſimis, cum ratione inſanire. Sed alii pari ſcientia, ma-

Digitized by Google

iore religione, rei tam insolitae miraculum adeo uenerati sunt, ut contenderint, hoc in loco, tam religioso, naturalibus caussis nihil profici, nihil expediri, posse. Pari modo Ioannes Euangelistes, qui rem, tam admirandam, oculis suis aspexit, hancque, diuinitus afflatus, literis prodidit, eam quidem tam asseueranter, tam reuerenter, describit, ut eandem, pro diuino quodam miraculo, posteris narret. Ergo naturaliter mortui corporis sanguis friget, nedum fluat, et Aquam effundat, cum ferum, quod aliqui afferunt, nihil hic loci habere possit. Supereſt, ut in ea re, tam mirabili, altius quiddam diuinumque agnoscamus, quod naturae uires excedat

Duas, hoc loco, res uideo, quae effluant ex latere Christi perfosso, Sanguinem atque Aquam. Sanguis autem est ueri quidem hominis, sed illius, qui singularis exempli sit, et solus, ex omni hominum numero, peccati expers, id est, Christi. Et, quoniam caro atque sanguis eius nulla polluitur impura lue, eiusdem propterea corpus a uulgaribus mortalium corporibus, immane quantum, differt. Nam corpus mortui cuiuspiam, naturaliter, neque fudat, neque

Digitized by Google

que ſanguinem ſtillat. Sanguis enim, ſimul ac refrixit, non diffunditur amplius neque fluit, ſed, refrigeratis neruis atque artubus, ſiſtitur, denſatur, coagulanſque obrigeſcit. At corpus Chriſti, nulla macula contaminatum, illud habet eximium, quod moritur quidem uere, ſed ita, ut ipſi eius morti ſuperſit indicium uitae, adhuc ſuperſtitis, et ſemper actuoſae. Sanguis enim, in hominibus exanimatis aliis, ſimul ac friget, ceſſatione torpet, concretuſque riget, ſed in Chriſto, quamuis uere mortuo, calorem atque uitam haud amittit. Itaque, tranſfixo eius latere, emicat ac profluit, nihilo ſecius, ac uena quadam ſani hominis inciſa. Hic enim ſanguis, nulla labe infectus, ſpiritum, robur, uimque diuinam, poſt ipſam quoque mortem, conſtanter obtinet, lateque permanans ad mentes humanas, omnes, quos imbuit, a ſordibus delictorum purgat, nec deſinit unquam, coetum, caſtis ſacris initiatum, calore ſuo uitali ſic fouere, ut pii, tanquam facibus admotis, ad omne ſanctitatis, non infucatae, ſtudium incendantur. Faceſſant igitur cauſſae naturales ab excellentia ſanguinis huius pretioſiſſimi, qui tantum a corporibus aliis naturalibus diſtat, quantum ab omni confinio infirmitatis humanae. Sed

Digitized by Google

altera res est, cui attendere deceat, Aqua, quae eodem ex latere traiecto manat, a sanguine tamen discluſa, nullaque mixta eius parte. Has duas res, quis enim aliter, repugnante natura, ſentiat, exanguium corpora mortuorum ſic effundere non poſſunt, ut eae, inter ſe nihil commixtae, ſeorſum diffluant. Tanto mirabilior eſt haec Aqua, quae tametſi nullo Chriſti ſanguine miſcetur, tantam tamen ſui neceſſitatem imponit Chriſtianae Religioni, ut ipſum det primum ad hanc aditum. Cum enim fontem notet illum, quo tincti fiunt Chriſtiani, iudicari poteſt, quantum referat, hac lauari Aqua, tam ſalutari. Itaque Chriſti ſanguine reſpergendus eſt, quicunque ſalutem aeternam uelit accipere, ſed eo recte aſpergi nemo poteſt, niſi lauatione ſacra abſterſus. Sanguis igitur atque Aqua eodem tempore, ex latere Chriſti perforato, defluunt, uti communem oſtendant ſociamque operam, quam ſaluti humanae nauent. Atque haec quidem duo ſunt illa ſummae reuerentiae Sacramenta, in quibus mortalium ſpes, et conſolatio maxima, tanquam in columnis firmiſſimis, inſiſtit. In Sanguine autem illo, illaque Aqua, genus hominum expiantibus, de quibus modo dictum eſt, inuſitatum quiddam, ac nouum penitus, reperiri,

Digitized by Google

riri, antiquum, luculentumque, Oraculum Zachariae declarat. Ostendit enim, quasi coram, illum, qui Hierosolymis sit configendus, monstrat fontem, eodem in loco reclusum, quo hereditaria gentis humanae impuritas eluenda sit. Vtrumque refert ad domum Dauidicam, hoc est, ad domum Christi augustam, quam Ecclesiam uocamus. Sic recens, ac uerum mirificumque, factum ueteris uaticinationis fidem liberat, et aduentum Messiae, ipsa huius perpessione, ipso conspectu euentus, olim praedicti, confirmat

Haec miraculi, quod Ioannes, astans ad Crucem, spectat, memoria magnam adhuc uim atque pondus, apud omnes pios, habet. Eo enim uoluntas Seruatoris ultima manifesto demonstratur, qua iubeat ille, haec, quae ante id tempus, ad comparandam tuendamque hominum salutem, summa seueritate atque cura instituerit, sancte inuiolateque seruari

Nimirum Christus in Ciuitatem suam, quam sanguine suo purgatam, sed prius Aqua coelesti ablutam, uoluit, duo introduxerat Sacramenta, Baptismatis, atque Eucharistiae, eademque religione et Verbi, et Corporis sui, sanxerat atque consecrauerat. Ipse enim in Iordanem flumen de-

Digitized by Google

deſcendit, huius ut aqua ab Ioanne Baptiſte tingeretur. Eodem tempore Baptiſmatis ſanctitas, uoce coeleſtis Patris audita, Columbaque coeleſti in caput eius demiſſa, ita demonſtratur, ut ea iam, publico admirabilique totius Sacroſanctae Triados teſtimonio, inauguretur. Ipſam autem Euchariſtian, in Coena nouiſſima, cum panem, ac poculum, diſcipulis manu ſua porrigit, tum ſanctiſſimam facit. Haec duo Religionis Chriſtianae pignora ac praeſidia ita conſtituit, ita diſtinguit, ut Baptiſmate Chriſtiani fiant, Euchariſtia iidem confirmentur. Vtrique Sacramento Venerabili Fidem ſalutarem poſtulat, ſine qua Religio uera nobis nullam ſui uim poteſt impertire. Fidei autem ſalutari normam regulamque dat Verbum ſuum Diuinum, huicque robur addit Spiritus Sancti, cuius numine motuque uis coeleſtis Verbi humanis in mentibus exerceatur. Haec Chriſtus, tradenda Euangelii ſui doctrina, humanae ſaluti praeſcribit, qui ſolus obſequio ſuo perfectiſſimo exhaurire poteſt cuncta Legis illius diuinae mandata, cuius nullum mortales officium praeſtare poſſent. Sed ipſam Sacramentorum duorum ſanctitatem, ipſo Corpore ſuo Sacroſancto, auguſtiorem atque firmiorem reddere ſtudet. Itaque, in ipſa Cruce, cum latus

eius

Digitized by Google

eius ſanctiſſimum militis telo percutitur, illud Sanguinem, atque Aquam, admirandum in modum emittit, Sanguine Euchariſtian, Aqua Baptiſmum, notans. Cur autem Sanguis prius, quam Aqua, exeat, nos Chriſtiani praeclare intelligimus, qui ſciamus, in ſacroſancto Chriſti Sanguine totum opus ſalutis humanae poni. Ac nemo quidem, qui praedicationem Euangelii audierit, ſalutariter hoc Chriſti Sanguine reſpergitur, niſi qui prius, ubi res fierit, Aqua ſalutari ſit ablutus. Hoc tamen fieri oportet lotione, in mortem Chriſti immerſa, ut Paullus Romanos, atque adeo omnes, docet. Seruatoris autem morte quantum ſanguinis profuſum ſit, quis ignorat. Chriſtus ipſe apud Marcum, cum diſcipulis ſuis imperaſſet, irent in totum Orbem, praedicarent Euangelium omnibus, tum, Qui crediderit, inquit, et baptizatus fuerit, ſeruabitur, qui uero non crediderit, condemnabitur. Quis autem Euangelio, cuius doctrinam perceperit, recte crediderit, niſi certum idem habeat, Chriſtum pro uniuerſo hominum genere ſanguinem ſuum profudiſſe, ac mortuum eſſe, huiuſque communis beneficii fructum ſibi ſeparatim quoque uindicet. Ita ſanguis Chriſti fundamentum eſt ſalutis humanae, et neruus atque robur o-

Digitized by Google

mnis beatae ſpei. Hoc et ſenſit Ioannnes Euangeliſtes, et confirmare uoluit mirabili ſpectaculo Sanguinis, et Aquae, ex latere Chriſti emanantium, quod ipſe uidit, propius aſtans. Idem ille, neceſſariam utriuſque huius rei, tam diuinae, conſociationem, quam incolumitatis humanae procuratio deſideret, alio loco grauiter ac plenius exponit, Tres eſſe, pronuntians, qui teſtimonium dent in terris, Spiritum, Aquam, Sanguinem, et hos tres unum eſſe. Natura quidem ſua differunt inter ſeſe Spiritus, is, qui numine ſuo Euangelii praedicationem regit et corroborat, Aqua, et Sanguis. *Sed haec eadem*, inſtitutione ſui, a Chriſto in terris facta, in hoc conſentiunt, uti communiter, una mente ſententiaque, teſtificentur Sacroſanctae Triados amorem in homines, ad ſalutem reducendos. Quod ſi illa conſentiunt in hoc, quod modo diximus, non poſſunt ea ſimul, eodem conſenſu, non conſpirare cum in teſtimonium caritatis, qua Chriſtus hominum genus complectitur, tum in diuinitatem eius, comprobatam trium horum coeleſtium bonorum conſtitutione, ab ipſo Seruatore, per Maieſtatem diuinam ſancita, in qua expiatio conſeruatioque mortalium innititur. Quid ergo incolumitati

Digitized by Google

mitati humanae amicius excogitari poſſit, quam, certa ſalutis aeternae adiumenta a Chriſto ſuppeditari, quae tantum polleant, ut homines, uiuos mortuoſque, in tuto collocent. At eadem ſalutis adminicula, quae Chriſtus dat, quantam pariter eius diuinitatem repraeſentant, ac probant. Verbum enim, quo ſalus decernitur hominibus, ſancteque ſpondetur, Chriſtus ipſe ex ſinu Patris Coeleſtis affert, uulgoque praedicatum, editis immortalibus tot operibus ſtabilit. Quod quidem coeleſte Verbum etſi diuina uirtus eſt ſaluos praeſtandi cunctos, qui fidem ei habent, idem tamen hanc fidem ita Chriſto adiungit, ita in eo defigit, ut extra Chriſtum nihil humani ſit ſaluum. Aqua uero, qua loti exiſtunt Chriſtiani, ob eam cauſſam uires ſalutis efficiendae capit, quod homines Baptiſmate in mortem Chriſti, ut oſtendimus, demerguntur. Huius autem mortis illud beneficium accipiunt, ut omni delictorum culpa liberentur. Sanguis denique Chriſti propterea mortalibus uitam ſempiternam parit, quod eos ab omni noxarum foeditate purgat, culpa mortalium poenaque in Chriſtum tranſlata. Ex his autem tribus rerum diuinarum generibus, de quibus modo mentio

Digitized by Google

facta est, Christi diuinitas adeo elucet, ut eam singula, attentius considerata, facile, claris atque insignibus argumentis, patefaciant. Adde iam, quod idem praeco diuinus paullo ante dixerat, Tres esse, qui testimonium dent in coelo, Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum, atque hos tres unum esse. Verbum nominans, secundam diuinitatis Personam monstrat, Vnum appellans in diuinitate, unam ostendit οὐσίαν, cum eaque, communi quidem trium Personarum distinctarum, sed tota tamen in singulis, diuinam immensamque Christi maiestatem atque gloriam ueneratur. Itaque, cum tres illi, quos supra diximus, in terris testes Christi sint diuinitatis, hique uniuersi ac singuli ad humanam salutem referantur, quid iam plenius solatii mortalibus, qui terras incolunt, dari potest. In Christi enim diuinitate requiescit humana salus, uti Deus, non sola specie, sed ipsa etiam natura, indutus humana, pro nobisque perpessus, plene satisfaciat iustitiae diuinae. Sanguis autem, atque Aqua, non modo tum, cum ex latere Christi transuerberato profluunt, eius diuinitatem testantur, ac beneficia huius coelestia mortalibus tribuunt, sed eandem etiam diuinitatem testantur adhuc, ac testabuntur eam perpetuo, dum

Re-

Digitized by Google

Regnum Gratiae durauerit. Eiuſdem quoque diuinitatis uim atque efficientiam, omni tempore, experientur, Sanguis quidem in Sacra Synaxi, Aqua uero in Baptiſmate. Bene ergo de Latere Chriſti aperto Auguſtinus. Hic enim oſtendit, Portam Vitae apertam eſſe, cum ex ea prouenerint ſacra Eccleſiae Sacramenta, ſine quibus Vitae Verae limen intrari non poſſit. Bene Io. Chryſoſtomus, ex hoc perfoſſo Chriſti latere, docet, Myſteria diuina oriri, neque aliter adeo ad Calicem ſacrum nobis accedendum, ac ſi bibere ex ipſo Chriſti latere uelimus

Dixi de Latere Chriſti aperto, Auditores, non, quantum eius rei dignitas poſtulat, ſed, ut potui, in tam alto diuinorum Myſteriorum receſſu. Noſtis, quam langueat oratio, ubi ea rerum dicendarum magnitudini ſuccumbit. Superest, ut ſaucium Chriſti Latus, ex quo tanta nobis bona exhauriuntur, ſumma religione animi proſequamur

Nos tibi, Chriſte, gratias agimus, quod noſtra cauſſa, in tanto corporis animique tui Cruciatu, longe indigniſſima atque acerbiſſima ſuſtinere, ipſam denique mortem contumelioſiſſimam, ac miſerrimam, oppetere, uoluiſti. Nec

Digitized by Google

uero minus tibi gratias agimus, quod, *in* ſupremis Cruciamentis tuis, non ſolum uiuus, pro mortalibus, hoſtibus tuis infenſiſſimis, Patrem Coeleſtem orare non es dedignatus, ſed quod mortuus etiam, in Sacroſancto Latere tuo, miſeris deſperatiſque nobis fontes diuinae conſolationis uberrimos aperuiſti. Praebes nefario militi Latus tuum ſanctiſſimum, lancea fodiendum, et Sanguinis atque Aquae riuos effundis, uti declares, tibi fore ſemper curae, qui, in nomine tuo, tincti ſint ſacro fonte, et Sanguine tuo refecti. Reple mentes noſtras Spiritu tuo Sancto, ut beneficium utrumque diuinum, *quod* abs te accepimus, Baptiſmatis atque Euchariſtias, piis gratiſque animis colamus, et utriuſque ſolatio nos, in rebus aduerſis, ſuſtentemus. Aperi nobis Latus diuinum, quo uiui, in tantis uitae humanae procellis, tanquam in portum quendam tutiſſimum, nos recipiamus. Apertum nobis ſerua latus hoc tuum, huius ut in uulnere ſalutari uiam quaeramus, atque inueniamus, qua in coelum, ſine periculo metuque, laeti alacreſque, proficiſcamur

XVIII

Digitized by Google

XVIII.

DE CORONA CHRISTI SPINEA

Horribilis est aspectus ludibrii, Auditores, quo Seruator humani generis innocentissimus a Militibus Romanis, Hierosolymorum praesidiariis, quos impia Iudaeorum turba sine dubio ad facinus nefandum impulerat, pro Rege Ludicro, hodie exagitatur. Milites enim praetoriani Christum, a Pilato sibi traditum, in praetorium ducunt, ad eum cohortem totam congregant, eum, ueste spoliatum, chlamyde coccinea induunt, eius capiti Coronam, ex Spinis contextam, imponunt. Tum arundinem ei dant in dextram, eum, genu contumelioſe flexo, malitioſe uenerati, Salue, inquiunt, Rex Iudaeorum, eum, colaphis impactis, conſpuunt ſimul, et, arundine extorta, caput ei contundunt

Poſtea

Digitized by Google

Poſtea uero, quam ſatis ei grauiterque illuſerunt, eum Chlamyde exuunt, ipſiuſque ueſtibus indutum, rapiunt ad Crucem. Haec dum geruntur, Pilatus e praetorio exit, Chriſtum nullius ſibi criminis eſſe compertum, palam pronuntiat ac ſaepius, eumque, foras egreſſum, et Coronam Spineam capite, togamque purpuream humeris, geſtantem, digito, in exemplum ſpectaculi miſerabilis, monſtrans, Ecce homo, inquit

Videtis, Auditores, iniurias hominum perditiſſimorum, tanta in Seruatorem noſtrum ſanctiſſimum, et unicum, ignominia et crudelitate factas, ut earum memoriam non perhorreſcere non poſſimus. Sed, quoniam Chriſtus noſtra cauſſa perpetitur haec cuncta, eiſdem in rebus, multo indigniſſimis, reperimus abdita; quae in ſalutem ſolatiumque noſtrum cumulatiſſime redundent. Haec una complecti oratione quis auſit. Quapropter, in praeſenti, unam mihi ante oculos ſtatuo Coronam Chriſti Spineam, eamque, pro exiguitate temporis, expendo paucis

Corona igitur Chriſti Spinea, Auditores, ſi paullo attentius rem cogitemus, duplicem ſui ratio-

Digitized by Google

rationem nobis oſtendit, unam longe contumelioſiſſimam, alteram maxime ſalutarem. Ac primo quidem hanc ad contumeliam quid addas, qua Chriſtus multiplici, et grauiſſima, afficitur, ac penitus obruitur, ad Crucem miſere deductus. Videor enim mihi uidere milites praetorianos, qui Chriſto, ut Regi Iudaeorum ludicro, inſultent, neque hoc, in licentia militari, Romanorum praeſertim, mirandum ualde, puto. Ipſorum enim Regum, quos Romani pro ueris haberent, maieſtas ab hoc populo, qui ſe terrarum Principem ferret, deſpici ſolebat. Ea de cauſſa Reges, una cum Reginis, cunctaque familia Regia, in Triumphis, aureis catenis uincti, ducebantur, mox, itinere in Capitolium flexo, dabantur in carcerem, ibique necabantur. Qua quidem re Deus quemadmodum, per Romanos, in Reges iſtorum temporum libidinoſiſſimos animaduerterit, alio loco diximus. Quod ſi Romanis ueri Reges adeo ſpreti fuerunt, quid tandem a militibus Romanis expectandum erat Chriſto, cui milites hi perſonam Regis ridiculi, nefas dictu, imponere eſſent auſi. Sed, inter milites, uidere mihi uideor Iudaeos, uolitantes in uiis, exultantes laetitia, ut coniici poſſit, milites ab Iudaeis, Chriſto infenſis, prece, pretio,

pollicitationibus largis, omni denique ratione, in Seruatorem, calumniis oppreſſum, concitatos fuiſſe

At uero, ſiue Iudaeos, ſiue milites Romanos, ſpecto, in utriſque certe nihil reperio, niſi ligna, alienis neruis mobilia, ut cum Poeta loquar. Quibus autem neruis. Inferni iſtius Dei, infernae iſtius Furiae, planius loquar, Draconis iſtius Magni, Serpentis iſtius Antiqui, qui totum orbem decipit, et quo nihil dirius eſſe poteſt, nihil deteſtabile magis. Huius enim res agitur, cuius non cauda, ſed caput, a *Semine* Muliebri, conterendum eſt. Namque haec prima eſt Sors, genti humanae in Paradiſo ab ipſo Chriſto edita, ut primus hic ſalutis uindicandae Praeco, idemque Sponſor praepotens, miſeris mortalibus ſpem atque ſalutem daret. Hoc illud fatum eſt, hominibus felix atque laetum, hominum corruptori, Serpenti peſtifero, exitioſum et horribile, quo nititur, quicquid, omni ſaeculorum memoria, ſalutare hominibus, per uates diuinitus inflammatos, nuntiatum, quicquid ex illis ſaluum, fuit. At robur huius Oraculi, tam beati, eiuſque uis omnis, in uno Meſſia, terris promiſſo, conſiſtebat. Qui quidem

Digitized by Google

dem non alius erat, quam ipſe Chriſtus, adoratus quondam piis, et anxiis horum precibus expetitus, nunc ducendus ad mortem. Itaque Draco, trux iſte ſui uindex, etſi neque manibus, neque pedibus, Chriſti, in Cruce tranſfixis, parcit, eius tamen Caput in primis petit. Nam furiis ſuis agit milites, ut Chriſti caput feriant, conſpuant, ſpinis, in modum Coronae implexis, altiuſque impreſſis, faucient, et foedum ornatu, foedum aſpectu, omni denique ratione turpificatum, deſpectiſſimumque, reddant

Nullum quidem uirus eſt acerbitatis, quod hoſtis, tam capitalis, in Chriſtum nolit euomere, quem ſibi, ſciat e priſcis literis, unum peſtem importare. Sed, eum, idem habet perſpectum, de medio tolli ad tempus poſſe, funditus non item. Huius enim uires diuinas in obſeſſis, in morbis multorum generum ſanatis, mortuis in uitam reuocatis, tot tantiſque miraculis, quae imitari non poſſet, ſaepe ac multum erat expertus. Hinc iſta Daemonum uox, ex obſeſſis Gergeſenis humiliter miſſa, Quid tibi nobiſcum rei eſt, Ieſu, Dei Fili, huccine ueniſti, ante tempus uexatum nos. Igitur Draco, quod neſcius non eſt, a Chriſto ſe protritum

Digitized by Google

atque conculcatum iri, alia eum [illegible] tur, qua ſummum ei dolorem inurat. Chriſtum uidet, in terris lectiorem ſibi coetum cogere; ubi colatur ipſe, atque illum ſibi tam carum eſſe, uti foedus neceſſitudinis cum eo ſanciat; quale Sponſus cum Sponſa. ad hunc a Chriſto coetum admitti, quicunque ſuum illi nomen profiteatur. Chriſtum ergo nihil dolentius ferre, quam hanc eius concionem, illi delectam, aut diſſipari, aut minui ulla ſui parte. Eius autem minuendae rationem fore haud difficilem, animaduertit, ſi Chriſtus ipſe, caput huius concionis ſanctiſſimum, in hominum contemptionem adducatur. hoc eo facilius effici, quo magis Chriſti caput deformetur, ut aſpicientibus horrori ſit ac deſpicatui. Sic enim natura fert, non ſolum noſtra, ſed etiam belluarum, ut in homine, qui ueniat in conſpectum, caput potius eius, quam alia pars corporis, aſpiciatur. Caput enim in altiſſimo corporis loco, tanquam arx, ita ſitum eſt, ut in oculos maxime incurrat. Caput habet oculos, quo uultus atque ora hominum conuerti ſolent, quod in oculis animus uidetur habitare. Nihil huius fallit Draconem uaferrimum, qui externa rerum ſpecie decipit homines, uariis [illegible] illecebris deluſos.

Digitized by Google

luſos. Proinde in promptu ſua ſemper habet myrothecia, fuci pigmentorumque plena, quibus illinat uitiorum deformitatem, eamque pulchris coloribus expoliat, uti fucata cupide appetantur, quae ſine fuco cunctis ſordeant. At ſacroſanctum Chriſti Caput aculeis ſpinarum configit, confodit, dilacerat, eius uultum cruore undique perfundit, eius lumina lacrymis, ui expreſſis, obruit, ut, ſqualore ubique inducto, horridum eius aſpectum, et contemptiſſimum, reddat. Hac eius forma deformi, multoque deſpicatiſſima, hos, qui, ex innumerabili ſpectatorum multitudine, Chriſti, cruentati atque ſordidati, miſerias contueantur, abſterrere parat, quo minus agnoſcant illius numen, eique dedant ſeſe, quem deformitatis plenum uideant, quem illuſum irriſumque cernant, in quo ne humanam quidem faciem, ne dum ſplendorem diuinum, reperiant. Hae Draconis truculenti ſunt artes malitioſae, quibus Chriſto excarnificato notam, ad ſempiternam, ſi fieri poſſit, ignominiam, eius nomini, unice ſalutari, aeternas maculas, eius denique odium animis hominum occaecatorum, inurat. Iam quid mente finxeris ullo modo, quod, ea re, tetrius, et magis execrandum, putes. Haetenus de Coro-

na Christi, contumeliis nefariis affecta, Auditores

Pergimus iam ad summum eius Coronae honorem, e quo Salus ipsa hominum existit. Huius tantae rei cogitatio nos, moerore perduellionis nostrae perculsos, excitat, ultionis diuinae metu perterritos, confirmat, propterea, quod sub spinis Christi salutem nostram, a Christo quaesitam, nobisque redditam, reperimus. Christus enim spinas peccatorum nostrorum, quae conscientiam nostram dies nocteſque pungebant, ex mentibus nostris eximit, hasque *spinas* capite suo sacrosancto suscipit, ut aculeos earum doloribus suis obtundat, has, in uertice suo defixas, cunctis ostendit, uti cunctis, in se religiose spectantibus, fructum offerat diuini Meriti sui, qui quidem hoc, religione fidei suae, uelint amplecti. Nobis lacerandum spinis Inferorum fuerat Caput istud, cuius mens, in capite uigens, nefas uiolandi mandati diuini conceperat, nobis eruendi fuerant, ultionis diuinae spinis, oculi isti, qui, pomi fatalis pulchritudine capti, dextrae nostrae duces fuerant ad fructum arboris uetitae decerpendum, nobis obstruendum spinis, atque excruciandum, fuerat istud os,

Digitized by Google

os, quod cum Serpente, hominum circumſcriptore, de obſequentia, Deo praeſtanda, diſputauerat. Denique nos, ob noſtram a Deo defectionem, in ſceleratas impiorum ſedes eramus detrudendi, ut, una cum malis herbis, quas meſſores Angelici in fornacem ignis coniicerent, unaque cum Satore iſtarum herbarum ſterilium inimiciſſimo, ſempiterno cremaremur igni. At Chriſtus, pro immenſa miſericordia ſua, culpam noſtram in ſe tranſtulit, poenam, nobis debitam, Capitis ſui cruciatu luit, infamiam perfidiae noſtrae, ignominia ſua, propulſauit. Spinis enim coronatus, inter hoſtium ludibria, incedit, uti iuſtitiae ac gloriae Coronam, patientia ſua ac ſanctitate partam, nobis, inter Superos, imponat. Sinamus, his in terris, Godefrido Bullionio Coronam ſuam ſpineam, quam, captis Hieroſolymis, tanquam inſigne noui Regni, ſuſcepit, ut, eius ornatus humilitate, reuerentiam ſpinae Chriſti praeſtaret. Nobis enim ſpina Chriſti non terreſtre quoddam Regnum parit, ſed Coeleſte, quod Seruator ipſe ſuis promittens, Adeſte, inquit, beati Patris mei, poſſidete Regnum, uobis ab Orbe condito paratum

Ex ſpinis igitur Chriſti nobis naſcuntur Roſae.

Digitized by Google

ſae, quae tametſi multis huius uitae ſentibus obſidentur, ſuccum tamen odoremque ſuum a uirtute Chriſti, hodie pro nobis extrema perpeſſi, ſumunt, eoque laetius efflorescunt. Nam Chriſtus ipſe, ſpinis ſuis, fit nobis flos ille Salomonis Saronius, Roſa uallium, et Sponſae ſuae acclamat, Qualis Roſa inter ſpinas, talis eſt Amica mea inter feminas. Huic Sponſo reſpondet ſponſa, Meus Amicus meus eſt, et ego eius, me paſcentis inter Roſas

Tu uero, Domine Ieſu, qui bonus, qui magnus, ouium Paſtor diceris, qui Magiſter etiam paſtorum, paſce nos, oues tuas, in terris, inter fragrantia Euangelii tui Roſeta. Denique nos, ex dumetis atque uepretis ſolicitudinum terreſtrium, in amoena Paradiſi uireta, traductos, inter ſuaueolentes Coeli Roſas, beatiſſimo tui Aſpectu, in perpetuum paſce

XVIIII

Digitized by Google

XVIIII

DE MYSTERIIS DVOBVS CONTRARIIS IN CVRANDA HOMINVM SALVTE

Hodiernus dies iniquitatis, atque crudelitatis, tam plenus est, Auditores Religiosissimi, ut mirandum sit, eum, nefandis atque inauditis sceleribus coopertum, in noctem horridam, terribilem, perpetuamque, non uertisse. Hoc enim die uinculis, uerberibus, omni supplicio, excruciatus, necatur omnis memoriae sanctissimus atque innocentissimus, qui, pro tribunali, sententia ab ipso iudice iniquissimo ac sceleſtissimo pronuntiata, insons, omnis expers culpae, iustusque, declaratur. Mox, cum stupore trepidantis naturae mortuus, ab ipsis Romanis, percussoribus suis, Centurione, huiusque comitibus, ut Matthaeus scribit, tanta afficitur admiratione, ut ab eis Filius Dei uocetur, magna publicae asseuerationis religione cultus. Sed idem dies hodiernus gratiae ac salutis plenus est. Hoc enim, omnis aetatis desideratissi-

Digitized by Google

mo, exoptatiſſimo, expectatiſſimo, magnum perficitur opus rei humanae, poſt ueterem iſtam peſtiferamque cladem reſtitutae

Quanquam igitur hodierna luce tot tantaque in utramque partem eueniunt, nulla ut cuiquam dicendi copia deeſſe poſſit, ego tamen, qui pie potius ac ſimpliciter, quam diſerte atque ornate, uelim dicere, animum induxi, ut uobis, Auditores, proponam Myſteria duo contraria, unum Perditionis, in Satanae aduerſus homines odio, alterum Conſeruationis, in Chriſti erga homines eoſdem amore. Myſterium uoco id, quod, in receſſu rei externae, uel aliud longe, uel plus, recondit, quam extrinſecus promittit atque in fronte. Ac Myſterium quidem Perditionis nomino a Perditore illo Ioanneo, qui Hebraice Abaddon, Graece Apollyon, dicitur. Hic eſt iſte Satanas, cuius Abyſſum Chriſtus, ut ipſe loquitur, Thyatirenſibus oſtendit, in qua Myſterium Satanae, illudque conſilium clandeſtinum, latet, Dei Ciuitatem perdendi. At Myſterium Conſeruationis a Chriſto, Sotere noſtro, ſic enim ipſi Latini Graecam uocem literis ſuis mandant, dico id, quod Timotheo ſuo Paullus edit, ut omnino magnum. Chriſtus autem ipſe apud

Digitized by Google

pud Lucam, Filius hominis, inquit, non perditum uenit, sed conseruatum. Ex hoc loco geminum illud, de quo uerba faciam, Mysterium sumo, Perditionis, atque Conseruationis, ut mysteria duo, in curanda hominum salute, sibi contraria, ostendam, unum quidem ad oppressionem generis humani spectans, alterum ad propugnationem, pro eo susceptam

Hunc ordinem ut sequar, ordiar a Mysterio Perditionis, quod in Satanae odio aduersus homines inclusum est. Hic autem perpetuus Christi Aduersarius grauius in homines odium exercere non potest, quam si Tripartitum Christi Officium, Propheticum, Sacerdotale, Regium, apud homines in contemptionem adducat, omnemque eius dignitatem infringat, ut adeo mortales omni beneficio Christi, sine quo pereundum est, orbentur. Hoc agit iste, hoc omni ratione molitur, hoc omni tempore meditatus est. Itaque Iudaeis caliginem offudit, ut uel non intelligerent, uel deprauarent, quae hoc triplici de munere sacris Oraculis ederentur, eaque in sententiam longe aliam interpretarentur, commentitiis opinionibus peruersa. Vt multa praeteream, indicio est Carmen Dauidicum,

Digitized by Google

quod Virgam uirtutis, hoc eſt, Sceptrum Regni, in Sione patefacti, quod Sacerdotem aeternum, et alia, ad officia Chriſti pertinentia, commemorat. Quae tamen cuncta Iudaei de Abraha, et, promiſſo huic, ſacerdotio Leuitico, perperam acceperunt, atque explicarunt. Pari modo Satanas id potiſſimum cupide elaborat, uti munera, humano generi ſalutaria, extenuet atque opprimat, quae Criſtus gerit. Ac primum quidem, eius inſtinctu, Iudas oſculo Chriſtum prodit. Aue enim, inquit, Rabbi, oſculans eum. Et Ieſus, Amice, reſpondet, Tune oſculo Filium hominis prodis. Filium hominis ſe dicit, ut admoneat Iudam proditorem, quam ingratum impiumque ſit, illum prodi, qui hominum ſeruandorum cauſſa ipſe ſit homo factus, quam ipſi proditori ſit exitiale, hunc ſalutis Auctorem, a proditore, ſalutis ſuae prodigo, repudiari. Amicum ſuum appellat, ut eum commonefaciat amoris, quo eum in diſciplina, comitatu, conuictuque ſuo, inſtituerit ad ueritatem coeleſtem, uitamque aeternam, quo eum aluerit atque pauerit, quo eum tueri conſueuerit ab omni incommodo, ut eum ſimul arguat atque conuincat ſuae in Magiſtrum Dominumque ſuum perfidiae, multo profligatiſſimae. At Satanas, qui Iudae ſub-

Digitized by Google

ſubierat animum, hunc in prauitate uſque eo confirmat, ut iſte neque officii erga Chriſtum ſui rationem ducat, nec praeſenti illo numine, quod ego miror in primis, moueatur, cuius uno dicto perculſa, hoſtium aduentantium turba proſternatur. Quid autem ſibi quaerit obtrectator malitioſus. Hoc uidelicet, uti munus Chriſti Propheticum, quod ipſe diſcipulus eius criminetur, infamet. Quanquam enim interius Iudaeorum conſilium ſciebat, Iudam, mercede corruptum, prodidiſſe magiſtrum ſuum, hanc tamen rem iſti Iudaei ſtudioſe premebant, neque eam in uulgus efferri uolebant, propterea, quod, ut ſacris literis perſcriptum eſt, dolo cum Chriſto agendum, putabant. Ex quo iudicari poteſt, ueram cauſſam, qua re necem ſibi Iudas conſciuerit, uel Ager Sanguinis ſit nominatus, omni ſtudio ab illis diſſimulatam fuiſſe, ſpecioſiſque mendaciis uafre detortam. Harum enim fraudum artifex eſt Satanas, non ſolum mendax iſte, ſed etiam mendacii pater, ut dicitur a Chriſto. Ergo longe aliud quid, Oſculo Iudae, conſectatus eſt. Perſuadere enim uoluit hominibus, Iudam ipſi Chriſto, magiſtro ſuo, iraſci, tanquam ab eo ſanctitatis ſimulatione deceptum, ob eamque cauſſam tanto in eum iam o-

Digitized by Google

dio incendi, ut, eum de medio tollendum, ducat, ne qui deinceps alii in errorem ſimilem exitioſumque inducantur, a uera, atque antiqua, Religione abſtracti. Hoc ſi accredant homines, uidet Inſidiator teterrimus, id non poſſe non effici, ut actum ſit de mortalibus. Nec uerò fallitur. Hoc enim ſine dubio futurum erat, ut homines, illa opinione nefaria imbuti, reiicerent conſilium Dei, a Chriſto in Euangelio promulgatum de ſalute humani generis, quae merito eius diuino recuperanda ſit. Eo enim arcano diuinitatis totius conſilio fit decretum placabilitatis perennis, quo ſtabilitur immutabilis Dei ſententia, eis ſalutem dandi, ad Chriſtum qui confugiant, eique morem gerant. Hinc illa uox ipſius Seruatoris, qua terrarum Orbis perſonat, Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati eſtis. Habetis, Auditores, malitiam Satanae in Officio Prophetico Chriſti eleuando, eiuſque auctoritate euertenda

Quid iam illud, cum idem iſte Veterator, quem Chriſtus Patrem Iudaeorum dicit, Iudaeos incitat, uti Chriſtum, cruci ſuffixum, clamore conuicioque iactent, hoc potiſſimum grandi, Qui Templum deſtruis, et triduo inſtauras, ſer-

ua

Digitized by Google

ua te ipſum. Nimirum hoc Chriſtus de corpore ſuo, poſt triduum inſtaurando, dixerat, quod coniuciatores de Aede Hieroſolymitana interpretantur. Sed, quoniam opus Sacerdotum, populum ſacrificiis ac precibus expiantium, fiebat in Templo, hoc eſt, in area Templi, Chriſtus autem ſe illum profeſſus erat uerum Sacerdotem, cuius duntaxat Typum Sacerdotes Veteris Inſtrumenti repraeſentauerant, idcirco hic talis omni honore Sacerdotii indignus ſpolianduſque uidebatur, qui Templum ipſum, auguſtam ſanctamque Sacerdotii ſedem, demoliri ac diruere uellet. Cum autem Sacerdotes populum, adminiſtratione muneris ſui, conſeruare crederentur, Chriſtus, e contrario, magnis angoribus confectus, diſperire uideretur, tum uero calumniatores nefarii, Serua te ipſum, exclamant. Alio, quod addunt, nec leuiore, eum maledicto inſectantur, Pontifices maxime ac ſenatores. Alios, inquiunt, ſeruauit, ſe ipſum ſeruare non poteſt. Sic ignominioſe a Satana Officium Chriſti Sacerdotale abiicitur

Horrenda iam eſt illuſio, quae Chriſtum, ornatu Regio indutum, contumelioſiſſime et aſperrime exagitat, ad eamque ſpectaculi miſerabilem

bilem redigit formam, ut ipſe Pilatus *dicat*, Ecce homo. Execrabiles ſunt uoces, quibus Chriſto, in Crucem acto, illuditur, Si Rex eſt Iſraelitarum, deſcendat nunc de Cruce, ut ei credamus. Sed haec, et alia, quae Satanas in eandem ſententiam, per inſtrumenta libidinis ſuae, agit, eo pertinent cuncta, ut Officium Chriſti Regium ludatur palam, ac deſpiciatur. Hoc autem malitioſe contempto, quid eſt, quod ab eo ſperes, qui non modo coetum, religione ſibi coniunctum, regat atque defendat, ſed etiam rerum in coelo terraque potiatur, praepotens uiuorum mortuorumque iudex. Perditis igitur beneficiis Officii huius Triplicis, quo Chriſtus fungitur, cuncta perduntur. Videtis, Auditores, Myſterium Perditoris, quo cupiditatem ſuam Satanas in ſempiternam hominum perniciem intendat

Quanto iam ſincerius, laetius, atque amabilius, eſt Myſterium Conſeruationis, quod in Chriſti amore erga homines incredibili abditur, ex eoque elucet. Vt omittam plura, quae hoc loco ſeſe offerunt, unum arripio, ſed exempli, in ſupplicio Chriſti, ſingularis. Chriſtus, in Crucem ſublatus, inter duos latrones pendet. Ex his alter, ſocium poenae, qui Chriſto maledicit, obiur-

Digitized by Google

obiurgans, ac iuſtitiam Chriſti praedicans, fit Apoſtolus, ac reuera primus eius Martyr. Chriſtus ab eo, ſibi fidente, exoratus, Tibi confirmo, inquit, te hodie mecum in Paradiſo fore. Haec uox, tam neruoſa, dat eam mihi doctrinam, Nemo ſaluus fit, niſi Fide in Chriſtum. Itemque hanc alteram, Nemini, in Chriſtum uere credenti, ullo uitae tempore, praecluſa eſt ſpes ſalutis. Denique hanc tertiam, Quicunque cum uera in Chriſtum Fide moritur, hic ἀπάρτι, ut Apocalypſis Ioannea loquitur, hoc eſt, ab eo temporis puncto, quo animam efflat, fit beatus. Haec maxima eſt Euangelii doctrina, ſine qua nihil in humanis rebus beatum eſt. Vox enim, qua Latro ſocium ſuum increpat, Poenitentiam eius oſtendit. Vox, qua Chriſtum dicit Dominum, eumque rogat, ut ſui in Regno ſuo meminerit, declarat eius Fidem. Reſponſum, quo Chriſtus ei ſalutem promittit, Verbum demonſtrat illud, quo Fides Latronis fundanda ſit. Ergo Poenitentia, et Fides, duo ſunt illa palmaria ſalutis noſtrae inſtrumenta, a quorum praedicatione Chriſtus primordia capit exercendi Miniſterii ſui. Reſipiſcite, inquit, et credite Euangelio, apud Marcum. Verbum autem, de quo diximus, illud ſtabile eſt fundamentum, in

Digitized by Google

quo Fides ſalutaris, ſine metu prolapſionis, inſiſtit. Hoc illud humanae ſpei propugnaculum eſt, quod Chriſtus ipſe Morti ſempiternae opponit. Si quis, inquit, Verbo meo paruerit, is nunquam uiſurus eſt Mortem

Haec, quae inter Chriſtum latronemque, in re tam mirabili, prorſuſque noua, intercedunt, audiunt ſine dubio multi ex corona ſpectatorum, quae Crucem circumſtat, eiſque permouentur, ut amice, ac religioſe, de Chriſto cogitent. At Satanas horum cogitationes maledictis conuiciatorum diſtrahit, eaſque, quoad poteſt, a Chriſto alienat. Sic Propheticum Chriſti Officium irritum facere contendit. Latro, contra, ad Chriſtum conuerſus, honorem Chriſti uindicat, Domini nomen, Regnumque, ei tribuens. Chriſtus autem in Latrone munus ſuum Propheticum obit, ad ſalutem ei, hoc adhuc eodem die, parandam

Chriſtus non, ut alii Sacerdotes, qui eius fuerant umbra, hoſtias pro Iudaeis immolat, ſed, in Ara Crucis, pro toto genere humano, ſe offert ipſe, eaque re omnem Legis ſummam complet. At Satanas, omnis huius diuini, quod latiſſime patet, beneficii ſenſum ac memoriam ex

Digitized by Google

ex animis hominum delere, maxime nititur, Pontificum Sacerdotumque probris in Christum profundendis, contumeliisque iaciendis. Christus tamen Deum pro mortalibus precatur, ne Fides diuina deficiat eos, atque ut eis saluti sit Meritum suum. Atque etiam Seruator hic mitissimus, pro hostibus suis deprecans, Pater, inquit, ignosce eis. Nesciunt enim, quid faciant. Sic officium praestat ueri Sacerdotis, Deo palam pro populo supplicantis. Idem, exclamans in Cruce, Consummatum est, hoc dicit, Ego perfeci Sacrificium meum. Ita fidem sacerdotii, pro conseruandis hominibus suscepti, seruat usque ad extremum spiritum suum. Sed tanto acrius enititur Satanas, ut homines a Christo quam longissime disiungat, ne qua deprecationem eius memoria teneant, neue ullum deprecationis huius potentissimae fructum percipiant. Eadem tamen deprecatio, quam nunquam satis honoris caussa nominare possumus, tantam adhuc uim habet, ut, si Deum per hanc perinde, ac fieri par est, obtestemur, dubitandum haud sit, quin apud eum gratiam semper ineamus. Nec uero aliter sentiendum est de precibus illis, quibus Christus, oculis in coelum sublatis, pro discipulis, ac toto piorum grege,

Digitized by Google

orans, petit a Patre Coeleſti, ut homines ſua ueritate ſanctos efficiat. Eadem prorſus mente pro nobis aſſidue ſupplicat, ſuamque pro nobis obedientiam offert, qua ſemper, in terris adhuc conſpectus, per obſecrationes ac precationes hominum cauſſam egit, ut gentium Doctor Hebraeos docet. Sic ille, pro incredibili bonitate ſua, facere ſolet, ut nobis miſeris opituletur. Contra ea, Satanas, quantum conniti poteſt, tantum contendit, ut homines, negotiis rerum inanium diſtrictos, a cura ſalutis auertat, ne uel cognoſcant hi, uel mente agitent, quantum ſibi praeſidii in ſacerdotio Chriſti conſtitutum ſit

Denique quot, et quanta, ſunt inſignium euentorum documenta, quibus Regium Chriſti Officium illuſtratur. Hoc enim percellit numine ſuo mentes illius multitudinis, quae ad inſpectandum Chriſti ſupplicium confluxerat, ut, eis excita, quae, cum ingenti omnium terrore, acciderant, pectora ſua tundat, ſicut Lucas ait. Fiſſo Templi uelo, ipſae uires naturae commouentur, obſcurato penitus Solis orbe, interdiu, plena Luna, terra tremente, ſaxis diffractis. Imperium exercetur in ipſos mortuos, perfractis ſepulchrorum repagulis, conſurgentibus multis San-

Digitized by Google

Sanctorum corporibus, qui, poſt Chriſti in uitam reditum, e tumulis egreſſi, Hieroſolymis ſe multis conſpiciendos praebent. Tantum ualebat munus Chriſti Regium, ad ſalutem hominum redintegrandam, ubi perdita conclamataque cuncta uidebantur. Habetis Myſterium Conſeruationis, Auditores, quod in amore Chriſti erga homines incredibili continetur. De utroque iam Myſterio, Perditionis, et Conſeruationis, quid ego ſentiam, uidetis

O, Domine IESV, fac, mala, quae Satanas, ſuo Perditionis Myſterio, quotidie nobis intentat, effugiamus, fac, bona, quae tuum Conſeruationis Myſterium edit, capiamus. Rege nos Spiritu Sancto tuo, ut hanc immenſam tuam in nos caritatem ſemper religioſeque colamus, ut eam fide incorrupta, in ipſo potiſſimum mortis articulo, teneamus. Sic eadem nos gratia, qua Latronem, in Cruce tibi ſupplicantem, amplexus es, abs te in Paradiſum recepti, inter Myriadas Coelitum laureatas, quas Spina tua genuit, ſummis nomen tuum laudibus efferre nunquam deſiſtemus

Digitized by Google

INDEX

A

Abichtii, Io. Georgii, honos ſupremus 671
- - - eius Character, in uita doctrinaque 672. ſqq
- - - eius Euthanaſia 675.711
- - - eius ſcriptum ultimum quanti receſſus 690
- - - eius mors quam facilis 705. ſqq. 711
Abrahami fides tempore filii immolandi, quanta 1039. ſqq
Abrahamum fides quantis exaggeret honoribus 1045. ſqq
Academia qualem habeat ciuitatis literatae ſtatum 718. ſqq
Academia Pariſienſis Regis Filia Primogenita 585
- - - illius Rector gradu quam alto in conuentibus publicis ibid
Academia Pragenſis cur dicatur Caroloferdinandea 256
Academiae Vitembergenſis dignitas ex antiqua nouaque docentium ac diſcentium praeſtantia 626. 627. 627
Academiae Rector qua dignitate praeditus 719
- - - habet muneris ſui quatuor partes 720. ſqq
Academiae Ciues boni, quantum amandi 735. ſqq
Academiarum ornatus, Regiis Inſignibus expreſſus, quantam ſcholarum dignitatem teſtetur 685
Academici, in utramque ſententiam diſputantes, Lumen Naturae, ſibi reliquum, peruertunt 1094
Achilles, Homeri praeconio immortalis 477
Actiones, ex dictis ueterum Sapientum rationi accommodatas, Deo minime diſplicere poſſe 103. ſqq
Adamus, adhuc integer, quantum Legis uſu gaudeat 62 ſqq. 82
Adami uoluntas libera, qualis 64
- - peccatum grauiſſimum, cur 65
Adouacrius, Saxonum Rex, in Gallia quid egerit 877
- - - hic a Childerico fugatur 877
- - - idem mox, Childerici ſocius, Alanos deuincit ibid
Adrianus, qualem legem impoſuerit Friderico I. Imp 805. ſqq
Aegro-

Digitized by Google

Aegrotantis grauiter imago, quam terribilis 707
Aemulatio, qualis fons acerbitatis, a Francis in Saxones effusae 924. sqq
Aemulatio, quam periculosa in principatu 926
Africani iun. singularis in literas amor 205
Agesilaus Philosophiam Socraticam discit a Xenophonte 566
- - - unus Spartam conseruat
- - - Persis quam metuendus 568
- - - magistratus absentis quam reuerens, in fortuna bellica 568
- - - philosophia Socratica domi foriſque clarus 556. sqq
Agnus, Christus, cur uoluerit mactari 39
- - huius silentium quale 40
- - dignitas ibid
Agon, quid sit 18
Agones duo in Christi passione quales ibid
Agon Christi prior quid 18. sqq
- - eius causſa 19
- - eius grauitas 20
- - - alter 21
Agricolae, Iulii, quale discipli-
nae temperamentum fuerit, in regundis Britannis 736
Agrippae, Augusti amico, quaenam Hierosolymis placuerint 698
Agrippinae monimentum, ubi 424
Aimoinus, quo tempore scripserit 1019
Albertus I. conditor coenobii Regii Fontis 230
Albertus II. in amore ciuium ponit securitatem Principum 189
Alberti II. laus 231
Alexander M. in Rege requirit laborem arduum 192
- - - prius Philosophus, quam bellator, celebratus 487
- - - quam cupidus eruditorum, quam in eos munificus 527. sqq
- - - cur Aristotelem, magistrum, patri anteponat 541
- - - a Xenocrate philosopho incitatus, ad bellum barbaris inferendum 542
- - - eius uox de successore optimo 392
- - - eius optatum quale, uiso Diogene 542. sqq
- - - eius Scholae Graecae inter barbaros institutae ad cultum uirtutis 580
- - - ex hoc instituto quaenam

Digitized by Google

nam uestigia diuinae prouidentiae eluceant 581
Alexander Seuerus doctos consiliis, etiam bellicis, adhibet 202
Alexandri Seueri, Imp. mos, constitutiones suas, in magno doctorum hominum Senatu, sacrandi 604
- - - idem, in Senatu Bellico, utitur Literatis, maxime historiarum peritis. 604
Alphonsi insigne, in uexillis etiam, Liber Apertus 231
Alsatia, an rectius Edelsassia 884
Ambitiosi hominis studium inane 444
Amici, a plerisque cur quaerantur 1064
Amicitia uera, quam difficilis inuentu 1065
Amicitiae caussa, quam controuersa 1064
Amplitudo fortunae munus 501
Anabaptistae, quam sint infensi Lutheranis 762
- - - libros bonos cremantes 763
- - - quorum furores instaurauerint 766. sqq
Anabaptistarum errores, quinam 762. 763
- - - deliria 760. sqq
Anabaptistarum origo, ubi quaerenda 761
Anacreon Teius, Principibus carus 530
Angliae nomen, unde repetendum 891
Anglorum praestantia quanta, 885
Angulosaxonicae leges, ex Normannicis saepe cur intelligendae 893
Animus, quanta cura excolendus 450. sqq
- - - huius uis, sita in uirtute duplici 451
Animus gratus erga Christum morientem, quid cogitare debeat 47. sqq
Animi humani uis 30
- - - dignitas 31
Annus CIↃ IↃ CC XLVII cur Saxonibus felix atque laetus 983
- - - in Fastis Saxonicis, cur Nuptialis dicendus 985
Antiqua, quam praestantia, cum eis noua cur conferenda 845
Antiquitatis studium, Principe dignum 413
Antiquitatis Museum Dresenense ubi, et quale 414. sqq
M. Antonini ambitiosa industria in ludis Circensibus 194

Digitized by Google

M. Antonimus, Philos. lectione ueterum, Remp. et iudicia regens 275
- - - ad Remp. bene gerendam Philosophiam requirit 555
- - - num recte, antiquo nomine, uocetur Philosophus 556
- - - philosophica scribit ibid
- - - philosophiam actionibus ciuilibus exprimit ibid
Antonius Musa, medicus, quantum Romae honoratus, curato Augusti morbo 266
Antonius Panormitanus, ab Alphonso rege grauissimis legationibus adhibitus, 610. sqq
Apollo, semper Iuuenis, in Numis atque Gemmis 410
Apollini posse conuenire cum Marte, in studiis Heroum 296
Apotheosis Homeri, in Marmore, doctis quam gloriosa 473
Appetitus sedatio quid boni efficiat 467
Arati dictum a Paullo quanta cum ui prolatum 111 sqq
- - quando fiat donum Spiri- S. sanctificans. 113
Archimareschallatus Saxonici auctoritas 388
Architecturae Dresenensis magnificentia 417
Aristides, Smyrnae M. Aurelio Antonino placet, cunctatione officii, ab ipso arcessitus 550
- - - studium suum anteponit gratiae Imperatoris ibid
- - - quanta Epistolae eloquentia, Antoninum lacrymantem permoueat, ad Smyrnam restituendam. ib
- - - statua honoratus, posita Smyrnae, huiusque conditor dictus 551
Aristidi paupertas glorioſa Iusti nomen parit 513
Aristippus. auri ridiculus contemptor 504
Aristoteles in Exotericis melius de Deo differit, quam in Acroaticis 1094
- - - eius scientia muneribus Philippi et Alexandri M. adiuta 527
- - - eius Historia Animalium quanto sumptu Alexandri M. condita 527
Arius Spiritui S. obtrectans, ideoque damnatus 136
Arius ab Augusto quanti aestimatus 545 sqq.
- - hic philosophus praefecturam Aegypti, sibi delatam, recusans 600
Arsinoe, Nouerca, Lysimachi stirpem regnumque euertit 1076

Digitized by Google

Artaxerxes, Darium filium creans Regem, huius, cum fratribus coniurantis, insidiis appetitur 1069
Artes, quae publice nunc traduntur, num extiterint iam olim 571
Assentatorum mores, in utraque amicorum fortuna 1063 sqq
Asylum humanum in latere Christi 46
Atticus, T. Pompon. literarum studio, in turbis, tranquillus et honoratus 468
Attilae proelium, in campis Catalaunicis, quam atrox 875
Auari studia quam uana 443. sqq
Augustana Confessio, quid sit 746
- - - quanta bona attulerit nostris temporibus 807
- - - illius merita in remp. totumque imperium, qualia 741. sqq
Augustanae Confessionis libellus quantam sapientiam contineat 750
- - - fons multorum riuulorum 811
- - - huius libri fundamento Pax Religiosa, Vestphalica, aliaque decreta, continentur 812
Augustanae Confessioni, quantum externae gentes referant acceptum 821
Augustanae Confessionis Principes, qualia iura sibi recte uindicarint 818
Augustani Confessores, quinam fuerint 742
- - - inermes, armati satis ui Coelestis Verbi 742
- - - in Principum Augustano Conuentu primi quinam affuerint 746
- - - quid egerint 747
- - - horum uirtus, quanta 747 sqq.
- - - quantum asseruerint Maiestatis sanctitatem 773 sqq
- - - quid docuerint de Maiestate Caesaris 792
- - - quid de Episcoporum obedientia ibid
- - - horum reuerentia erga Caesarem, quanta 795 sqq
- - - quantum Caesari, totique Imperio, profuerint 800
Augustini monitum, ab Hispaniae regibus in arcanis institutionis Regiae doctrinis habitum 225
Augustus, Caes. quomodo animum renouet minoribus etiam rebus, lusuque cum pueris 194

Digitized by Google

Augusti Caes. amici, quinam 201
Augustus Caes. laudans Ciceronem de Officiis 244
- - - qua cura legerit Scriptores, exempla excerpens, et his utens ad Monita publica 275
- - - Alexandrum M. in tumulo eius Aegyptio, uenerans 351
- - - degenerantibus liberis infelix 396
- - - quantus ingeniorum fautor 328
- - - quemadmodum sedeat inter lacrymas et suspiria 544 sqq
- - - duos Philosophos, Arium atque Athenodorum, uitae rectores habet 544 sqq
- - - Horatii percupidus 551 sqq
- - - uult Horatii scriptis saepe commendari. 552
- - - eius Epistolae ad Horatium 552
- - - hic Remp. retinet, Virgilii consilio 553
- - - philosophiae a puero deditus, in conuiuiis philosophatur 556 sqq
- - - qualem sibi Euthanasiam optauerit 677
- - - quid sibi suisque, Euthanasia, precatus sit 680
Augustus Caes. corpori, non animo, sic prospiciens 681
- - - quos reditus addixerit sacrificiis Hierosolymitanis 693. sqq
- - - eius familia, templum Hierosolymitanum donis ornans 694
- - - eius beneficia, Iudaeis tributa 694
- - - quomodo coluerit Deum Altissimum 695. sqq
- - - idem plurima templa statuens diis suis 695
- - - quid senserit de templo Hierosolymitano 697
- - - idem, cur Dominus dici noluerit. 697
- - - num usus fuerit Religione Prudentum 699
- - - huic quomodo cognitus fuerit Iudaeorum Deus 699. sqq
- - - idem, num distinctam Christi notitiam habuerit 700
- - - idem, quid moriens egerit et locutus sit 701. sqq
- - - idem, num potitus sit Euthanasia 701
- - - idem, num ueneno interierit 701
Augustus unus quondam, conuersa Republica Romana, ciuis proprie dicendus. 938

Digitized by Google

Augustus, quale signum alienatae mentis ediderit 104
Augusti Caes. labor diurnus 192
Augusti Caes. palatium, Romae nuper repertum 433
- - - eius Euthanasia, in hac quid corrigendum 685
- - - eius sententia de Inferis 702
Augusto ipsi, adhuc uiuo, templa condita esse 696
- - - huic quid ex ritu Iudaico potuerit probari 696. sqq
Augustus, Frider. Rex, Caroli VI Imp. triumphos Legatione colens 164
Augusti II educatio et institutio 320
- - - eius studium rei uenaticae 321
- - - eius forma augusta, et robur corporis 323
- - - eius itinera 324
- - - eius expeditiones bellicae 324. sqq
- - - hic a Sarmatis Rex expetitus 326. sqq
- - - eius noua uincendi ratio in benignitate 328
- - - quo bonitatis elogio a Sarmatis lugeatur ibid
- - - eius connubium 329
- - - Senatui interiori quanta Sapientia praesideat, 330. sqq
- - - Collegia ab eo quam sapienter instituta 331
- - - eius formula actionis forensis, quam praeclara 333
Augusti II. Reg. Lex, de refrenanda digladiandi libidine, quam salutaris 335. sqq
- - - eius cura emendandi Rem Numariam 339
- - - Statuae Mercuriales, uiarum indices 340
- - - hic Dresenam aedificiis excolit 342
- - - hic Musea comparat 344. sqq
- - - eius prudentia pacem muniendi praesidio belli 348
- - - eius castra bellica, exercitationi posita ibid
- - - eius Aula, quam magnifica 350
- - - eius mors quam luctuosa 312. sqq
- - - excelsitas animi quanta 318
- - - eius Memoria quemadmodum colenda 352
Augustus III. adhuc Princeps iuuentutis Regius, Carolum VI. Francof. ad Moen. coram uenerans 165
- - - item Vindobonae ib
- - - successio quantum solatii afferat 352

uotum

Digitized by Google

- - - notum pium, huius ſucceſſioni nuncupatum 334. ſqq. et 401
- - - hic Rex Poloniae Cracouiae feliciter inauguratus 359. ſqq
- - - iiſdem in campis, ubi quondam Henricus Valeſius Rex Poloniae ſalutatur 273
- - - eius in Poloniam aduentus diſſidia delet 373. ſqq
- - - hic Poloniae libertati, ac dignitati, quam optabilis 375
- - - eius uirtus quam admirabilis 375. ſqq
- - - huius iuſtitia et aequitas ſingularis 378. ſqq
- - - eius fides quantam Saxoniae fidem in commerciis apud exteros conciliet 379
- - - eius magnitudo animi in uincendo ſe ipſo 380
- - - eius oblectatio animi, magno Principe quam digna 381
- - - eius clementia, cunctis parata 382
- - - eius labores et negotia ſaluti publicae intenta 383. ſqq
- - - eius uirtus, e corpore pulchro ueniens, quam pulchra 385
- - - eius ſcientia, et gloriae cupiditas, publice quam utiles ibid

Auguſti III. Regnum, in animis ciuium dominans 389
- - - hic, ad ruendam Poloniae libertatem, quam praeter ceteros aptus 392. ſqq
- - - eius fortuna domeſtica quam rara 395
- - - quantis Filiarum connubiis laetus 984
- - - Pater Communis, ac totius Europae feliciſſimus, complurium, eminentiſſimorumque, Capitum 985

Aurea Bulla Germaniam diuidit in duas partes, unam Saxonicam, alteram Francicam 972
- - - haec Septemuirum iura non inſtituit, ſed confirmat 989
- - - Principes Electores dicit Solidas Baſes Imperii, et Columnas Immobiles 989

Auſtria gens XVII. Caeſares dat Imperio 309
Auſtriacae gentis ſumma in literas merita 593. ſqq
Auſtriae pietatis exempla antiqua 171. ſqq
- - - gentis ſtudium inuigilandi Europae ſaluti 181
- - - munimentum benignitas 182

Digitized by Google

Auſtriae gentis merita in Germaniam 308
- - - gloria ex Principum Caeſarumque doctiſſimorum prouentu 228. ſqq

B

Baiae, quam ob rem adhuc clarae 424
Balnea Italiae ſalubria ubi inueniantur 423
Barbarorum infelicitas 147
Barcino, fortitudinis Carolinae teſtis 215. ſqq
Baptiſma, morte Chriſti ualens 1113
- - - Chriſti in Iordane oſtendit SS. Triada 1111. ſqq
Baptiſmus quam ſalutaris ſit 124
- - - conſtat duplici re 124
- - - hoc primum fiunt Chriſtiani 125
Baſſi, Pomponii, otium, quomodo fuerit diſpoſitum 497
Belgica Reſpublica quanam re conſeruetur 996
Bellicae artis explanatores, quinam 499. ſqq
Bergerus, Io. Henricus, Lynckero quantum referat acceptum 643
- - - eius triclinium fuiſſe ſcholam Iuridicam 653
Bergeri, Io. Henrici, ſcripta ut fuerint excepta 653
- - - eius cura pro tuendis Academiae iuribus 654
- - - eius labores Dreſdenenſes 655
- - - hic formulam rei iudiciariae in Saxonia conſtituit 656
- - - Vindobonam euocato, quanti honores fuerint tributi 657. ſqq
- - - eius liberi, quinam, et quibuſnam honoribus affecti 661. ſqq
- - - hic, uita ſobria corporis uires alens 667
Bergeri, Io. Gothofredi, character 1034
- - - eius Fidei formula, qualis 1038. ſqq
Bernhardus, Saxoniae dux, Vitembergae ſede ſua conſtituta, quantum profuerit noſtrae Saxoniae 977
Beſſarion, quantum temporis ſcholae tribuerit 608
- - - hic quibuſnam legationibus functus. 608
Betlenius, Gabriel, quidnam timuerit ſibi a Ferdinando II 221
Bibliothecae Vindobonenſis auctus, ſub Carolo VI 279. ſqq
Bibliotheca Dreſdenſis, quos contineat libros 413

Digitized by Google

Bolaria quaſnam ſponſas Saxoniae dederit 999
Boiorum ex Saxonia coniuges, quaenam 1002
Bona animi praeſtare corporis bonis 501
Bonifacius VIII Pontifex, quomodo egerit cum Regibus et Principibus 790. ſqq
Boni Viri, quos Apologia commemorat, quinam fuerint 802
Borboniae Gentis robur maieſtatis, quantum 1025
Boſſueti liber, de Poteſtate Eccleſiae Gallicanae, qualis 809. ſqq
Brema, Saxoniae opidum, quam illuſtrata fuerit Adalberti, antiſtitis, uirtute 963
- - haec, quibuſnam expeditionibus clara 963
Britanni, num a Saxonibus, ſibi infenſiſſimis, opem petierint 885
Britannicae claſſis uirtus 167
Budaeus, Guil. duplici legatione functus 614
Bulli, Georgii, encomium Auguſtanae Confeſſionis, quale 814
Buſbequius itinera ſua quomodo deſcripſerit 624
- - - quid praeterea literis profuerit 624. ſqq

C

Caeſarauguſtana uictoria, qua Carolus Auſtrius hoſtem caſtris exuit 218
Caeſareani exercitus incredibilis uirtus contra Barbaros, ad Taurunum 153. ſqq
Caeſar doctrinae dignitatem, ingenio triumphis praelato, quomodo oſtenderit 502
Caeſaris Maieſtas quanta 777 ſqq
- - eam aſſerunt et uindicant Confeſſores Auguſtani 778
Caeſares, quonam auctore ſe, ante conſecrationem Romanam, appellauerint Reges, ſemper Auguſtos 959
Caius, Caeſar, Germanorum uictor, triumphatorque, lepidus 902
Capetina ſtirps quaſnam propagines habeat 1025
Capetinam ſtirpem Saxonico ſanguine oriundam 1023 ſqq
Capetini Reges, num generati ſtirpe Saxonica 1020. ſqq
Capitolium Romanum, hodie quam diſpar a ueteri 432
Capitulatio Caeſarea, munimentum Germanicae Libertatis 797
- - - haec, num ſit Lex Regia, 797

Digitized by Google

Capitulatio Caesarea unde oriatur 797. sqq
Capitulatio Caroli V., quam suscipiat formam nouam 798. sqq
Capitulationum ueterum nouarumque qualis differentia 798
Capnio, Io. quibusnam legationibus functus 614
Capuae uestigia pristinae magnificentiae in ruderibus 428
Caput, cur, in membris humani corporis, a belluis etiam, potissimum aspiciatur 1124
Carausius, classi Romanae praefectus 868
- - - huius artes, quales 910
Carmen gratulatorium, Votumque pro simili fortuna L I. Magistrorum Philosophiae, qui Vitembergae recens erant creati 629
Carmina magnae mercedis 529. sqq
Carneades et Critolaus, Philosophi, ob multam grauem, quam Athenienses soluere non possent, Romam missi, eloquentia sua tantum possunt, ut Romani facere cogantur, quae Legati hi uelint 561
Carolus M. Saxonibus leges patrias reliquit 935
- - - hic procerum auctoritate usus 939. sqq
- - - idem, qua ratione sibi conciliauerit Saxones 941
Caroli M. consilium et ualetudo, duo quasi Medici, ualetudinem regni curantes 211
- - - eius cura, in scholis instaurandis atque condendis 581
- - - hic, an Magnus censendus sit, ipsa scholarum amplificatione 581. sqq
- - - hic, artium doctores uenerari solitus 582
- - - huius rationes susceptae cum Saxonibus belli 922. sqq
- - - eius animus acerbus in Saxones 926
- - - huius proelia cum Saxonibus, non semper secunda 926. sqq
- - - in his duae pugnae insignes 927
Caroli IV. prandium, in Auditorio Pragensi, ubi per quatuor horas Disputationes audit, cibi oblitus 586
Carolus V. quales sibi optauerit amicos 202
- - - laudes, sibi Parisiis tributas, referens ad commonefactionem parandi laudes similes 223

Caro-

Digitized by Google

Carolus V. Latinae Linguae ſtudium, in pueritia neglectum, ualde dolet 271
- - - hic, quam patienter Confeſſionem Auguſtanam audiat, qua ſit in eam uoluntate 803
- - - ex Confeſſione hac quam mitigatus Proteſtantibus 803. ſqq
- - - hic, Bononiae inaugurandus, quale Pontifici ſeruitium praeſtet 805
- - - huius clementia, ſeueritatem iuris temperans 187
- - - eius ſeueritas in purgando foro, magiſtratibus, iudiciis, praemiis, poenis, conſtituendis 187
- - - eius Conſilium Sanctius quam praeſtans 201
- - - eius ingenium, quale 237
- - - hic gladii aſpectu detinetur, ut pingi poſſit Mechliniae a Luca Cranacho 238
- - - eum auus, Maximilianus, ad literarum uirtutiſque ſtudium, Principibus neceſſarium, cohortatur 238
- - - eius iudicium magnificum de Thoma Moro, et Io. Roffenſi ibid
- - - hic Pontificatum conciliat Hadriano, ueteri Praeceptori ſuo 239
Carolus V. Medicis, Phyſicis, Mathematicis, ſtudiis delectari ſolitus 239. ſqq
- - - hic uiros eruditos arceſſit, in ipſa caſtra, ubi Aſtronomiae uacat 239. ſqq
- - - hic rerum, ab ſe geſtarum, commentarios conficit 241
- - - eius conuentio cum Franciſco, Francorum Rege, et Clemente VII Pontifice, de Lutheranis funditus delendis 743. ſqq
- - - eius mos in conſiliis capiendis, atque exequendis 192
- - - hunc in periculis ſaepius cum Deo, quam cum hominibus, loqui 174
Carolus VI Imp. ſine ſocio uictor Barbarorum, quamnam his pacem det petitam 147. 148
- - - eius bonitas, gentium periclitantium commune refugium 181. ſqq
- - - huius mira facilitas in rebus maximis agendis 191
- - - hic actu rerum ciuilium Solem naturalem imitatur 196
- - - hic lex uiua iuſtitiae ciuilis 196. ſqq
- - - idem, quam praeſtan-

Digitized by Google

tes ſibi legat Reipubl. gubernandae adminiſtros 201
Carolus VI. quibus uirtutibus auitis firmauerit potentiam ſuam 208
- - - eum caritas patriae ex Hiſpania in Germaniam reducit 219
- - - hic complures linguas callet 273
- - - horas ſubſeciuas literis impendit 274
- - - uerſans in domeſtico Muſarum contubernio 277. ſqq
- - - Muſarum fugientium ſtator 282
- - - Membranarum ueterum ſtudioſus 283
- - - quantus amator librorum praeſtantium 284
- - - eius Numophylacium Vindobonenſe 289
- - - cuilibet patens 294
- - - ipſius maxime deliciis caſtrenſibus, in expeditione Iberica, inſeruit 296
- - - hic quantum faueat doctoribus publicis Academiarum, Vitembergenſis etiam 594
- - - huius mirabilis ad Taurunum uictoria, Turcis, Caeſareanorum caſtrorum oppugnatoribus, offuſa nube occaecatis, opidanis externum tumultum non audientibus 156
Carol VI. in curſu uictoriarum, moderatio 157. ſqq
- - - uictoriae occidentem et meridiem uerſus 167
- - - huius fortuna, ex uirte ac ſapientia 169. 170
- - - mos, cum Deo res incipiendi, gerendi, et finiendi 173. 175
- - - huius clementia, eiuſque effecta 179
- - - iuſtitia et aequitas 185. ſqq
- - - ſuo potiſſimum Exemplo mores ciuium format 188. 189
- - - accipit, ac legit, ipſe libellos ſupplices 190
- - - adeſt Senatui, acta euoluit, ex eis iudicat 191
- - - nihil, niſi lectum, ſubnotat ibid
- - - eius lucubrationes medici diſſuadent, ut noxias ualetudini 191
- - - eius otium, quam ſapiens 195
- - - iuſtitia in bello 197
- - - huius ratio belligerandi probatiſſima 198

Digitized by Google

Caroli VI prudentia, domi bellique eximia 199
- - - huius fama eum ex Hiſpania reuocat, mortuo fratre 200
- - - Senatores, armis literiſque clari 204. ſqq
- - - ductores exercituum, non modo belli, ſed eruditionis etiam, gloria clari 206. ſqq.
- - - uitae teſſera, quid nomine Conſtantiae, et Fortitudinis, praedicet 210. 211
- - - hic qua animi conſtantia ex Britannia in Luſitaniam Hiſpaniamque traiiciat 212. 213. 214
- - - quo animo hoſtibus occurrat in Caſtilia 219
- - - eius character animi aequabilis 220
- - - Gratia ſingularis in literas 226
- - - huius bonitas ſingularis in literis ornandis 262
- - - beneficentia in doctorum inſtituta 263. ſqq
- - - amor erga eruditos 265
- - - eloquentia Latina 270. ſqq. 273
- - - huius effigies in Numiſmate quid magni doceat 297
Carolus VI recentiorem ſcientiae metallicae artem ad ſtudium uirtutis, ueteri exemplo, dirigens 298
- - - hic, ut literatus, optime imperans 299
- - - uirtutum admiratione, quam ciuibus exteriſque uenerabilis 299
- - - quanta pietate Academiae Vitembergenſi cultus 300
- - - pro eo uotum 306 ſqq. 311
Carolus IX. Galliae Rex, quid didicerit ex Auguſtana Confeſſione 824
Caſini montis amoenitas, quanta 426
- - - hic mons origo omnis Religioſae ſodalitatis in Occidente. 427
Catonis Vticenſis inſana ſui interfectio, horrore Caeſaris 115
Centum Cellae Miſeno monti affictae 424
Chariſmatum dignitas, et uarietas in Eccleſia 131
- - - horum auctor Spiritus Sanctus ibid
Cherſoneſi Cimbricae populi ueteres, quinam 849
Childericus, Francorum Rex, num fuerit a Zacharia, Pontif. regno expulſus 786

Digitized by Google

Choerili, uersus singuli, de fuga Xerxis, ab Archelao, Macedonum Rege, auro donati 530
Christiana institutа, uocibus ac formulis loquendi Christianis, recte explicantur 121
Christiana mens, a Deo praelata ipsi Coelo 1089. sqq
Christianae Eberhardinae, Poloniarum Reginae, decus eximium 329
Christiani soli capaces solatii, quod ex inchoata obedientia capitur, ope Spiritus S. 78
- - - quale solatium in uita ciuili capiant ex Legis Naturalis obseruantia 85
Christus, quanto labore doceat homines 7
- - - sed ideo ab hominibus ingratis pessime accipitur 8
Christus aequissimo animo, cum summo in Deum amore, patiens 26
- - - quae pro nobis praestiterit 36. sqq
Christus, per Cruciatus suos rogatus, quantum sedet animi motus 41
. . . Sacerdos, Propheta, Rex, quid nobis adhuc praestet 49
Christus, placabilitatis exemplum 828
. . . Hierosolymis quam impie fiat Rex ludicrus 1119
. . . Iudae respondens, cur se Filium Hominis uocet 1132
. . . cur Iudam amicum suum appellet ibid
. . . in Cruce, et alibi, quale praestet munus Sacerdotis 1138. sqq
. . . huius, Passi, Officium Regium, quibus euentorum documentis illustretur 1140. sqq
. . . huius uox, clamans, se relictum esse a Deo, quid sibi uelit 15
. . . eius conscientia, angore nostri delicti laborans 26
. . . huius miseratio, hominum calamitati subueniens, 36. sqq
. . . huius supplicium, crebra sui recordatione, quantum coerceat regatque animum 41
Christi, Dei ad homines Oratoris, uox ad homines, in Paradiso lapsos, quam terribilis 69
Christi typus in uictimis, quid differat ab Hostiis gentium caesis 87

Digitized by Google

Christi regnum, quale 814. sqq
. . . huius, in cruce suspensi, ignominia, et perpessio, quanta 228. sqq
. . . hic, sedens in cathedra crucis, quid nos doceat 829
. . . hic, quam indigne habitus a tortoribus suis 830
. . . huius specimen placabilitatis insigne 831
. . . eius placabilitas, quam singularis exempli 833
. . . responsum, Latroni datum in Cruce, quid doceat 1137
Christus, cur sibi non timeat a cruciatibus corporis 21
Christo, uadi generis humani, quid expectandum 23
. . . hunc, ob peccatum nostrum, Deus Pater ultoris uultu aspicit 25
Chrysoloras, Emanuel, legatus ab Io. Palaeologo, Imp. Byzantino, missus, de auxilio, Christianis aduersus Turcos ferendo 607
. . . ab eo praecipue Italia Graecis literis imbuitur, eaeque deinceps latius propagantur 607 sqq
Cicero, Constantiae magister, animo cadens 115
. . . hic, de Philosophia disputans, adhibet uerba, ne Philosophis quidem aliarum disciplinarum intellecta 121
Cicero, Pater Patriae dictus, fracto Catilina 537
. . . hic Solonem Themistocli, utilitatis publicae iudicio, praefert 558
. . . hic, Platone in agendo praecipiendo usus, docet exemplo suo, quid Politicis proficiendum sit ex Lectione ueterum Sapientum 570
. . . idem quantum, libris scribendis, commodauerit Reipublicae 573
. . . eius otium, quantum, utilitate sua, superet omnes Iul. Caesaris res gestas 573
Ciceronis consolatio quando scripta 118
. . . eius libri de Officiis, quanti faciendi 244 sqq
Ciceronis Academiae nobilitas antiqua 424
. . . eius testimonium, eruditis datum 460. sqq
. . . huius tranquillitas in literis, quanta 468. sqq
. . . hic doctorum scriptis quanta tribuat in Remp. merita 482. sqq
. . . huius optatum, perspiciendae Naturae integrae, habuit Adamus in statu integritatis 166

Digitized by Google

Ciuis uerus, quis 938
Ciuilis felicitas, quoñam ordine parendi atque imperandi conſtituatur 753. ſqq
Ciuilis libertas, ubi primum aſſerta 819
Ciuilis uitae auctores praeſtantes, Plato, et Ariſtoteles 499
Ciuium bonorum officia, quaia ſint . 759. ſqq
Clauium Poteſtas, quid 1086
- - - haec, qua nitatur auctoritate 130
Clauorum ueſtigia, in Chriſti corpore, ſolatii plena fore 45
Coeleſtinus quam indigne egerit cum Henrico VI. Imperatore 960
Coenae Dominicae uis ad confirmandam fidem Chriſtianam 126
- - - duabus conſtituitur rebus 126
Cogitata Diuina, qualia de reſtituenda re humana 1082. ſqq
- - - haec, num Rationi humanae pateant 1083
Cogitationes diuinae quantum diſtent ab humanis 1060
Cogitationum ipſarum integritatem qualem ad officium boni uiri requirant Cicero, et Philoſophi ſummi 80
Cominaeus, Philippus, *ipſe* ineruditus, uſu Aulico diſcit, Eruditionem retrahere ab indecoris conſiliis 505
Concordia Ciuibus Imperii quam ſalutaris 995
- - - haec, a Numidiae Rege filiis commendata 996
- - - hac conſeruari Rempublicam Belgicam ibid
- - - hanc in primis defuiſſe priſcis Germanis ibid
Connubii foedus, inter Francogallos Saxoneſque iunctum, commune Saxoniae gaudium 1018
Connubiorum, quae inter Familias Pr. Electorum coniunguntur, Vtilitas, quam ſalutaris toti Imperio Romano Germanico 987. ſqq
Conradi Celtis opera, Maximilianus I. Bibliothecam Vindobonenſem, e priuata in publicam, conuertit 234
Conſcientia, quid 923
Conſcientia rectae mentis, quid 1050
Conſolatio duplex, Diuina et Humana, quid 56
- - - diuinae duplex fons 56. ſqq
- - - Philoſophiae, arte ſua Mor-

Digitized by Google

Mortis contemnendae, fallens 46
Consolatio uera in Christi morientis aspectu 47
Consolationis humanae, uel Philosophicae, quaenam ratio 57. sqq
Consolatio Philosophica, quae solam Rationem sequitur, quantas exceptiones habeat 95. sqq
- - uires accipit ab Religione uera 117
- - - eius scriptores 99
- - - iidem quid prosint, ib. sqq
Consolationis Philosophicae usus per se mancus 117
Consolationis Philosophicae, doctrinae Christianae uiribus auctae, usus magnus 118
Consolationum Euangelicarum uis insignis, sed haec omnis a Spiritu S. 119
Constantii statua, Romae posita, cui uindicanda 912
Constantini, Porphyrogennetae, Pandectes Historicus, in Corpore Historico 276
Corpus Christi, uere mortuum, quid habeat eximii 1109
Corpus humanum, quemadmodum animo seruiat 29
- - - huius artificiosa constructio Artificis Diuini index 30
Corpus humanum, utrum penitus deleri possit 38
Cosmus primus, Florentiae Dux, quam memor pietatis paternae, filio pugione confosso 1077. sqq
- - - idem, num cauere non potuerit filiorum, fratrum, simultatibus 1078. sqq
- - - idem quale filii, Garsiae, ab se perfossi, desiderium simulauerit 1079
P. Crassus quinque habet rerum bonarum praecipua 522
Crassus, decoctor, ex diuite honorato egens factus, uulgo Diuitis nomine exagitatur 538. 539
Crates Thebanus, paupertatem ambitiose affectans 504
- - - temeritas, pecunia in mare abiecta, ut liberius philosophetur 518
Crucis sub imagine Mysterium salutis latet 32
Cumarum prisca magnitudo, in ruinis apparens 425
Cupiditatibus quantum homines commoueantur 464
Curiae Romanae sententiam a Principibus amplius haud timeri 808
Cuspinianus, Io. Maximiliano Imp. tam familiaris, ut hic cum

Digitized by Google

cum eo, in multam ſaepe noctem, de Rep. differat 235
Cyrus maior, qua felicitate ſenſuum integrorum mortuus 709

D

Dani, in Religione, quantum debeant Ottoni M 965. ſqq
- - - hi, ſuas leges a fontibus Saxonicis, magnam partem, manaſſe, ipſi teſtantur 971
- - - horum Rex, Magnus, Lothario, Imperatori, gladium cum Corona praefert, ad decorem Imperialis Reuerentiae 959
Decalogus, magnum ſapientiae diuinae documentum 74
- - - eius promulgatio ſolemnis ac terribilis 75. ſqq
- - - hominibus lapſis nihil affert ſolatii 76
Deliciae generis humani, Titus Veſpaſianus, et Philippus primus, Rex Hiſpaniae 183
Demetrius, quid egerit cum libellis ſupplicibus, quos, a ciuibus exhibitos, hilariter acceperat 192. ſqq
Demetrius Phalereus, doctrina, et ſcientia, tractandae Reip. illuſtratus 559. ſqq
Democritus *mauult* unam cauſſam rerum *naturalium* inueſtigare, quam *regnare* in Perſia 454
- - - hic artis bellicae quantus laudator 499
- - - qua ratione oſtenderit, opum acquiſitionem ſibi facilem eſſe 525. ſqq
- - - huius affectata, in diuitiarum neglectu, animi magnitudo 518
Demoſthenis ſilentium, quanti Philippo, Regi Macedoni, uenditum 531
Deſperatio, utrum locum inueniat in clamore Chriſti Patientis 16
Deſpicientia rerum humanarum prudens, quid boni efficiat 467
Deus, in Vocatione hominum, gerit partes patriſſamilias 441. ſqq
- - - hic, quantum momenti ponat in fide 1046
- - - cur ſe Dominum Impii dicat 1057. ſqq
- - - idem Impii cur Deum ſe nominet 1058. ſqq
- - - cur, et qui, Θεάνθρωπος factus 1063
- - - hic, quomodo ſimplex 1082
- - - huius miſericordia, quem

Digitized by Google

quemadmodum, in cauſſa hominum lapſorum, diuinae iuſtitiae ſe interponat 6
Dei mirabile conſilium, in ſeruandis per Chriſtum hominibus 11
- - huius ira, in homines perfidos, quomodo erat lenienda 23
- - eius gratia, quam laeta atque optabilis 24
- - huius ira, triſtiſſimum quid 25
- - huius irati uultus, in Chriſto quam terribilis 26
- - huius praeſentia quanto piis ſolatio eſſe debeat 118
- - eius bonitas quam admirabilis 1062. ſqq
- - - huic, ſecundum iuſtitiam ſuam, quomodo agendum cum hominibus 1061
- - - hic, ex miſericordia, quomodo agat cum iiſdem 1061. ſqq
Diabolus, qualis obtrectator Nominis Chriſtiani 1090. ſqq
Διαδικάζεσθαι ueterum, quid ſit in re, poſt mortem ad iudicem uitae anteactae deducta 881
Dialogiſmi Religioni quam periculoſi 1093
- - - hi Haereſium fecundi 1093
Dianoetica uirtus, quid ſit, et quid deſideret 451
Dianoetica haec, quem poſtulet animi ſtatum 452
- - - huius cultus, quantum deſideret 453
Dies Chriſti emortualis, quam terribilis 1129
- - - idem quam gratiae et ſalutis plenus 1129 ſqq
Dio Chryſoſtomus, quanto Traiani honore cumulatus 547
Diogenis ſapientia, quantum admirationis Alexandro M mouerit 542. ſqq
Dionyſius Petauius, Franciae regnum ad nouam originis Saxonicae familiam, per Hugonem Capetum, deducens 1022. ſqq
Diploma Caroli M. quo Saxonia dicitur in prouinciam redacta, num ſit exploratae fidei 933. ſqq
Diſciplina, quam ſit neceſſaria ciuitati cuilibet 734
Diſciplinae Academicae utilitas, qualis 735
Diſciplinae honeſtae ſtudium, quibus gaudeat bonis propriis 501
Diſcordia, praeſertim Pr. Electorum, Germaniae quam exitioſa 997
Diſcordiae, in Polonia, publicae quales cauſſae 383
Diſputandi ſtudium, prudenter tractatum, quantum profit

Digitized by Google

cultui ingeniorum, in foro, iudiciis, et alio luriſprudentiae uſu 646
Diuinatio, in poſterum proſpiciendi, quantam habeat prudentiae laudem 838
- - - hac, quinam plurimum ualuerunt 839
Diuinitatis ſenſus, qualis erga homines 1058. ſqq
Diuites quali fuerint curae Imperatoribus, expilationes ſpectantibus 549
Diuitiae, cum ingenii ſtudio comparatae, quam leues 506
- - - hae, cur appetantur, et quanta cum uanitate 508
- - - num honorem uerum, atque eximium, ex ſe habeant 537
Docti, res, ab aliis inuentas, conquirentes, ac poſteris prodentes, quantum proſint 462. ſqq
- - hi, quo loco habeant, quo ponant in uſu, opes partas 517
- - hi abhorrent a ſordibus auarorum 518
- - hi, quomodo recte utantur diuitiis 519
- - in his, num diuites etiam reperiantur 520
- - his, num deſit ſcientia pecuniae quaerendae 525
- - hi, eruditionem cum uirtute coniungentes, meliores, quam ditiores, eſſe malunt 539
Docti, quantae olim auctoritatis, apud Reges, Principes, populos 540. ſqq
Docti uiri, Caeſaribus amiciſſimi, quinam. 546
- - num habeant facultatem Reipubl. domi foriſque adiuuandae 555. ſqq. 563
- - hi contra obtrectatores ſe defendere poſſunt illuſtribus iudicii publici teſtimoniis 605. ſqq
Doctores Publicos, quomodo Salariis, ex Fiſco, aliaque munificentia, aluerint Imperatores 590. ſqq.
Doctores Emeritos ut iidem ditauerint, honeſtauerint ibid
Doctorum hominum monimentis conſeruatam eſſe memoriam fortiſſimorum praeſtantiumque uirorum 475
Doctorum fortunas Principum munificentia amplificari 527
- - - iiſdem adminiſtrationem ſplendidiſſimarum legationum commiſſam fuiſſe 606. ſqq
Doctrina, quantum boni praeſtet animo humano, ex ſententia Plutarchi 516. ſqq
- - - haec, quid profuerit ducibus bellicis 586. ſqq
- - - huius ſtudium praeſtare

Digitized by Google

ſtare voluptati, diuitiis, honoribus 446
Doctrinae contemptio, unde 446. ſqq
- - - huius, cum diuitiis collatae, praeſtantia qualis 506. ſqq
Domeſtica fortuna quantam uim habeat in publicam 395
Domitianus ſe Germanicum dicit, hoſte Germano nunquam uiſo 902. ſqq
Domitius Tullus, diues, ſed adeo miſer, ut ei grauitas morbi nihil ex opibus relinquat, praeter earum aſpectum 706. ſqq
Domuum Nouemuiralium, Saxonicae et Boicae, felicitas antiqua ex mutuis connubiis 998
Dona Spiritus S. inhabitantia per uerbum diuinum fieri poſſe ſanctificantia 110
Dreſenae, quid aduenae contemplandum 413. ſqq
- - - haec quid oſtendat Mathematicis et Architectis 417
- - - eius aedificia magnifica 341. ſqq
- - - Muſeum antiquitatis eruditae 344. 414
- - - Scientiae naturalis 345. 416
- - - Bibliotheca Regia 413
Dreſenae Archiuum inſigne ibid
- - - Numophylacium, Gemmae 414
- - - Hortus ſuburbanus, uere Regalis 414
Dreſenenſis Aulae ſplendor 384
- - - pontis pulchritudo 341
Ducum Potentia, in Francia, Carolo M. inuiſa 948

E

Ecberti, Magni, Angliae Regis, fortuna uaria 891
Eccleſia, an recte, ueterum exemplo, ſcribatur Latine 120
- - - quid Athenienſibus antiquis 122
- - - Chriſtiana, quid, et qualis 122
- - - quibus rebus conſtituatur 123
Eccleſiaſtica poteſtas quid differat a poteſtate Gladii 780
Eccleſiaſticae Poteſtatis, atque Ciuilis, fines confuſi, quantum peperint mali 812 ſqq
- - - utriuſque huius poteſtatis diſcrimen reſtituturn in Auguſtana Confeſſione 813. ſqq
Eliſabeta, Boica, fit Parens Erneſtinae Sobolis 1001

Digitized by Google

Eliſabetae Boicae, magnitudo in liberis, qualis 1001
Empedocles, quantum afuerit a cupiditate regnandi 600
Ennius, quanti exiſtimatus ſapientioribus 535
Epaminondas, quantum potuerit eloquentia ſua, in conuentu Legatorum 560. ſqq.
- - - quaenam praecepta prius didicerit, quam uinceret hoſtes 561
- - - quanti fecerit Lyſin, praeceptorem ſuum 566
- - - quantus fuerit patriae ſuae 566
- - - huius ueſtitus, qualis, opes, ei quam deſpectae 514
- - - huic, quantum profuerint literae 486
- - - hunc leuioribus animis reliquiſſe diuitias. 509
Epicuri ſtudium, doctrinam de inferis ex animis euellendi 683
Epiſcopi, ſi quam habeant gladii poteſtatem, quo iure habeant eam 780
Eruditi, quid agant Pythagorae in uita humana 445
- - - horum de ſtudiis in utramque partem 445
- - - horum contemptus apud uanos, unde 447
- - - quantum proſint Reipublicae, ore ſcriptiſque, docendo 460
Eruditi, quomodo conſulant animi tranquillitati 463 ſqq
- - - hi, quomodo uitent cupiditates 464
- - - hi, quomodo regant bonorum malorumque fines 465 ſqq
- - - hi, quid ſint, ſi recedant a doctrina bonae mentis 466
- - - hos eſſe immortales 471
- - - horum contemptores, quamuis ſplendidos, poſt mortem eſſe nullos 472 ſqq.
- - - horum memoria, uarie expreſſa, a quibuſnam renouata ſit 474
- - - horum ope conſeruatam eſſe memoriam fortiſſimorum uirorum 475
- - - horum facultas, homines, commemoratione ſua, illuſtrandi 478
- - - hi, duces facti, quantum profuerint ciuitatibus 563
- - - quantum proſint, libris ſcribendis 570
- - - hi, cur fouendi ab heroibus 481
- - - hi, cur diuitiis non abundent 504

Erudi-

Digitized by Google

Eruditi, liberaliter habiti, quinam 530
- - - horum uita cur beatior 452
- - - horum in uero ſtudium 454
Eruditis, quibuſnam maxime, obtrectari ſoleat 557
- - - his, num dedecori ſit inopia 503
- - - his, quo loco ponendae ſint opes 504. ſqq
- - - hos, a Principibus adhibitos ſpectatores rerum geſtarum 480
- - - hos, otio ſuo, ſeruire Reipublicae illi, uere magnae 574
Eruditio, quid 449
- - - haec, quam utilis Eccleſiae 457
- - - quantum roboris habeat ad experimenta uirtutis bellicae 488
- - - haec, quantam uim habeat, in emendandis animis et conſiliis 505
- - - quem locum obtineat inter bona mortalium 764 ſqq
Eſpenii liber, de Recurſu ad Principem, qualis 810. ſqq
Ethica uirtus quid, et quid reſpiciens 451
Euangelica perfectio num collocanda in fuga munerum ciuilium 774. ſqq
Euangelicae conſolationis quaenam capita praecipua 91. ſqq
Euangelicarum conſolationum uis a Spiritu Sancto 119
Euangelium, proximus ſolatii diuini fons 86
- - - deliciae generis humani 86
- - - quanto Chriſti beneficio datum 86. ſqq
- - - Legis acerbitatem temperans 90
- - - quale munus diuinum 91
- - - huic nemo recte credit, niſi mortem Chriſti agnoſcens, eamque ſibi accommodans 1113
Euchariſtia, ipſa manu Chriſti, in coena nouiſſima, conſecratur 1112
- - - item effuſione ſanguinis ex latere Chriſti aperto 1112
Eugenii uirtus bellica, quanta 148
Euripides, quantae auctoritatis 542
- - - huius ſepulchrum, quanto honore affectum 474
Europae luctus, ex Auguſti II. Regis, obitu, qualis 315
Euthanaſia emendata, quid 676. ſqq
- - - huius, olim optatae, cauſſae duae 679

Digitized by Google

Euthanasiam Graecorum quomodo Religio uera emendet 686

F

C. Fabricius, auri argentique, prae animi continentia, contemptor 509
Felicitas summa uitae, cum suam quisque fidem, in Vocatione sua, Deo probat 441
Ferdinandi Epistola ad Lutherum, an germana 804
- - - hic Imperii iura uindicat, contra Pontificem 804
Ferdinandi I. Imp. dictum, quo casibus improuisis pias preces, ac sapiens consilium, opponit. 172. 173
Ferdinandum I. Imp. Rodolphi Imp. exemplo, seueritatis aliquando poenituit, lenitatis, et facilitatis, in admittendis tenuioribus, nunquam 180
- - - hic iustitiam praefert mundi ruinae 186
- - - huius Aula Academiae similis, studium in Mathematicis, deliciae in Astronomia 241. 242
- - - hic cur Mortuos dicat Consiliarios suos optimos 242
- - - Insignibus suis appingit Librum ibid
Ferdinandus I. Literas praefert cunctis Thesauris ibid
- - - Poetarum ueterum, Historicorum, Philosophorum, studio deditus 244
- - - Ciceronis pectus ex Ambrosio discens 246
- - - eius singulare decretum, de Studiosis literarum, nullo herili iussu reuocandis a bonis artibus 246
- - - eius indoles, ab Erasmo in exemplum laudata 247
Ferdinandus II. Imp. sui conseruationem tribuit mori suo omnia diuinae prouidentiae committendi 174
- - - hic libellos supplices noctu legit, quos interdiu non potuit 193
- - - huius eruditio, amor in literas, ac literatos, quos magnis negotiis adhibet, quorum disputationibus publicis interest 252
- - - hic Filium ad doctrinae amorem cohortatur, eius studia inspicit, eum, publice disputantem, audit 253
- - - Gymnasiorum Academiarumque uel conditor, uel conseruator ibid
Ferdinandus III. Imp. singulare studium iustitiae, in iudiciis seruandae, profitetur 186

Ferdi-

Digitized by Google

Ferdinandus III. doctrinae liberalis Vindex, auctor, amplificator 254
- - - eius Princeps in Compendio, Principum ſtudio quam commendandus 254 255
- - - eius ſcientia inſignis in uario genere ſtudiorum grauiſſimorum 254. 255
- - - eius beneficentia in Vindobonam, Graecium, Tirnauiam, Pragam 256
Ferdinandus, Catholicus, Academias mirifice honorans 586. ſqq
Fides, in quo ſita 1046. ſqq
- - haec, quam ſtabile ſubſidium incolumitatis humanae 1048. ſqq
- - haec, quid intueatur 1052. ſqq
- - quantis a Deo uiribus inſtruatur 1084. ſqq
- - huic qualia bona expetere liceat 1084
- - huic quid a Deo monſtretur 1085
- - quanam ratione confirmanda 1086. ſqq
- - haec ſe totam tradit Spiritui Sancto 1092. ſqq
- - haec, quantum obſequii praeſtet Diuinae Veritati 1097
- - haec, tempore mortis, quid praeſtet 1099
Fidei noſtrae neceſſitas, ad fructum ex promiſſionibus diuinis capiendum 132
- - ui diuina excitatae, beneficium totum debetur Spiritui Sancto 133
- - huius dignitas, quanta 1047
- - in hac fide quid admirabile 1048
- - ſalutaris bona, quanta 1049. ſqq
- - hanc fidem plura complecti, quam ſpem 1051
- - haec quid efficiat ibid
- - abeſt a licentia Liberi Arbitrii ibid
- - diſparis exempla, e ſacro Codice 1053. ſqq
- - fluctuantis exempla 1054
- - ſalutaris pia quaedam accommodatio 1055. ſqq
- - robur in piis, num ſemper idem 1086
- - audacia pia 1097. ſqq
- - norma uerbum Dei 1112
Fides Abrahami, ſacris literis quantum celebrata 1045
Fidei Heroicae exemplum, in Maria maximum 1054. ſqq
Fiducia in Deum, hominibus a Chriſto placatum, quantum habeat ſolatii, ubique praeſentis 118
Filii tenebrarum, in ſupplicio Chri-

Digitized by Google

Christi, cur Solis luce indigni 14
Filius Dei, quam mirabilia suscipiat hominum seruandorum causſa 6. sqq
Florentinarum Lautitiarum Thesaurus Mediceus 434
Foedus, inter Gallos et Turcos, uetus 843
Fortes magnique uiri cur saepe animum ad scribendum adiungant 488
- - hi, quale laborum, fortunae, aetatis, solatium habuerint in literis 495. sqq
Fortissimorum uirorum memoriam conseruatam esse ope eruditorum 475
Fortuna, quemadmodum turbet hominum quietem 473
- - - haec, rebus suis, felicitatem duntaxat infucatam efficit 465
Fortunae lusus in Crasso, decoctore, qualis 538
Francia, quosnam eruditos legationibus adhibuerit 612. sqq
Francia Gallorum, Saxoniae superiori connubio iuncta, singularis exempli 1016
Franciae Reges, primae et secundae familiae, qua potestate usi 939
Franciae Gallicae quanta felicitas 1028
Franci, num animum remittant, Iuliano Caesare 870
Franci et Saxones, Romanis auxilium ferentes, suis utuntur ducibus 908
Franci, Historici, quantum obtrectent gloriae Saxonum 920
Francica Comitia quot genera rum 937. sqq
Francici scriptores ueniam, a Carolo M. promissam Vitekindo, cur taceant 929
Francorum ferocitas in Italia, quanta 895. sqq
Francorum Reges cur se Augustos appellauerint 904
- - - Saxonumque societatem extremam Romanis perniciem minari 907
- - - Reges plures, auxilio Saxonum, profligasse hostes 917
- - - caedes maxima, a Saxonibus facta 919. sqq
- - - horum mos in capiundis consiliis 939
Frater, num, salua modestia, possit fratris laudationem suscipere 633
Fraterna bella, quam frequentia 1066. sqq
Fratrum fides, saepius quam soluta 1066
- - - parricidia, tanquam postula-

Digitized by Google

postulatum Regium, ad securitatem sumpta 067
Fridericus III. conditor coenobii Maurbacensis 231
Frideri IIII. Caes. dicta contra crudelitatem Principum, et pro clementia erga ciues 181
Fridericus IIII. amat Consiliarios, Deum plus, quam se, reuerentes, & Imperii pacem ac felicitatem spectantes 202
- - - huius Symbolum, Liber regit, Gladius defendit 231
- - - huius cognitio herbarum insignis 232
- - - huius merita in Tribunal Imperii, los clientelare, honorem uirtutis, atque ingeniorum, doctrinae, subsidia, atque incrementa 232 233
Friderici Augusti, Saxonis, gloria bellica in Hungaria 980
Fridericus Sapiens, quanta cura ac benignitate condat Academiam Vitembergensem 595
Friderici Christiani, Polon. Pr. Regii, felix ex Italia reditus, Panegyrico celebratus 403
- - - eius reuersionem quantum desiderauerit Saxonia, quantum ea recreetur 404. 405
Friderici Christiani iter, comparatum cum erudita peregrinatione Germanici 405. sqq
- - - specimen dat magni Principis, hoc exemplo instruendi 405
- - - - in huius persona alter Germanicus peregrinans proponitur, secundum tria potissimum tempora 407
- - - eius gloria, quanta in maioribus 408
- - - huius sapientia, Mansuetudo et Clementia 408
- - - eius Eloquentia, complurium Linguarum. 409. 410
- - - eius in Museo Musarum omnium, conspectus, studium, meditatio multiplex 410. 411
- - - eius studium in Prudentia Ciuili, Historia, Scientia uariorum generum, multis modis Dresenae exploranda 412. sqq
- - - iter Italicum, quam praeparatum, 419. sqq
- - - hic, quid spectauerit in regno Neapolitano 421. sqq
- - - quid Capuae uideat 428
- - - quanto Romanorum honore excipiatur 428. 429
- - - Antiquam, nouamque, Romae

Digitized by Google

Romae praestantiam admiratur 429. 430
- - - Romae Admiranda cupide uisit 431. 432. 433
- - - hic Florentiae quid uideat, Florentinis ipse uisus mirabilis 434
- - - quid in aliis Italiae locis uideat. 435
- - - Italis quantae sit ipse admirationi 435
- - - quantum honoris Vindobonae ceperit, ab Imp. Carolo VI. peramanter acceptus 435
- - - quanta cum ciuium laetitia in Saxoniam reuertatur 436
- - - pro eo, ac Domo Regia, Votum 437
Fridericus Christianus, Regius Princeps Saxoniae, dulce decus Musarum 1006
- - - eius amor admirabilis in omne genus studiorum praestantium ibid
- - - eius iter Italicum, quam insigne 1007
- - - eius gratia in eruditos, quanta 1008
Funera suorum laude prosequendi mos uetus 633

G

Gaii querimonia de Parentibus, qualis 1074. sqq
Galliae ora maritima classe Romana quondam instructa 911
Gallis Hispanisque, sanguinis uinculo coniunctis, num possit esse perpetua concordia 840. sqq
Garelli merita egregia in literas 266
- - in Carolum VI 267
Gentes, quaenam finxerint contra Legem Naturae 71
- - cur Deum non inueniant, neque Christum 109
Gentium profanarum constantia affectata 84
- - - harum sapienter dicta ostendunt auctorem Spiritum S. 110
- - - earundem dicta, de ultione uitanda 831. sqq
Gentium cultus quam necessarius 973
- - - idem in quo consistat ibid
Georgius Leontinus, quantae auctoritatis apud Graecos 601
Germani, ab ipsis Imperatoribus acciti in Gallias 914
Germanicus, quisnam fuerit 405
- - - eius indoles 407. sqq
- - - huius iter, quale 419. sqq
- - - hic ubi mortuus, et quomodo 436

Digitized by Google

Germanico ſaluo, quantum gauiſi Romani 436
- - - eius mors, Romanis quam luctuoſa 437
Geyſa, I et II. quid tribuerint Saxonibus 881
Gigantum tumuli, a Poetis ubi poſiti 422
Gladiatorii ſpectaculi horror quondam apud Chriſtianos 71
Graecia, quibus doctoribus gloriata 589
Gratia praeueniens Theologorum, quaenam 109
Gregorius Nazianzenus, literas ab obtrectatione uindicans 764. ſqq
- - - in ſolitudine ſacris intentus 768
Gregorius VII. num facto ſuo, in Henricum quartum, Imp. aliquid praeſidii ullibi reperiat 786. ſqq
- - - eius conſilia, Maieſtati quam infeſta 783
- - - hic, quam inique pronuntiauerit de Poteſtate Regia 783
- - - hic, uaſtum totius Orbis imperium affectans 784
- - - idem, quam inique cum Germanis egerit 785
Gregorii Epiſtola, falſi ſuſpecta
Grotius, Hugo, Sueciae in Gallia Legatus, quam ſtudens, doctiſque cultus 623
Grotii, Hugonis, ſermones Socratici, quales 624
Guarinus, Io. Baptiſta, multarum legationum 612
Guilielmus, Britanniae Rex, quomodo ſe opponat Pontifici Romano 785

H

Habſpurgicae gentis inſignia antiqua, quibuſnam uerbis ſignata 211
Hadriani, e doctis, familiares 548
Hamburgum, unde nominetur 963
- - - haec urbs a quonam condita ibid
Hamburgum, Fecundiſſima Mater cur uocetur, in Tabulis antiquis 964
- - - eius merita in Religionem ibid
Hamelenſis fabula de Pube Saxonica, per ſubterraneas fauces in Tranſiluaniam ueniente 880
Hannibal ſtudens, et libros Graece ſcribens 488. ſqq
Heduigis, Saxonica, Gentis Capetinae parens, quam glorioſa 1024. ſqq
Hengiſtus, et Horſa, Saxonum duces,

Digitized by Google

duces, quanti fuerint 886. 887
- - - horum ſtirps, qualis 887
Henricum II. primum Maieſtatis ſigillum excogitaſſe, et Tabulis impreſſiſſe 958
- - - hic, quorum victor fuerit 958
- - - hic, quantam pietatis habeat famam 958
Henricus IV. Imp. quam indigne ſit habitus a Gregorio VII 785
- - - a filio, Henrico V. indigne tractatus 1071. ſqq
Henricus VI. Imp. quanto ludibrio fuerit Coeleſtino, Pontifici 789
- - - quam indigne habitus a Coeleſtino, Pontifice Romano 960
- - - difficillima natura 961
- - - idem, quanto fuerit terrori cunctis finitimis nationibus. 961
- - huius conata irrita a Saxonibus facta 961
Henrico, Aucupi, Saxonum Duci, hoſtis, Conradi, Regis Germaniae, iudicio Regnum defertur 946
- - - huius libera regnandi poteſtas, unde repetenda 947. ſqq
Henrici, Saxonis, facta domi foriſque praeclara, quaenam 952
Henrici primi, Saxonis, cura, in religione propaganda 964. ſqq
Henricus II. Britannus, Virgis a Monachis caedi voluit, ut ſanctus fieret 806
Henricus VIII. Rex Angliae, Auguſtanae Confeſſionis ſtudium, ad Religionem domi emendandam, profitetur 823
Henricus Superbus, Boiariae Dux, quantas poſſeſſiones, per matrem Saxonicam, accipiat 999
Heraeus, Carolus Guſtavus, laudatus, ob rei Numariae et Epigraphicae ſtudium, ad exemplar antiquitatis expreſſum 294
- - - apparans Genealogiam Illuſtrium Familiarum, Hiſtoriam Auſtriacam, Vitam Caroli VI. Numiſmatibus, elegantiae priſcae aemulis, illuſtrandam 294
Hercules, labores ſuos interdum iocis temperat, luſitans cum puerulis 194
- - - eius templum Puteolanum 424
Herimannus, Metenſis Epiſcopus, quomodo Gregorii VII factum

Digitized by Google

factum contra Henricum IV tueri uoluerit, nec tamen potuerit 786
Hermolaus Barbarus, quantae ſcientiae, et diligentiae, in Graecis Latine interpretandis 609
- - - matrimonium literis infeſtum putat ibid
- - - docet Venetiis domi, frequenti auditorio 610
- - - Legationes obit plures ibid
Herodes, nefaria adulatione Templa Auguſto uiuo extruendi, gratiam eius captat 696
Heroum ueterum Hiſtoria, qualis deſideretur. 475. ſqq
Hiarni Poemation, auctori dans Daniae Regnum 531
Hiſpania, Caroli VI uirtutem celebrans memoria Barcinonis, obſidione liberatae 217. ſqq
Hiſtoriae ſtudium Principi quam utile 412. ſqq
Hiſtoriae Nouae ſtudium magnis auctorum exemplis commendatum 838
Homeri Apotheoſis, Marmore expreſſa, quo pertineat 473
Homeri mortui auctoritas apud Principes, quanta 554
Homericae ſortes, quid ibid
Homines, reiectos a Deo, per Chriſtum Deo placari, quantum ſit 52
Homines, Deo per Chriſtum reconciliati, eum non amplius, ut iudicem inexorabilem, metuunt 43
- - - hi amore a Deo num ipſi Filio praelati. 1082
Hominis dignitas ex imagine diuina, qualis 3
- - - huius uera dignitas, in Vocatione Dei 443
- - - hic, in diuinam munificentiam ingratus, quot miſeriis coopertus 9. ſqq
- - - hic cur Baptiſmate abluendus 1085
Hominibus quantopere ſit curandum, ne Spiritui S. reſiſtant 135
- - - horum amor, qualis plerumque 1063
- - - horum iudicia, in benigne faciendo, uel puniendo, qualia 1060
- - - horum optata quam uarient 443
Honeſtas uitae quid 440
Honeſti forma Platonica, unde 60
Honos uerus, ex honeſto 535
Horatius, in Palatium Auguſti, ad eiuſque conuictum, euocatus 551. ſqq
Hoſtes amare, difficillimum, ipſo-

Digitized by Google

ipsorum Christianorum iudicio 1080
Hosti reconciliato, num credendum 1081
Humanae calamitatis initium ab ipso homine, quam triste 67
- - - magnitudo ex magnitudine Peccati 68
- - - remedium, cum, in loco delicti, primi Parentes semianimes salutari motu Spiritus Sancti recreantur, reguntur 69
Humanae Naturae res duae, inter se diuersae, et tamen arctissime copulatae. 29
Humanarum uirium defectio, in explenda lege diuina 88
- - - earum subsidium a Christi uirtute ac satisfactione 88. sqq
Humani generis hostes, quam furiosi sint 37
Humanitas, in iudicio poenarum quid exigat 319
Humano generi auxilium quam mirabile ferat Deus, in desperato hominum statu 3
Humanorum studiorum quatuor genera, ubi peccent, et in his quid damnetur 446
Hungarorum opinio de Saxonibus, quanta 881
- - - ab his praemia Saxonibus tributa 882

I

Iacoponus, quisnam, a sui contemptione, uocetur 822
- - - eius fucata sanctitas, qualis ibid
Imagines fortissimorum uirorum, quam contemplandi utilitatem habeant 462
Imaginis diuinae uis, et adiuncta 4
Immortalitas inter homines, quid 470
- - - ea, quomodo male quaesita ibid
- - - uera in monimentis ingenii 471
Imperatorem fortem, et eruditum, quinam ueterum postulent 203. sqq
Imperatores, scholas doctorum frequentantes 590. sqq
Imperatores, a Principibus apud Pontificem accusati 788
- - - a Pontificibus Romanis indigne habiti, quinam 789
- - - in Capitulationibus suis, quomodo nominent Pr. Electores 989. sqq
- - - horum iura, ab Augustanis Confessoribus asserta 782
Imperatorum tituli, quales inanes 903. sqq

Impe-

Digitized by Google

Imperii ſummi quanta dignitas 393. ſqq
Imperii dignitas, cum Valentiniano extingui uiſa 876
Imperii Romanogermanici Procerum iura, quanta 993
- - - hi, quando, et cur, facilius ad Principum Electorum rationes accommodent ſuas 994
Imperii firma munimenta, quaenam, ex ſententia Titi 1029
Imperium, quomodo diſcernatur a ſacerdotio 815
Imperium Germanicum, latius Germania 752
Imperium Romanum, cum Germania in perpetuum coniunctum, cui debeatur 944
Impietatis inauditae ſpectaculum in Chriſto, cruci ſuffixo 13
Inferi, ex his quinam reuerſi narrentur 684. ſqq
Inferi, ueteribus mortui 474
Inſulae Saxonicae, quaenam, et ubi ſitae 849
Inuidia, qualis gloriae comes apud uiros magnos 477
Ioannes, Britannorum rex, ab Innocentio III pulſus Regno 790
Ioannis Georgii tertii, Saxonis, uirtus bellica, quam gloriosa 978. ſqq
- - - eius gloria 320
Ioſephi, Imp. decora, qualia 268
Iſocrates, quam locuples 531
Italia, quoſnam hoſpites expectet peregrinantes 419
- - cur geminis ſemper dominis uti uoluerit 842
Iudaei, quo triplex Chriſti munus detorqueant 1131. ſqq
Iudicia publica, quam moleſta 732
Iudicium extremum, quam uarie moueat homines 44. ſqq
Iuliani Caeſaris bellum, uniuerſae Germaniae illatum, quantum 869
Iulii Caeſaris ambitioſa induſtria 194
- - hic, factis literiſque inſignis 203. ſqq
- - huius uox, cum tempeſtate luctans 213
Iulius Caeſar Scaliger artem Poeticam praefert fortunae Regiae 454
Iulius Pontifex, iuriſiurandi admonitus 772
Iureconſulti ueteres, quibus e ſcholis profecti 603
Ius Dei ſcriptum, in Decalogo maxime clarum 73
- - huius codex ſcriptus, Iudaeis aliquando ignoratus 74
Ius Feudale, unde ortum 899
Ius, Imperatorem eligendi, quo tempore appareat in Annalibus 956

Digitized by Google

Ius Romanum, quid Pythagoreis debeat 460
Iustificationis nostrae opus, a quo, et quomodo, perficiatur 132
Iustiniani, Imp. pie dictum, de Fiducia Prouidentiae diuinae 176
Iustitia, quid sit 378

K

Karolina Lex, siue A. B. quid Regi Romanorum praescribat 796
Krausii, Io. Godofredi, stirps paterna 721. sqq
- - - pietas, quanta 726. sqq
- - - uirtutes 728
- - - eius character 731. sqq

L

Lambecius, Petrus, Leopoldi Imp. in Bibliotheca familiaris, hanc, illius iussu, scriptis explanans, libris augens 258
Lascaris, Ioannes, quibus legationibus fungatur 609
Latium, quibus glorietur ingeniis, Graecorum aemulis 589
Latro, quibusnam uocibus Poenitentiam, et Fidem, demonstret 1137
Latro, idem honorem Christi uindicat 1138
- - in hoc obit Christus munus Propheticum 1138
Latro pius, Theologus mirabilis, et, Apostolis dispalatis, in supplicio suo, docens Euangelium, exemplo suo 34
Latrocinia egregie exercere, decus apud Thucydidem 860
Latrones, ex utroque Christi latere suspensi, imagines totius generis humani, in pios atque impios diuisi 33. sqq
Latus Christi transfixum, cur Sanguinem ante, quam Aquam, emittat 1113
- - - hoc perfossum, cur Porta Vitae 1117
- - - ex eo Mysteria oriri ibid
- - - in hoc, quinam fons consolationis diuinae 1118
- - - ex hoc, cur Sanguis et Aqua exeat 1112
- - - cur eodem tempore effluat 1110
- - - ex eo manans effusio Sanguinis et Aquae, praedicta a Zacharia 1111
Lazius, Vuolfgangus, inuestigator Romanarum Antiquitatum in Saxonicis Transiluaniae ciuitatibus 882
Legati docti, scholas domesticas sibi,

Digitized by Google

ſibi, horis ſubſeciuis, inſtruentes 620. ſqq
Legationes plus ſaepe efficiunt in Republica, quam Legiones plurimae 560
Leges Imperatoriae, qua ratione ferantur 793
Legi Naturae quodnam acceſſerit ex hominibus incommodum 71
- - eius integritas, iure ſcripto illuſtrata 73
- - eius promulgatio, magnum Dei opus 74
Legis Naturae, et Moralis, quodnam diſcrimen 59
- - huius Legis, quodnam ſolatium 59
- - eius iucunditas 60. ſqq
- - haec, cur hominum cordibus inſcripta 61
- haec Adamum uarie afficiens 70
- - haec manet eadem ibid
- - eadem hominibus lapſis nihil ſolatii affert 76
- - huius Legis uſus uarius, ex Spiritu S. 76. ſqq
- - - terror 86
- - haec uariis nominibus appellatur ſapientibus ueteribus 94
Legum, quanta ſit praeſtantia 971
Leo, ex Inferis rugiens, quid machinetur hominibus mali 39
Leo ex tribu Iuda, quanta homines cura tueatur ibid
- - Agni ſimilitudinem cur induat ibid
Leopoldus Magnus Imp. mirificae benignitatis 182
- - idem Carolo, filio, in Hiſpaniam eunti, commendat Auſtriam clementiam 182. ſqq
- - - eius literae ad Carolum filium 184
- - - eius modeſtiae piae monimentum, Vindobonae, pro auerruncato peſtilentiae malo, ſtructum 176 ſqq
- - eius conſtantia, in magnis bellorum periculis, quanta 221
Leuitatis humanae eſt, in rebus aſperis ſui potius, quam Chriſti, meminiſſe 44
Libelli ſupplices, uarie accepti a Principibus 192. ſqq
Liber Boſſueti, de Poteſtate Eccleſiae Gallicanae, laudatus 809. ſqq
Liberi Arbitrii indoles 1051. ſqq
Liberorum in parentes amor, ſaepe frigens 1069
Libri profanarum gentium, num tractandi 764
Liburnus portus, quibus rebus decoretur 434
Limites Romani Imperii ad

Digitized by Google

Rhenum, quales fuerint 913
Limitibus Imperii turbatis, quantum periculi adierit Imperium 913. sqq
Linguae dispertitae, et flagrantes, quid sibi uelint 50
Linguarum studium, et quicquid est artium bonarum, a Spiritu S. consecratum 55
Lipsius, Iustus, Bonam Mentem Regnis, ac Diuitiis, praefert 510
Literae, quantum utilitatis afferant omnis uitae cultui 455. sqq
- - - quid magnorum uirorum quieti domesticae praestent 495. sqq
Literatorum et Eruditorum uita, quid differat 449
Literis quanta dignitas accedat ex cultoribus earum Augustis 259. sqq
Litus Saxonicum, unde dicatur 911
- - idem, uarium 862
- - hoc, ubi, in Gallia et Britannia, quaerendum 864. sqq
- - hoc, quo tempore nomen acceperit, qua patuerit 866
Liuiae dona, Templo Hierosolymitano missa, qualia 701
- - huic cur Vlyssis togati nomen impositum 702
Lotharii, Imp. praeclare facta, quaenam 958
L. Lucullus, et diues, et doctus simul, ac doctrinae deditus donis bellique 522. sqq
- - - hic, quantus fuerit imperator 524
Ludolphi, Ducis Saxonici, praestantia, quanta 950
Ludouicus, Comes Palatinus, cur senex cupide didicerit Latinas literas 232
Ludouicus Pius, de rebus Imperii publice deliberans cum Proceribus, in quibus fuere Saxones 940
Ludouicus XII, Franciae Rex, Ticini Iasonem Magnum, inter huius auditores considens, publice audit, singulari cum honore 587
Ludouici XV, Regis Francogalliae, gloria, quanta 1028 sqq
Ludouici, Galliarum Delphini, solatium luctus in Coniugio, cum Maria Iosepha inito 1016
Lutherani, quanto in odio apud Reges fuerint 743
Lycurgus, quantum antistet Pausaniae, ac Lysandro 558

M

Macedonius quanta impietate dicat in diuinitatem Spiritus S. 137
- - hic damnatus Concilio Constantinopolitano ibid
Magnae

Digitized by Google

Magnae Britanniae appellatio unde, ſub Anna Regina, orta 892
Magnentius, quantum terrorem iniecerit Romanis 912
Mahometus quid Legi Moſaicae addiderit, quid Euangelio detraxerit 1095
- - - huius doctrina peſtifera ex Dialogiſmis ibid
Maieſtas, ueterum literis quotuplex ſit 848
Maieſtas uirtutis, qualis ibid
- - - imperii, qualis ibid
- - - utramque Saxonibus conuenire ibid
Maieſtatis apellatio, quam late pateat 847
- - - huius praeſtantia unde iudicanda 756
- - - huius iura, qualia 756. ſqq
Maieſtas, in Regno Germaniae legitimo, una communiſque in Imperatore, et Ordinibus Imperii uniuerſis 792
Mala interiora cur grauiſſima 19
Manaſſis, Iudaeorum Regis, furor cremandi filii 1079 ſqq
Marcello qualis cauſſa teſtamenti inofficioſi 1074
Margareta, Boica, ſit Mater communis omnium Rheni Palatinorum 1002
Mariae fides, exemplar fidei heroicae 1054. ſqq
Mariae Ioſephae, Reg. Polon. praeſtantia ſingularis 396 ſqq
- - - huius quam eximia fecunditas. 398
- - - haec quantum Mariti Auguſti decus atque gaudium ibid
Maria Antonia quantam Saxoniae felicitatem, decoribus ſuis plurimis, maximiſque, ſpondeat 1012
Mariae Antoniae, Saxoniae Principis, pietas in Parentes Regios, qualis 1013. ſqq
Mariae Ioſephae, Saxonicae, a Galliae Delphino praeoptatae, quanta dignitas 1026. ſqq
Marius, in bello, quam pace, melior 603
Marius, contemnens literas, quam contrarium ſibi habeat iudicium Nobilitatis Romanae 203
Maro moriens, teſtamento Aeneida ſuam Vulcano legat 620
Martyr Chriſti primus, quiſnam 1137
Matheſis, quantum admirationis atque adiumenti inueniat Dreſdae 417
Matthiae Imp. Praeceptor Augerius

Digitized by Google

gerius Busbequius datus 251. sqq
Matthiae amor in literas 252
Maximilianus I. literarum instaurator, quantum scholis tribuerit 592. sqq
- - - huius merita in rem literariam 233
- - - cohortans Septemuiros, ad condendas Academias 234
- - - eius libri in scriniis Vindobonensibus 235. sqq
Maximiliani II. tranquillitas animi ex fiducia Prouidentiae Diuinae 221
- - huius eruditio, quanta 248
- - linguarum cognitio ibid
- - disciplina uaria ib. sqq
- - eius Regia quam praestantibus omni doctrina uiris frequentata 249. sqq
Maximilianus Iosephus, Princeps Elector Boiariae, quanta uirtute, quantis decoribus, eluceat 1003. sqq
- - - idem disputationibus, praesente patre, Imperatore, admirabilem differendi iudicandique facultatem praestitit 1005
Maximus, tyrannus, auxilio Saxonum uictus 873
Mechtildis Boica fit Mater communis totius Saxoniae 1060
Menandro mirabilis boni amici uel umbra 1065
Mentis Bonae dignitas, qualis apud Eruditos 512
Mentem bonam quanti faciat Iustus Lipsius, Regnis, ac diuitiis, praelatam 510
Mens mala, quam misera sit Fabio 511
Mercatores, quid sentiant de eruditis 533
- - - de horum uocibus autem quid Seneca referat 534
Mercatura, olim nobilioribus cur non exercenda 500
Mercurii diem, Mittewoche, quondam appellatam fuisse Vuoensdag 889
Mercurini Gattinariae iudicium de Carolo V. Imp. 209
Messanae arx quanta Caesareanorum uirtute defensa, quanta hostium strage capta 167 sqq
Mezeraeus, Franciscus, Capetinos a Saxoniae ducibus repetens 1020. sqq
Militari rei, cur magnus honos habendus, literis praesertim adiutae 495
Militaris disciplina, Imperii stabilimentum 198
Milites, quantum praesidii habeant in literis 486

Mini-

Digitized by Google

Ministerium Ecclesiasticum quantum honoris habeat 129
- - - huius regimen habet Spiritus Sanctus 129
- - - huic potestas clauium data 130
Misenum promontorium, antiqua statione classis, aliisque rebus mirabilibus, clarum 424
Mitylenaeorum poena singularis in socios desciscentes, ne liberi literis imbuerentur 463
Monachi, cur otium, et quale, sibi sumpserint 767. sqq
- - - hi, Pontificibus solis morem gerere olim uolebant 770
- - - hi, quantum aspernati imperium Ciuile ibid
Monastica uita, Baptismo, uitae magistratuum, Pastorum, et similium, cur quondam antelata 768
Mors Christi quid, in Baptismate, conferat hominum saluti 1115
Mors militaris dicitur bona 677. sqq
Mors temporaria, in Christianis, quid sit 38
Morte Christi, impetum mortis humanae, frangi 46
Mortem bonam obire putantur, qui cadunt, fortiter proeliantes 677.
Mortem repentinam quinam sibi olim consciuerint 678
Mortis difficilis imago, a Virgilio expressa 707. sqq
Mortis tempus, extra cogitationem de Christo, quam terribile 708
Mortis ipsius aspectus cur adeo tristis 27
Mortis solatium ex morte Christi, in memoria oculisque semper habenda 12 et 32
- - huius tyrannidem quomodo aliqui imperite leniant. 28
- - quanta ea sit ibid
- - horror naturalis in homine, quantus 31. sqq
Morti, euulso eius stimulo, quod relinquatur, id haud timendum 73. sqq
Mortuorum iudicium futurum, Plato ostendit 682
Museum Regium Dresenense Veterum Marmorum, Numismatum, Gemmarum, quam egregium 345. et 414. sqq
- - - Scientiae Naturalis 345. et 416
Mylae, a paucis Caesarianis, aduersus multos, fortiter defensae 168

Digitized by Google

Mysterium, quid 1130
- - - Perditionis, unde ibid
- - - Conseruationis, quid 1130

N

Natura Humana, quam deprauata 1088
Natura rerum, Christi mortem nouis prodigiis moerens 27
- - eadem quid cogitationum excitare debeat in hominibus ibid
Naturae debitum reddere, utrum recte dicatur 28
Naturae totius commotio, in morte Christi 14
Naturae miracula, in agro Neapolitano, quaenam 422
Naudaei, Gabrielis, assentatio notata 494
Naugerius, Andreas, legatus, cremat scripta sua 619. sqq
Neapolis, priscis libris diues 281
- - - Bibliothecam Vindobonensem ornamentis augens, ibid
Neapolitanae urbis laudes 280
Nerua, Caesar, quomodo felicitati temporum suorum consulat 376
Nobilioribus olim mercatura num exercita 500
Notiones insitae, contemplatiuae, et actiuae 102
- - - has facere paedagogicum officium, ibid
- - - quid ex his profluat 103
Nouarum rerum prudens consideratio, quam utilis 837
Nouemuiralis dignitas, quanta 387
Nouemuirum, nostra aetate, potentia 992
Nouercae indoles, qualis 1076
Nouercales stimuli, quam male audiant antiquis literis monimentisque 1075
Nouercam Lysimachi stirpem regnumque euertisse 1076
- - - Prusiam maxima plaga perculisse ibid
- - - in Ludouicum Pium filios concitasse 1076. sqq
Numen Summum, atque Aeternum esse, Sapientes profani etiam senserunt, contra uulgi opinionem 697
Numi ueteres quomodo sint Principibus contemplandi, 291. sqq. 295
- - quid bonae frugis ostendant oculis 292. sqq.
- - eos, suis doctrinae notis, designare Principem optimum 293
Numismatum ueterum usus in literis, quantus 288. sqq

Digitized by Google

Numiſmatum conſideratio, quantum prosit Principi 289. ſqq
Numiſmata Aegypti, Philopatoris nomine inſignita, quid oſtendant 1070
Nuptiae Philologiae & Mercurii, quales 1012. ſqq

O

Odinus, princeps uetuſtiſſimus, uarie ſcriptus 888
- - - hunc in monimentis ſaepe cum Thoro confundi 890
- - - hunc fuiſſe Saxonum Principem ibid
Officium perfectum, quid differat a communi 82
Opes, quo loco prudentioribus ſint ponendae 504. ſqq
- - has cum bona mente crescere poſſe, difficile eſt 510
Opificium Dei in homine, quale 31
Oppianus, pro ſingulis uerſibus, quantum acceperit 529
Oſnabrugenſis pax, quanti ſit momenti 820
Otioſa Vita, quid 449
Otium Sapientis, quid ibid
Ottonis, Magni Saxoniae Ducis, auctoritas in imperio, quanta 944
- - hic Arnulpho, Imp quid praeſtiterit 944. ſqq
Ottonem hunc, ex connubio etiam, apud Germanos multum potuiſſe 945
- - - eius dignitas, unde ibid
Ottonis M. merita in Religionem, quanta 965. ſqq
- - - hic quaſnam Epiſcoporum ſedes conſtituerit 966
- - - hunc ciuilem poteſtatem dediſſe hominibus ex ordine ſacro 966
- - - hic ſuperans Carolum M. Religionis cura 970. ſqq
Otto, Henrici filius, Saxo, quantus 952
- - eius praeclare facta 953. ſqq
- - - ab hoc Imperium Germaniae iunctum 953. ſqq
Ottonis II. gloria, quanta 955. ſqq
- - - hic, quantam pietatis laudem habuerit 967
- - - eius merita in religionem 967. ſqq
- - - eius amor in literas, harumque ſtudioſos 967. ſqq
- - - eius cura, in propaganda religione 968
Ottonis III prudentia et ſeueritas, quanta 956
- - - hic, num ius creandi Impe-

Digitized by Google

Imperatores Electoribus dederit ibid
Ottonis III huius facta, memoria digna 957
- - - hic Boleslaum, Poloniae Ducem, appellat Regem ibid
- - - hunc de Religione bene meritum fuisse 968. sqq
- - - hunc Fautorem literarum fuisse egregium 969
Otto quartus, quo fuerit animo erga Pontificem Romanum 959
Ouidium, cur pater a Poetices studio reuocauerit 544

P

Papae territoriales, quinam iuris Publici doctoribus uocentur 818
Parentum erga filios amor, qualis esse debeat 1073
Parentibus quantum malorum immineat 1073. sqq
Parmenidis auctoritas tanta, ut eius in leges patria quotannis iuraret 541
Paschalius, Carolus, legationibus pluribus egregie functus 613
Passio Christi, quam acerba atque crudelis 1107
- - - quam plena misericordiae et caritatis diuinae ibid
Passio Christi quid differat a latronum nece in Cruce ibid
- - - in hac Sanguinis et Aquae profluuium num quid miraculi, an causas naturales, habeat ibid
Pastores uocantur Reges ab Homero 754
Patris nomen quantae dignitatis 1068
- - - hoc nomine Deus delectatur ibid
Patris Patriae nomen quantum complectatur 755. sqq
Patrum in filios iniuriae, quam graues saepe 1074
- - - has tamen ferendas esse ibid
Patrum Christianorum sententia, Religio ui haud proganda 922. sqq
Paullus, Parentes suis temporibus fuisse officii sui minus obseruantes, testatur 1075
Paullinae excensionis, quam Actus Apostolici memorant, uestigium, prope Pylas Puteolanas, ubi 423
Paullino exemplo, hoc maxime sciendum, Iesum Christum Cruci affixum 50
Paupertas, quid differat ab egestate 513
- - - honesta, qualis sit 519
Paupertatis laudatae exempla prisca Romani cordatiores floren-

Digitized by Google

florentis Romae diuitiis anteponunt 515
Peccatum primorum parentum, malum quam insanum 22
Peccatis occultis quemadmodum Deus offendatur 42. sqq
- - - horum qualis sit distinctio ibid
- - - eadem Christus unus delet 43
Pelopidas paupertate gloriatus, pecuniam claudo et mutilo, quam se, digniorem putat 514
Pentecostalis diei euenta mirabilia atque diuina 138
Pentecostalis diei dignitas mirabilis 54
- - - eadem quam sancte habenda eruditis 51
Pericles, quam magnus apud Athenienses fuerit, nullo tamen Numo auctus 559
Petrus Victorius, multas Cosmi Medici Legationes obit, multa cum dignitate 611
Peutingerus, Conradus, plures legationes ad Caesares, administrans 618. sqq
Philanthropia Christi, qualis 833
Philippi Augusti, Franciae Regis, responsum, pro Maiestate Pontifici R. minitanti, animose datum 789. sqq
Philippus Macedonum Rex, iudex inter duos filios pater, quam miser 1067. sqq
Philippi, Maced. Epistola ad Aristotelem, de necessitate curandi liberorum disciplinam 578 sqq
Philippus Melanchthon Linguae Graecae, et Hebraicae, cognitionem praefert auro omni, et Imperio Turcico 455
Philosophiae ciuilis, a ueteribus traditae, utilitas in republ. gubernanda 462
Philosophica consolatio, doctrina mortis contemnendae, fallens 46
- - - haec rationis ductu contenta 95
- - - neruos accipere debet ex Scriptura Sacra ibid
- - - quam manca sit 116
Philosophica consolatio robur capit a praeceptis religionis uerae 117
- - - eiusdem emendatus ueruſque usus ibid
- - - quibus potissimum rebus doctrinae Christianae roboretur 118
Philosophi personam haud dedecere magnas opes 520. sqq
- - - ueteres, dialogismis suis in plurimos errores prolapsi 1093

Digitized by Google

Philosophi num sint idonei ad rempublicam 557. sqq
Phocion, paupertate clarus, spretis diuitiis 513
Photini nefas, seruitio Patris, ac Filii, Spiritum S. addicens 137
Phrynichus, tragicus, Poemate bellico theatrum Atticum sic mouet, ut belli dux creetur 530
Pietas, qualis sit uirtus, et quas uirtutes reliquas complectatur 727
Pileus Rectoris Academici, quale symbolum 1106
Piorum fides nec aequalis, et quibus incommodis obnoxia 1086
Piratarum nauigia propria, quaenam 861
Piratica, an infamis olim 859
- - - huius institutum quondam in artibus regiis 861
Placabilitas, nostris temporibus desiderata 834
- - - eius dignitas, ex mente Ciceronis, naturaque sua, qualis 832
Plato, ex paupere quam diues factus 532
- - quanto multorum honore publice affectus 540. 541
- - hic, una cum Socrate, mortuis dat iudices, ut, post mortem, bonis sit melius, malis peius 682
Plato, hanc sententiam unde hauserit 682. sqq
- - huic sententia de praemiis suppliciisque defunctorum, antiquitate probatur, ab eoque commendatur 684
Platonicae disciplinae tribuitur gloria duorum excellentium Imperatorum, Chabriae, et Phocionis 565
Plinius, Senior, quanto potuerit uendere suos Electorum libros 533
Plinius, iunior, quomodo solitus fuerit, inter studia literarum, animum remittere 485
Plinius, Caecilius, queritur de Malitia, quam in foro discere cogatur 602
Plutarchus Eruditionem cunctis opibus atque honoribus antefert, eique uni immortalitatem ac diuinitatem tribuit 502
- - - cupiditatem diuitiarum homine docto indignam iudicat 507
Poeta, uitae Carolinae scriptor, historicis, in Saxonum pacto cum Carolo M. praelatus 936
Poetae imaginibus suis communem

Digitized by Google

munem uitam exprimunt 1066
- - - horum ſapientiam ad Spiritus S. dona Miniſtrantia reuocandam 108
- - - horum auctoritas quanta, exemplo Horatii et Virgilii, apud Auguſtum 552 et 553
Poloniae cum Saxonia, maxime cum Marchionibus Miſniae, neceſſitudo antiqua 389. ſqq
- - - huius Libertas, optime per electionem Auguſti III. aſſerta 364
- - - haec libertas quanam factione uiolata 370. ſqq
- - - in quantum adducta periculum 372
- - - confirmata rurſus prouidentia Auguſti III. 376
Polonorum elogium de Auguſto Secundo, Magnifico, ac Munifico, quale 391
- - - horum uetus Prouocatio Magdeburgum ſublata 972
- - - hos Inſigne Regium ab Ottone tertio, Saxone, quondam accepiſſe 957. ſqq
Polybianae Eclogae, quantus prudentiae Ciuilis theſaurus 560
Cn. Pompeius ſui memoriam olim maxime debuit Ciceroni, et Liuio 479
Cn. Pompeius, uictor Mithridatis, Rhodum ueniens, Poſidonium audit, exedras luſtrat, Profeſſorum ianuis faſces laureatos ſummittit 587
Pontano, Io. Iouiano, Ferdinandus Alphonſi, Arragonii, F. utitur in magnis belli paciſque negotiis 611
Pontificis execrationes, tam in ſcholis, quam in ſcriptis, quondam exploſae 808
Pontifices Romani, quid ſibi arrogauerint contra ciuilem poteſtatem 769
- - - hi, inſiſtentes ueſtigiis Gregorii VII 788
- - - hos in tranſferendis regnis, ambitioni, ac dominationi ſuae, ſeruiiſſe 790
- - - hos quondam ſtuduiſſe Principum leges opprimere 800. ſqq
- - - horum libidini ueteri, quinam ſe obiecerint 771. ſqq
- - - horum ferocia in Imperatores, quanta fuerit 781
- - - horum ferociam ſuperſtitione fuiſſe ſuſtentatam 781
- - - horum licentia, contra Reges ac Principes 816 ſqq

Digitized by Google

Poteſtas in Sacris quotuplex ſit 757
Poteſtatem ſummam inuiolate ſeruari, quantum referat 756
Praedatoria ars, olim heroibus glorioſa 860
Praefecti Praetorio dignitas, quanta, perperam tamen exaequata cum Archimareſchallatu Imperii 387
Pragenſis Academia cur Caroloferdinandea dicatur 256
Principis cura, in educandis ciuibus, quanta debeat eſſe 757. ſqq
Principem bonum eſſe bonum Paſtorem 754
Principis maieſtati cum libertate populi bene conuenire 394
Principes, quinam hi ſint, quibuſcum breuiter ſit agendum, et quanam de re 305
- - - hi, in honorandis pecunioſis, horum merita, non pecuniam, commemorant 536
Principes plures Profeſſorum auditores publici 587. ſqq
Principes Electores Imperii Columnae 988. ſqq
- - - hae Columnae quomodo firmentur 988
- - - hi quomodo nominentur in Aurea Bulla, et Capitulationibus Imperatorum 989. ſqq
- - - hi quantum habeant uim ſuffragiorum 992
- - - hi quantas habeant uires 991. ſqq
- - - horum ſingularia iura, quaenam 990. ſqq
- - - horum concordia quemadmodum ſtet ſalus Imperii 997
Probi, Imp. excellens gloria, breui, ſcriptorum inopia, obſcuratur, ſed a Vopiſco renouatur 480
Prohaereſio, apud Romanos, ſtatua ponitur cum titulo, Regina rerum Roma Regi eloquentiae 601
Proteſtantes, unde appellati 744
Prouidentiae diuinae ſigna in Auguſtanae Confeſſionis Formula 748
Prudentia ciuilis Principi quam utilis 412
Prudentia uera a pietate ſeiungi haud poteſt 726
- - - haec, Rectoris Academici in conſiliis, qualis 729 ſqq
- - - haec, Rectoris Academici in iudiciis, qualis 732
Prudentibus, quid metuendum ſit his temporibus 841. ſqq
Prudentum coniectura ciuilis, quid complectatur 841 - 845
Pruſiam, Bithyniae Regem, euer-

Digitized by Google

uertit Nicomedes filius, nouercae consilia occupans 1076
Ptolemaeus, unde cognomen Philopatoris acceperit 1069 sqq
Pudicitiae publicatae poena, qualis in Germania ueteri 857. sqq
- - - Saxonum, qualis ibid
Puteolanus ager quantae amoenitatis 422. sqq
- - - in hoc plura ueteris magnificentiae uestigia ibid
- - - in hoc olim secessus Romanorum illustrium, aedibus, uillis, piscinis, pluribusque ornamentis, decoratur ibid. et 423
Pyrrhus eum sibi destinat successorem, qui gladium acutissimum habeat 399
Pythagorae, sapientes in humana uita uersantur, tanquam in mercatu quodam celebri, uidendi tantum et exquirendi caussa, ibi quid agatur 445
- - - huius celebritas olim maxima in omni Italia 459
- - - huius consilio Crotoniatae Remp. gubernant, ex mortui eius domo templum faciunt, eum pro Deo colunt 600. 601

R

Radagaisus, Gothorum Rex, a Stilicone uictus 874
Ratio, quid praescribat consolationi humanae 96. sqq
- - Lege Naturali fundata, quas habeat consolationis uias ibid
- - eadem his uiis minuit dolorem, non adimit 98. sqq
Ratio summa Veterum, qualis 115. 679
Rectoris Academici Prudentia Vera, qualis sit 718. sqq
Regia dignitas, Gregorianis temporibus, quantum in discrimen adducta 787
Regiis auspiciis Numen diuinum interesse 362
M. Reguli auaritia, in filio emancipando, simulatio in lugendo 1077
Regum creandorum caussa ultima, quaenam 365
Regum maiestas, Romanis spreta 1121
Reipublicae partes potiores, quaenam 938
Religio, quomodo sine ui externa sit propaganda 922
- - - haec in homine nihil potest sine fide 1112
Religio Prudentum notata 698. sqq

Digitized by Google

Reſpublica, quibus ſtet fundamentis 456
Reſpublicae duplicis generis, quales 574
Roberti, regis Neapol. amor in ſtudia 243
Robertus, Marchio, et Comes Andegauenſis, quomodo appelletur a ſcriptoribus Hiſtoriae Francicae 1019
- - - Idem, num fuerit Vitekindi, Saxonis, filius 1019 ſqq
Rodolphinae aetatis gloria 251
Rodolpho, quantum debeat Domus Auſtriaca, ipſumque Imperium 171
- - - eius pietas in ſuſcipiendo et uindicando Imperio 171. ſqq
- - - idem, uexillis crucem inſerens 172
- - - eiuſdem ſententia familiaris 180
Rodolphi Imp. amor iuſtitiae conſtans 186
- - - eius prudentia, ſubueniens afflictis Germaniae rebus 209
- - - eiuſdem praeſtantia eruditionis 229
- - - hic Vindobonae Bibliothecam inſtituit ibid
Rodolphi II amor erga literas 250
- - - hic delectatus Matheſi 251
- - - Tychonem et Keplerum acciuit 250
Roma uetus, qualis et quanta 429
- - noua, nouis miraculis elata 430
- - - domiciliium prudentiae ciuilis ibid
Romae ueteris mirabilia, quaenam ſuperſint 431. ſqq
Romani, ius diſcentes a Pythagoreis 459. ſqq
Romani, exprobrata Saxonum feritate, quid confiteantur 906
Romanis quantus Hoſpes Princeps Regius, Fridericus Chriſtianus 428
Romanos priſcos fuiſſe maxime abſtinentes 514. ſqq
Romani milites, a Iudaeis Hieroſolymitanis inſtincti, in ludibrium Chriſti 1121
Romulus Amaſaeus, quantas res geſſerit legatus 610
Roſwida, a quibuſnam erudita fuerit 967
- - - haec quid ſcripſerit ibid
Ruſticae rei laudatores, explicatoreſque, quinam 500
Ruſtico Iunio ſingularis honos ab Antonino habitus 547. ſqq

Digitized by Google

S

Sacerdotii et Imperii finium confusio quanta mala peperit 775
- - - hi fines, ut differant 775. sqq
Sacramentorum diuinorum duplex genus 124
- - - in Sacramentis quantum ualeat auxilium Spiritus Sancti 127
Sacrorum interpretatio quantum scientiae desideret 456. sqq
Saeculi huius ineuntis in Saxonia labes, in licentia digladiandi 334. sqq
Sallustius cunctas diuitias ingenio postponens 508
Sammarthani, fratres, cui stirpi Robertum, Comitem Andegauensem, assignent 1022
Sanguis Christi, in cruce effusus, cur differat ab humano uulgari 1108. 1109
- - - hic, cur salutaris hominibus 1115
Sapiens ueterum Philosophorum, non in uita, sed in mentis Idea, quaerendus 82
Sapientes profani, ignorantes caussam infirmitatis humanae 83
- - - decepti opinione uirium suarum ibid
Sapientum horum summum bonum quam mancum 79
- - - consolatio uana 81
Sapientes ueteres, quicquid boni habeant, se accepisse a Deo, praedicantes 105. 113
Sapientes septem, quibusnam ciuitatibus praefuerint 559
Sapientes, in magistratibus uersati, quinam 564
- - - qui doctrinae studeant, num possint de rep. bene mereri 565
Sapientes ueteres, immortalitatem animi tuentes, quinam 683
Sapientia Veterum, ex quonam Rationis bono fluxerit 104
- - - haec, cur minus solatii habeat 114. sqq
Sarmatae Regem, Libertati suae optandum, in uno reperiunt Augusto III 363. sqq
Sarmatiae uarietas fortunae 358
Sarmatica Libertas, quam glorioſum gentis bonum 368
Satanas unde cognouerit Christi diuinitatem 1123
- - - idem cur deformia coloret 1125
- - - cur caput Christi deformet ibid
- - - qua ratione odium suum in homines maxime exerceat 1131
- - - hic, quomodo munus Chri-

Digitized by Google

Christi Propheticum infamet 1133
Satanas quid oſculo Iudae conſectatus ſit ibid. ſqq
- - - quam ignominioſe Officium Chriſti Sacerdotale abiiciat 1134. ſqq
- - - idem, quomodo illudat Chriſto Regi 1135 ſqq
Satrapas Saxonicos ſorte fuiſſe lectos 851
Saxones ueteres, libertatis ſtudioſos fuiſſe 852
- - - horum ordines, quales 853
- - - hi, Romanos quanta uirtute adoriantur 867
- - - hi, Magnentii quondam ſocii 868
- - - horum uirtus in proelio, ad Murſam commiſſo, quanta 869. ſqq
- - - hi, quid, Conſtantio Imperatore, in Gallia egerint 869
- - - quam nihil ſibi timeant a Romanis 870. ſqq
- - - hi, in proelio aduerſus Attilam, fortiter in medio agmine, pugnantes pro Romanis, ac uincentes 876
- - - hi, cur Britanniam ſubegerint, plura in ea condentes Regna 886
Saxones cur multarum gentium Patres dicantur 894
- - - hi, in Italia, Longobardis ſubiacere cur nolint 898
- - - hi, ex Italia in Gallias reditum parantes, num Francis iureiurando obſequium confirment 900
- - - hi, una cum Francis, libertatis ſtudio ducti, quemadmodum ſe obiiciant Romanis 909
- - - hi, Magnentii, aduerſus Conſtantium Imp. ſocii 912
- - - hi, una cum Francis, aduerſus alios Germanos bellant 915
- - - hi, defenſores conſtituti limitum Francicorum, aduerſus Slauos 917
Saxones Boiocaſſini, quinam 878. ſqq
Saxones, in Tranſiluania, et linguam, et libertatem, auitam retinuiſſe 882
- - - horum poſteros primas pugnandi aduerſus Turcos partes impetraſſe 883
Saxones Nordalbingicos in proelio primum proelii locum obtinuiſſe 883
Saxones quo tempore inter Rhe-

Digitized by Google

Rhenum, Viſurgim, atque Albim, ſedes firmauerint 921
- - - hos, quam difficile fuerit, cum Francis communi imperio coaleſcere 921. ſqq
- - - hi, Albis fluminis accolae, a Carolo M. quonam deducti 932
- - - hi, exules, num Romam quoque deportati 932
- - - hi, Franciae ciues, qua dignitate ac felicitate fruantur 942. ſqq
Saxones, Duces antiquiſſimi, unde opibus creuerint 949
Saxones in diſcendis literis felices 973
- - - horum priſca maieſtas, quanta 837
Saxonum Aborigines, poſteris temporibus cur, et ubi, ſedes ſibi nouas quaeſierint 850
- - - horum res geſtae, cur, ex monimentis ueteribus, plenius atque certius, tradi non poſſint 855
- - - horum uirtutes magnae, ex malignis hoſtium iudiciis, ac teſtimoniis, colligendae 855
- - - horum prudentia et uigilantia 856
- - - horum caſtitatis ſtudium inſigne 857
Saxonum ueterum uirtus bellica, quanta 858
- - - hi, quo aetatis anno in militiam ſint profecti 858
Saxonum antiquiſſimorum ſtudium rei piraticae, quantum, nec illiberale 859
Saxonum ſcientia rei naualis, quanta 862
- - - horum expeditiones uariae in Galliam 870. ſqq
- - - horum coloniae plures, intra fines Imperii Romani 878. ſqq
- - - horum colonia in Galliae inſulis Ligericis 878
- - - horum colonia, in agro Namnetico 879
- - - horum coloniae, per uarias remotiſſimaſque gentes, Septentrionum, Orientis, Occidentis, quot, et quantae 883. ſqq
- - - horum colonia princeps in Britannia 884. ſqq
- - - horum fortuna in Italia, qualis 896. ſqq
- - - horum maieſtas in triumphali Romanorum ambitione, quae nulla Saxonum clade gloriatur, haud obſcure fulgens 901
- - - horum cum Toringis ad Schidingiam proelium longe acerrimum, illorumque uictoria 915. ſqq

Digitized by Google

Saxonum horum dignitas, ex forma, ornatu militari, ipsaque bellica uirtute, quanta 916
- - - horum cum Francis dissensiones, quantae, et quibus de caussis 918. sqq
- - - horum proelium cum Chlothario, Rege Francico, quam ingens 919. sqq
Saxonum, Transalbinorum decem millia, alias in sedes translata, a Carolo M. post septem annos in patriam restituuntur 927. sqq
Saxonum terra, num omnis a Carolo M. in prouinciam redacta 933
- - - horum Capitulare, quid 937
- - - hos habuisse ius dicundae sententiae in Conciliis Francicis 938
- - - hos, Caroli M. temporibus, habuisse ius, una cum Francis suffragandi singulare, praeter ceteras Germaniae gentes 940
- - - horum merita in Religionem 962. sqq
- - - horum Leges, apud alios populos, quid Saxonicae dignitatis ostendant 971
- - - horum scholae, quales 973. sqq
- - - hos, Caroli M. temporibus, in Galliam discendi caussa commigrasse 974
- - - horum uirtus, in liberanda ab obsidione Vindobona 978
- - - horum uirtus ad Rhenum Moenumque, quanta 979
Saxones Boiosque foederibus antiquis fuisse iam consociatos 998
- - - item connubiis 998 sqq
Saxones inter et Francogallos ueteres, qualis fuerit sanguinis coniunctio 1018. sqq
Saxones, Carolo VI. Imp. congratulantes 163
- - - ad eius uenerationem excitati Principum suorum exemplo 166
Saxoniae luctus, ex obitu Augusti II. Regis 314
- - - fides publica, ab Augusto II. Rege asserta. 337
- - - huius res numaria magnae apud exteros opinionis, eiusque quanta emendatio, prouidentia Augusti II. Regis 338
- - - gemmae et lapides pretiosi 339
- - - uasa Porcellanea, Indicis praestantiora 443
Saxonia, prostrata Augusti II. mor-

Digitized by Google

morte, quanta Augusti III. clementia erigatur 353
Saxoniae in Augusto III. redditur Fridericus quidam Sapiens 378
Saxonicae Gentis antiquitas et splendor 386
Saxoniae fertilitas, abundantia, cultus 388
Saxonia, Poloniae amicitia, ac matrimoniis antiquis, coniuncta. 389. sqq.
Saxonum Principes magnos fuisse Mathematicos. 417
Saxoniae liberae antiqua sedes, ubi quaerenda 849
Saxonia Transmarina, unde uocetur 850
Saxoniae ueteris status, tempore pacis, qualis 851. sqq
- - - hanc plurimos habuisse satrapas, Reges nullos 851
- - - hanc tripartitam fuisse 854
- - - his Saxoniae partibus singulis principes praefuisse 854
Saxoniae priscae uestigia plurima in Anglia 892. sqq
Saxonicae linguae praelectiones, in Anglia olim habitae 894
Saxonia, Francorum socia, qualis 906
- - - haec, num retinuerit Duces Caroli M. successorumque temporibus. 948. sqq
Saxoniae regnum antiquum, num fuerit ad Danos translatum 954
Saxonica Maiestas ad gradum Imperii altissimum euecta 943. sqq
Saxonicae pactionis, cum Carolo M. factae, leges, quaenam 936. sqq
Saxonici nomen, cur in nullis Imperatorum ueterum titulis inueniatur 905
Saxonico bello cum Francis, quonam anno finis impositus, 931. sqq
Saxonici sanguinis Imp. quot Germaniae clauum tenuerint 962
Saxonicos Principes etiam Religionis curam gessisse 964 sqq
Saxonico iure quinam populi utantur 972
Saxonici generis fecunditas, quanta 1029
Scheringhamus, Robertus, multa multo studio, nouam in sententiam, de Saxonibus disputans 884
Scholae otium, quantae sit dignitatis 576
Scholae, quibusnam inuisae ibid
- - - harum disciplinam duplicem

Digitized by Google

plicem esse, aliam, maiorum, aliam minorum 577
Scholarum honor, ex Principum priuilegiis, atque immunitatibus 585
- - - his cur optimi Principes semper fauerint 577 sqq
- - - has praebere utriusque reip. praesidia futura 969
Sholae Prouinciales Saxonicae, quantum indulgentiae Principalis testimonium praebeant 597
Schombergii Cardinalis, Romae interrogati, responsum, quid eximii uiderit tribus in regnis, Galliae Hispaniae, Britanniae 200
Schotti, Andreae, iudicium de Literis, a re militari haud alienis 489
Scipio Africanus, ubi sepultus 427
P. Scipioni Aemiliano quid literae, quanto studio cultae 486
Scriptura Sacra qui dicatur Sacra, ab Auctore Spiritu Sancto 123
- - - quid sit 1085
Seneca, Otium Sapientum praefert rebus ciuilibus 574. sqq
- - - eius iudicio uita eruditorum firmior ad gloriam, quam ambitiosa 481
Senecae diuitiae ingentes 549
- - - hic quomodo accusatoribus responderit ibid
- - - eius testimonium, de dignitate doctorum in scholis 591
Serpens infernus cur, ludibrio Coronae Spineae, Christi caput petat 1122. 1124
Seruis, ex doctrina, quantum dignitatis accesserit 554. sqq
Siderum quietis auctor, ante Copernicum, Philolaus 571
Sigismundi uox, neminem imperare sine literis recte scire 232
Simplicio Deus est Fons bonitatis ac luminis 100
Slaui, religioni Christianae infestissimi, a quonam fuerint adducti ad eam religionem amplectendam 965
- - - horum origo, atque opes in Germania, quantae 917
Sleidani, Io. Commentarii, de Statu Religionis et Reipublicae, laudati ob studium elegantiae Iuliae, et fidem Archiuorum 751. 752
Socrates cur maiora fecerit, quam ipse Alexander 565
- - - eius stipendia, quaenam 563
Sola Fide, Solo Verbo, summam salutis contineri 1043. sqq

Digitized by Google

Solatium uerum a ſolo Deo expetendum, atque expectandum 52
Solatii humani fundamentum conſtitui in Merito Chriſti 53
- - - hoc omne perficitur unius Spiritus Sancti ſubſidio ibid
Solis defectio inſignis, ea ipſa in hora, cum exercitus Andegauenſis obſidionem Barcinonenſem relinquit 217
Solon, cur Themiſtocli praeferendus 558
Sophocles, Tragicus, dux belli lectus, quid Athenienſibus profuerit 563
Soraborum, Saxonia pulſorum, ſedes occupaſſe Slauos 967
Spanhemius, Ez. quantos theſauros eruditionis ſibi comparauerit, legati functus munere 622. ſqq
Speculum Saxonicum, quantae fuerit auctoritatis in ſeptentrione 972
Spiritus diuini, Aeſchylus, Sophocles, Euripides, cur dicantur 108
Spiritus Sanctus, fons ſolatii humani 51
- - - hic, quemadmodum cultum Leuiticum, reſpectando in Meſſiam promiſſum, in V. T. conſecret 88
- - - eius uirtus diuina, per Verbum coeleſte, in mentibus humanis efficax 89
Spiritus Sanctus, cur in Pentecoſte datus ſit ibid
- - - eius auxilio ſuſtentatur humana imbecillitas 90. ſqq
- - - eius beneficium magnum in Euangelio recte utendo 91
- - - hic doctor aeternae ueritatis
- - - hic cur Spiritus Sapientiae dicatur in ſacris literis 104. 107
- - - ubi ſedem ſuam inter homines figat. 104
- - - eius dona generalia hominibus diſpertita 105
- - - haec dona, diuinitus accepta, ab ipſis gentibus praedicantur 105. ſqq
- - - hic auctor ueritatis, etiam in iniquitate detentae 114. 123
- - - hic quomodo inuocandus, tanquam Spiritus precum 142
- - - tanquam Spiritus gratiae 143
- - - tanquam Spiritus caſtitatis 144
- - - caritatis ibid
- - - laetitiae 145
- - - roboris ibid
- - - eius munus quodnam exercitum in mentibus Pa-

Digitized by Google

rentum, in Paradiſo peccantium 69. 70
Spiritus Sancti dona duplicia, inhabitantia, et ſanctificantia 101. 104
- - - eius dona, quomodo profanis tribuantur 108
- - - eius auxilium quam ſit neceſſarium 120
- - - hic, in hominibus piis quid conſtituat 1089
- - - hic, quid mentibus piis praeſtet 1091. ſqq
- - - hunc eſſe etiam auctorem ſapientiae in monimentis Sapientum ueteribus 107
Spurinnae ſeceſſus, literarum ſtudio beatus 496
Stephanus, Hunnorum princeps, ab Ottone III. appellatur Rex 969
Stilico, Germanus, Radagaiſi, Regis Gothorum, uictor 874
- - hic uerus auctor uidetur earum Conſtitutionum, quae Honorii nomine inſcribuntur 874. ſqq
Storchius, Nicolaus, Cygnaeae auctor Anabaptiſtarum 761
Struuii neruoſa breuitas 642
- - eius Iuriſprudentia Fori laudata ibid.
- - in hunc libellum Commentarius eſt Oeconomia Iuris Bergeriana ibid
Studia optimarum artium triumphalibus bellicorum doctorumque ducum nominibus dignitatem ſuam tueri poſſunt 205
Studia liberalia, quantum commodi afferant, Caroli VI Imp. iudicio 226
Studia, ſenectutis oblectamentum 497. ſqq
- - haec cur floreant inter arma 583
Sturmius, Io. quam feliciter legationibus functus ſit 616. ſqq
Sueones, pace confecta, quid ſperent 839. ſqq
Suilius, quali affectus fuerit poena 602
P. Suilii criminationes in ſtudiis Senecae refutatae 598. ſqq
Symeon, aſſertor diuinitatis Sp. S. 138

T

Teſtimonia tria, Patris, Verbi, Spiritus S. quam Chriſti diuinitatem oſtendant 1116
Teſtimonia tria, Spiritus, Aquae, Sanguinis, quam Chriſti diuinitatem declarent in terris 1114. ſqq
Theodebertus, quantum ſibi acquiſierit in Italia 896
Theodoſius, Theodoſii M. pater, quomodo dicatur Saxonicus 905
Theodoſius, Imp. quanti fecerit eruditos 548
Theodoſius, Saxonici cognomine dignus a quo iudicetur 1871 ſqq
Theodoſius II. quomodo parcus ſit tempus ſuum 276

Digitized by Google

Theologi, cur fortunati iudicandi 687 ſqq
Theologos ſenſu communis fragilitatis exui non poſſe 688. ſqq
Thor, Vuodan, et Fricco, dii ueterum in Septentrione populorum, quibuſnam rebus praefuerint 888
Thracica legatio, a Gallis comiter accepta, quo ſpectare uideatur 842
Timotheo, Cononis fil. quid profuerint literae 486
- - - hic, audiens Platonem, quid pronuntiauerit 498
Traianus, quantos honores ſtudiis doctiſque tribuerit 546. ſqq
Tranſiluani, num ſint originis Saxonicae 879. ſqq
Triados Sacroſanctae perſonae quomodo differant inter ſe 137
Turcorum propoſitum, Germaniae exitioſum 148
- - - eorundem clades maxima 148. ſqq
- - - quam bene fuerint inſtructi 151
- - - ab iis quid metuendum 152
Turci, qualem habeant Chriſto honorem 1095. ſqq
- - hi, qua mente Chriſtianos nominent Infideles 1096
- - horum Tyrannum arbitrum ſe profeſſum, ad bella, inter Chriſtianos componenda 835

V

Valeſius, Hadrianus, ob Vortigernum, quaſi Regem, ex Germania arceſſitum in Britanniam, notatus 886. ſqq
Valeſiae ſtirpis magnitudo, quanta 999
Vandali, ut differant a Venedis 917
Velleius Paterculus, fidem nullam fuiſſe filiorum, oſtendit 1070
Venaticae rei ſtudium quanti ſemper a fortiſſimis habitum 322. 381
- - - quanto in honore apud Romanorum principes 381
Venatio, quibuſnam rebus praeclaris aſſuefaciat homines 381
Venedi, olim qnam rudes 974. ſqq
- - hi unde uenerint, et quas habuerint poſſeſſiones 975
- - horum commercia cum Saxonibus ibid
- - horum regiones Saxonum moribus, ſacris, legibus, emendatas fuiſſe 975. ſqq
Veneti, quonam honore afficiant Rectorem Scholae Patauinae, aurea ſtola, et torque aureo, ornatum 586
Verbi diuini quanta ſit praeſtantia 1087. ſqq
- - huius uis, quanta, 1115
Veri perſpicientia, quam late pateat, per ſtudia multarum diſciplinarum atque artium fuſa 452. 454
- - haec, quanti fuerit Democrito 454
Veſpaſianus Rhetoribus ex Fiſco quam lauta aſſignet Stipendia annua 590
Veſuuius mons, quam terribilis 425. ſqq
- - - idem quam amoenus 426
Vichbildi Magdeburgici nugae, quantae 794
- - - huius uoces, in Maieſtatem Caeſar. impiae, unde fluxerint ibid
Victimae, typus Chriſti 87
- - - eas offerentes fidem ſuam in Meſſiam promiſſum, auxilio Spiritus S. direxiſſe 87. ſqq
Vinculum inter animum et corpus cur ignoretur 29
Vindobonenſis Bibliotheca ſub Carolo VI, inter armorum ſtrepitus maxime creſcit 229
Vir bonus, Ciceroni qualis 79
Virgilius, conſilio ſuo Auguſtum in ſtudio rep. retinens 553
- - - hic, imaginem difficilis mortis quam ſcienter expreſſerit 707
- - - eius quantae poſſeſſiones 529

Digitized by Google

Virgilii uersus aurei quinam 529
- - - eius honos apud Romanos quantus 544
Viri priscae memoriae praestantes, num appetiuerint diuitias 509
Virium ciuilium, et spiritualium, quantum sit discrimen 83
Viros quoque sanctissimos animam graiter agere 710
Virtus, expers sepulchri, cur dicatur a Poetis 477
Virtutis heroicae instrumenta externa, ad auctoritatem inter ciues augendam, quaenam 386
Vita erudita, quid sit 449
- - eius praestantia in quinque potissimum caussis 439. 450
- - eius dignitatem num minuat comparatio Vitae, uel ciuilis, uel Militaris 498. sqq
- - eius dignitas, magnorum in Rep. uirorum studiis ac iudiciis declarata 482. sqq
Vitae cuiusuis honestae genus suam habere dignitatem 439
Vitae cultus, quibus nirtutibus constet 455
Vitae institutio tripartita, qualis 575
Vitekindus, in aduersis constans 928
- - - hunc Carolus M. oratione sibi conciliat 929
- - - idem, ubi sacro fonte tinctus, ex eoque Caroli M. manu susceptus 929. 930
- - - idem, magno honore a Carolo M. affectus, quanta cum dignitate uixerit 930
- - huius gloria, in posteris eius confirmata 930
Vitekindea ex stirpe quot gentes, quanta cum ambitione, Principum suorum origines repetant 931
Vitemberga, quid quantumque debeat Pr. Electoribus Saxoniae 595. sqq
Vitembergae Conuictus tot nationum Publicus, quantum munificentiae Regalis exemplum 596
Vitembergam, ob eidem Salutarem uindicatam, omnibus Europae Academiis anteponendam esse 1044
Vitembergensis Academia, duos Rectores uno semestri amittens 715
Vocatio, quid sit diuino Paullo, quanta eius obseruatae dignitas in fortuna, uel humillima 441. sqq
Voluptariae uitae studium, belluis, quam homine, dignius 444
Voluptatum uis in uictores populorum inuictos 380
FL. Vopisci monitum de fama nominis, scriptorum ingeniis apud posteros obtinenda 478
Vortigernus Rex Saxones contra Pictos Scotosque, in Britanniam excit 886
Vota pia, pro duplici connubio Saxonicoboiico, facta 1010. sqq
Vuodanum, Saxonum Principem, plurimum potuisse in Scandinauia 888
Vuodanum ab Anglis quoque religiose cultum fuisse 889
Vuodenum patrem haberi omnis paene generis Regii barbararum gentium ibid
Vuulfhildis Henrico Nigro ius affert in hereditatem amplissimam 999

X

Xenocrates, quis et quantus fuerit 541. sqq
Xenophon, quam clarus sit rebus gestis 562
- - idem, in Cyro quid expresserit 223

Z

Zeno, quantum praestiterit Macedonibus, rege disciplina emendato 569
- - idem; quanto honore ab Atheniensibus affectus 601
Zosimus, quid de Saxonibus existimet 871
Zuichemius, Vigilius Ayta, eruditus, legationibus adhibetur 618

FINIS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google